EX LIBRIS
VEN
CLASSIS
NEOCO
MENSIS
FIRMUM STAT. 2 Tim. II. 19
FUNDAM

PHYSICA SACRA

JOHANNIS JACOBI SCHEVCHZERI,

Medicinæ Doctoris, & Math. in Lyceo Tigurino Prof.
Academiæ Imperialis Naturæ Curiosor. LEOPOLDINO-
CAROLINÆ Adjuncti, Socc. Regg. Anglicæ
ac Prussicæ Membri.

ICONIBVS ÆNEIS

illustrata,

procurante & sumtus suppeditante

JOHANNE ANDREA PFEFFEL,

Augustano, SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS
Chalcographo Aulico.

TOMVS IV.

A TAB. DXCIV. ad DCCL.

AVGVSTÆ VINDELICORVM & VLMÆ,
MDCCXXXV.

CANTICUM CANTICORUM.

TAB. DXCV.

Cantic. Cap. I. verſ. 5. 6.

5. Fuſca quidem ſum, cæterum (a) amabilis, o fœminæ Hieroſolymitanæ, ſicut tentoria Cedræorum, ſicut Solomonis cortinæ.

(a) Venuſta, vel gratioſa, nam iva ſignificat appetere.

6. Ne me ſpectetis, quia fuſca ſum, eo quod Sol me (radiis feriendo) intuitus eſt: filii (namque) matris meæ in me excandeſcentes, poſuerunt me cuſtodem vinearum, ego autem vineam meam non cuſtodiui.

5. Nigra ſum, ſed formoſa, filiæ Jeruſalem, ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis.

6. Nolite me conſiderare, quod fuſca ſim, quia decolorauit me Sol: filii matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem vineis: vineam meam non cuſtodiui.

KEdar קֵדָר nigredo eſt non Æthiopum illa atra, ſed fuſca, non naturalis, ſed aduentitia à Sole, vel & triſtitia. Jobus XXX. 28. *Lugubri* (nigro, קֵדָר) *habitu inceſſi, ut Solem non ſentiens. (Mœrens incedebam, ſine furore.)* Heic querula CHRISTI ſponſa: *Fuſca quidem ſum, — ſicut tentoria Cedræorum, — eo quod Sol me intuitus eſt.* Μέλαινα εἰμὶ ἐγὼ, — ὡς σκηνώματα Κηδὰρ, — ὅτι περιέβλεψέν με ὁ ἥλιος. Juxta originalem Textum, ut filii Chus, qui habitant in tentoriis Kedar; vel, ut Iſmaelitæ, quibus adnumerantur Kedareni, Arabes. Quorum & meminit *Plinius* L. V. c. 11. *His Arabes jungunturab Oriente Chanclei* (vel Chauilei,) *à Meridie Cedrei, qui deinde ambo Nabatæis.* Stephanus: Κεδρανίτας, ἔθνος τῆς εὐδαίμονος Ἀραβίας, Οὐρανίος Ἀραβικῶν τρίτῳ, *Cedranitæ Gens Arabiæ Felicis, Uranius Arabicorum tertio.* Circa Babelem habitauit hæc Natio, ſi *Suidæ* fides. Sed de hac re nihil Scriptores Arabes.

Eſt, quod ſupra monui, diſtinguenda probè Æthiopibus naturalis & connata nigredo à colore illo fuſco, qui à Solis radiis cuti inducitur. Eſt illa glabra, nitens, pinguis, hæc contractæ ſiccioris cutis ſymptoma, familiaris Mediterranei Maris accolis, præſertim Africanis, Mauritanis, Feſſanis, Maroccanis, quibus ſiccior eſt cutis textura, quàm Angolanis, Seneganis, licet hi fortiorem ſuſtineant Solis æſtum, quàm illi. Crediderit quiſpiam, in Torrida Zona torreri viuentia omnia, & ſiccari, & tamen ſunt in Inſula Thomæ, Æquatori ipſi ſubjecta, uti & in Guinea, homines & animalia pinguiſſimi habitus, & eſt adeò fertile Angolæ ſolum, ut quotannis 15000. Æthiopes transportari ſoleant in Americæ Colonias, mancipiorum ſeruitia præſtituri. Fertilitatis hujus, olim incredibilis, quæ obſeruari ſolet in vegetabilibus, animalibus, hominibus, cauſa tribui debet partim copiæ aquarum per flumina ſeſe exonerantium, partim rori quotidiano, denſo, pretioſo, ὑετομόρφῳ, quo defendi ſolent corpora & refici, neque duntaxat per noctis decurſum, ſiue 12. horas, ſed per integrum fere diem. Et memorabile cumprimis eſt, tolerabiliorem eſſe Solis æquatorem tranſeuntis, ſiue in Zenith exiſtentis, æſtum, quàm quem Sol ad Tropicos declinans excitare ſolet. Ibi quippe brutorum & hominum corpora conſtanti fere nebula viuunt obuoluta, regnante tunc hyeme, non, quod mirum, æſtate. Idem beneficium præſtat Ægyptiis Nilus, quod Æthiopici Maris accolis copioſiſſimi undequaque ſurgentes vapores. Teſtem audi *Alpinum, Med. Ægypt.* c. 9. *Nusquam gentium memini me vidiſſe in tanto numero tam præpingues homines, quales Cairi obſeruantur, ex viris plurimos usque adeò pingues inſpexi, ut mammas haberent longè mulierum mammis maximis majores, craſſiores & pinguiores.* Celebratas olim

Meroiticarum nutricum mammas lege apud *Iuuenalem:*

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus, & quis
In Meroe craſſo majorem infante papillam?

Redeo ad ſponſam, quæ ſeſe in Cantico prædicat nigram, vel fuſcam, non à natura, ſcilicet ut Æthiopes, ſed à Sole. Infuſcare hunc omnium Regionum homines, ipſarum quoque Septentrionalium docet experientia. Veritatem hanc oſtendit proprium cuilibet corpus, quod in facie retecta ſemper fuſcum magis eſt reliquo à veſtibus tecto. Sol nempe ſi radiis ſuis immediatè ferit corpus, non dilatat duntaxat poros, ſed tubulos ipſos extremos, per quos transparet ſanguis: quin imò in ipſos hos ampliatos poros admittuntur plures & craſſiores ſanguinis partes, imo heic condenſantur, exhalantibus tenuioribus aqueis per poros cutis: patiuntur quoque fibrillæ extremæ, & ſeſe contrahunt. Obſeruare licet heic ὡς ἐν παρόδῳ diuerſos eorundem radiorum ſolarium in variis corporibus effectus. Corpora hominum infuſcari videmus, ſed lapides, ſaxa, terris excisa, ceram, linteamina, lilia alba, flores alios dealbari. Plura in hanc rem dici poſſent, ſi id permitteret & tempus & locus. Aliis quoque deſcribendam linquo nigredinem myſticam ſponſæ, Eccleſiæ oppreſſiones, perſecutiones.

Cantic. Cap. I. verſ. 7.

Indica mihi tu, quem diligit anima mea; quomodo paſcas, & quomodo cubare facias (pecus) in meridie?

Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubes in meridie.

NOtandum, pro Loci hujus illuſtratione, in Orientalibus Regionibus, & calidioribus quibusuis climatibus, ad potationem deduci pecora, cumprimis oues bihorio circiter ante Meridiem, dehinc verò ad umbroſa loca, ut quieti indulgeant; qua refecta potantur iterum poſt Meridiem, paſcuis fruitura usque ad veſperam. Audiamus ſolertem Oeconomum *Virgilium Eclog.* 5.

Inde ubi quarta ſitim collegerit hora,
Et cantu querulæ rumpent arbuſta cicadæ,
Ad puteos, aut alta greges ad ſtagna jubeto
Currentem ilignis potare canalibus undam;
Æſtibus & mediis umbroſam exquirere vallem,
Sicubi magna Jouis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos: aut ſicubi nigrum
Ilicibus crebris ſacrâ nemus accubet umbrâ.
Tum tenues dare rurſus aquas, & paſcere rurſus
Solis ad occaſum, cum frigidus aëra veſper
Temperat, & ſaltus reficit jam roſcida Luna.

Hujusdem tenoris regulas lege apud Rei Ruſticæ Scriptores alios, *Varronem*, *Columellam*, *Palladium*. In graues incidunt morbos, nî ſollicitè tractentur, pecora, oues in ſpecie in hepatis inflammationes & apoſtemata. Vocant id Arabes *ramadha*, *torrere*, ſi oues quaſi torreantur ad Solem. Corrumpitur & lac. Hinc Paſtor *Menalcas* apud *Virgilium Eclog.* 3.

Cogite oues, pueri, ſi lac præceperit æſtus,
Ut nuper, fruſtra preſſabimus ubera palmis.

Nimio quippe motu exæſtuat ſanguis, imo adaucta tranſpiratione condenſatur, unde varii gignuntur morbi. Inſeruit hæc explicatio quoque Pſ. XXIII. 1. 2. DOMINUS *paſtor meus eſt, non egebo. In paſcuis herbidis accubare me facit, & ad aquas tranquillas me minat: (DOMINUS regit me, & nihil mihi deerit: In loco paſcuæ ibi me collocauit. Super aquam refectionis educauit me:)* ad quas nempe grex ſub arborum umbra quieti indulget. Ita quoque Jeſ. XLIX. 10. *Non eſurient, neque ſitient, non feriet eos neque æſtus neque Sol, quia, qui eorum miſeretur, diriget eos, & ad ſcaturigines aquarum ducet eos. (Non eſurient, neque ſitient, & non percutiet eos æſtus & Sol: quia miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.)*

Can-

CANTIC. Cap. I. v. 12.
Nardus ἔνοσμος.

Hohel. Cap. I. v. 12.
Die wolriechende Narden.

I. G. Pintz sculps.

Cantic. Cap. I. verſ. 12.

Dum Rex mihi (a) accumbit, nardus mea reddit odorem ſuum.

(a) In accubitu vel aſſeſſu ſuo.

Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.

NArdus, origine Orientalis vox, נֵרְדְּ *nerd*, in Textu, LXX. νάρδος, in omnem occidentem tranſiit, licet in Oriente quoque manſerit. Arabes & Perſæ *nardin*, *nerdin*. Turcæ *nard*. Poloni *Nardá*. *Meninzk. Lex.* 5093. 5161. Græcis etiam νάρδοσταχυς. νάρδος στάχυς, hinc & Latinis *Spica Nardi*, Italis *Nardo*, *Spigonardo*, & ſimpliciter *Spigo*, Anglis *Spiknard*, Germanis *Spicnarde*. Intelligitur namque *Nardus Indica*, *quæ Spica*, *Spica Nardi*, & *Spica Indica officinis*. C. B. *Nardus Indica vulgaris*. I. B. Nomen fortè à *Naardo* urbe Syriaca, Euphrati contermina. Nardus ipſa Orientalis, quæ heic intelligitur, in Europam adfertur ex Ægypto & Aſia, & una eademque eſt Syriaca & Gangetica, natali ſaltem loco differens, eſtque ſuperior piloſa pars radicis *Cyperi Gangetici*, digitum longa & craſſa, rubro-fuſca, ſaporis acris, amari, aromatici, odore Cyperi. Hujus Nardi Indicæ non vidimus hactenus niſi radicem piloſam, quam exhibet Fig. A. majorem ex *Pomet. Hiſt. des Drog.* L. VI. c. 9. Tit. *Petit Nard Indic*, *grand Nard Indic*. Eſt & Europæis ſua Nardus, hujusque variantes ſpecies in Valerianæ genere. Eſt namque *Valeriana tuberoſa* I. B. *Tourn. Coroll. Valeriana tuberoſa Imperati ſeu Telephii radice. Barrel. Icon.* 825. *le premier Nard de montagne de Leon. Lugd. Gall.* 805. Fig. C. *Valeriana alpina minor* C. B. *Valeriana alpina Nardo Celticæ ſimilis* C. B. *Nardus montana radice oliuari* C. B. *Nardus montana radice oblonga*. C. B. quas omnes ad unam reducit *Vaillant dans les Mem. de l'Acad. Roy.* 1722. p. 250. Edit. Belg. Fig. D. *Nardus Gallica*, *Nard de France*. Fig. E. *Nardus adulterina*, *Nard batard*. Fig. F. Redimus veluti ex diuerticulo facto in Europam ad Nardum Orientalem, ſeu Indicam, quæ magni olim fuit habita, & pluris æſtimata, quàm quidem nunc fit. Joh. XII. 3. mentio fit μύρε νάρδε πιστικῆς πολυτίμε, quod & *Dioſcorides* deſcribit L. I. c. 76. ναρδίνε μύρε titulo. Tradunt nonnulli, Nardum illam odorem acquirere grauem, aduerſum, ſi transportetur per maria, & humida fiat. Hujusmodi Nardum graueolentem intellexit fortè Chaldæus interpres, qui verba Textus דְּרוּחָהּ בְּיִשׁ לְחַדָּא reddit, *cujus odor valde malus eſt*. LXX. generatim promunt odorem. Νάρδος με ἔδωκεν ὀσμὴν αὐτε. Myſticam Textus explicationem aliis linquo.

Cantic. Cap. I. verſ. 13.

Eſtque mihi dilectus meus myrrhæ faſciculus, (qui) morabitur inter ubera mea.

Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

DEnotat *mor*, *myrrha*, nunc fruticem ipſum, quam delineauimus TAB. CII. CCX. nunc Gummi illud reſinoſum σμυρνα, ex cortice inciſo effluens ſponte. Poſteriori hoc ſenſu ſumitur communiter in Medicina, & pro ſuffumigiis, ſed quoque in Scriptura Sacra. Cantic. III. 6. eſt Eccleſiæ ſymbolum *fumus altiſſimus*, — *qui generatur ſuffitu myrrhæ & thuris*, & *omnium puluerum pharmacopolæ. (Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & uniuerſi puluris pigmentarii.)* V. 1. *Diſtrinxi myrrham meam cum aromate. (Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis.)* V. 5. *Manus meæ ſtillauerunt myrrham, ac digiti mei myrrham probam, quæ peſſulum madefecit. (Manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima. Peſſulum oſtii mei.)* V. 13. *Labia ſponſi ut lilia, nec non ſtillantia myrrham probam. (Labia ejus lilia diſtillantia myrrham primam.)* Exod. XXX. 23. jubetur ſumere Moſes *odoramenta præſtantiſſima*, *myrrhæ ſponte fluentis quingentos. (Sume tibi aromata, primæ myrrhæ & electæ quingentos ſiclos.)* Pro balſamatione CHRISTI adhibuit Nicodemus μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης, Joh. XIX. 39.

Vox צְרוֹר *tſeror*, quam nos reddimus *faſciculum*, *Büſchelein*, notat aliàs crumenam, quæ colligari ſolet, à צָרַר *tſarar*, *ligauit*, *arctauit*, *colligauit*. Hoc ſenſu ſumitur Gen. XLII. 35. *Cumque ſaccos ſuos effunderent*, *quisque reperit faſciculum pecuniæ ſuæ*, צְרוֹר כַּסְפּוֹ. *Videntes autem ipſi & pater illorum faſciculos pecuniarum ſuarum*, אֶת־צְרֹרוֹת, *metu perculſi ſunt. (Cum frumenta effunderent*, *ſinguli repererunt in ore ſaccorum ligatas pecunias*, *exterritisque ſimul*

omnibus.) Prov. VII. 20. *Sacculum,* צְרוֹר, *pecuniæ accepit in manum ſuam. (Sacculum pecuniæ ſecum tulit.)* 1. Sam. XXV. 29. *Erit anima Domini mei ligata in faſciculo,* צְרוֹר, *viuentium.* Ita commodè in Textu noſtro intelligi poteſt faſciculus florum & myrrhæ ſelectæ, è collo geſtari ſolitus à ſexu ſequiori Orientali inter ubera, ut hodie ſæpe noſtrates virgines & mulieres geſtant clinodia, Catholicæ Reliquias Sanctorum, ægri ſacculos ophthalmicos, ad atrophiam. Ita olim Deorum factitiorum icunculas geſtabant idololatræ inter mammas, teſte graui querela, quæ extat Hoſ. II. 2. *Auferat ſcortationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua ab uberibus ſuis. (Auferat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua de medio uberum ſuorum.)* Legatur *Georg. Henr. Hæberlin Faſciculus Myrrhæ,* Reſp. *Joh. Wilh. Baumann.* Tubing. 1690.

TAB. DXCVI.

Cantic. Cap. I. verſ. 14.

Dilectus meus eſt mihi botrus Caphuræ in vineis Engedi.

Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis En-gaddi.

ERat עֵין גֶּדִי *En-gedi* vicus in vicinia Hierichunti, Plinio *Engadda* dictus. L. V. c. 17. *Ab Occidente* (Aſphaltitis) *Engadda oppidum fuit, ſecundum ab Hieroſolymis fertilitate, palmetorumque nemoribus, nunc alterum buſtum.* Ptolemæo & Stephano *Engada*, LXX. ἐνγαδδὶ. Hebræa vox idem ſonat, quod *fons capri*, uti & *Hieronymus* explicat in *nominibus.* Altæ rupi nempe inſediſſe dicitur, ubi fons fuit capris duntaxat acceſſibilis, qui oppido nomen dedit. Idem Locus 2. Paral. XX. 2. vocatur חֲצָצוֹן תָּמָר *chatſatſon thamar*, à tentoriis, ſiue tuguriis, quæ in Palmetis illius loci fuerunt obuiæ, *thamar* quippe *Palma* eſt, & *chuſas* adhuc hodie apud Arabes notat caſas, tuguria. Ad vicum autem hunc non ſolùm fuit Palmetum jucundum, ſed & Balſametum, de quo *Joſephus Antiquit.* L. IX. c. 1. *Bello oppugnabant* (Moabitæ & Ammonitæ) *Engadde, oppidum Aſphaltiti lacui vicinum, ſtadiis* 300. *diſſitum à Hieroſolymis.* Γεννᾶται δὲ ἐν αὐτῇ φοίνιξ ὁ κάλλιστος, καὶ ὀποβάλσαμον. *In eo autem naſcuntur egregiæ Palmæ & Opobalſamum.* Hinc eſt, quod multi heic per *Vineas Engedi* intelligant ipſa hæc Balſameta, quoniam Balſami frutices vitium ad inſtar fuere plantati. *Plin.* L. XII. c. 25. *Oſtendêre arbuſculam hanc urbi Imperatores Veſpaſiani. — In totum alia eſt natura, quam noſtri externique prodiderant. Quippe viti ſimilior eſt quàm Myrto. Malleolis ſeri dicitur, nuper victa, ut vitis, & implet colles vinearum modo. Juſtinus* L. XXXVI. *Arbores opobalſami formam ſimilem piceis arboribus habent, niſi quod ſunt humiles magis, & in vinearum morem excoluntur.* Delineatum hunc fruticem ſiſtit TAB. CII. Talmudiſtis quoque fuere illi, quibus *Nebuſaradan dedit vineas & arua,* Jer. XXXIX. 10. coloni, quibus tradita fuit Balſametorum cura, Balſamique collectio inde ab Engeddi usque ad Ramath.

Sequitur אֶשְׁכּוֹל כֹּפֶר *eſcol copher*, βότρυς τῆς Κύπρου. Reddunt nonnulli cum *Pagnino Camphoram*, ita quoque Latina noſtra, *botrus Caphuræ*, haud dubiè propter affinitatem vocum *Caphura, Camphora & Copher.* Nunquam enim in Judæa plantata fuit *Camphorifera Arbor*, in Japonia, Sumatra, Borneo, aliisque Indiæ Orientalis locis obuia, quam *Kafur*, Plur. *Kevafir* nuncupant Turcæ. *Men. Lex.* p. 3849. Camphoram licet heic non admittamus, ſiſtere tamen voluimus Fig. I. *Lauri Camphoriferæ* Iconem ex *Kæmpfer. Amœnitat. Exotic.* p. 770. ejusque ſimul addere deſcriptionem: *Arbor eſt ſylueſtris, in Japonia occidentali & adjacentibus Inſulis in lætam vaſtamque Tiliæ magnitudinem adoleſcens. Radice nititur valida ac parum brachiata, quæ Camphoram præ ceteris partibus ſpirat, & coctione impertitur. Cortex quodammodo eſt ſcaber, coloris pulli, in ramis junioribus lævis, viridans, nitens, interiori ſuperficie glabrâ & mucoſa, adeoque facile abſcedens. Medulla magna, fungoſa & lignoſa: Lignum candidum per ſiccitatem ex rufo variegatum, ſubſtantiæ laxioris ex fibris craſſiuſculis compactæ, aliquando ſeruiens pro fabricandis ſcriniis: ſed quorum ſuperficies per vetuſtatem aſperatur, dum volatilis reſina poros deſtituit. Pediculis carinatis, tenuibus, ſeſcuncialibus, nonnunquam ex viridi rubentibus inſiſtunt folia promiſcuo loco ſingula, membranacea, triuncialia, vel longiora, ex breui acuto principio ouata, mucrone oblongo anguſto, margine integro undulato, non rarò tenui palleſcente virgula fimbriato, ſupina facie ſaturo virore imbuta ac micante, dorſo herbaceo, & quaſi holoſerico: neruo uno medio utrinque prominulo, ex viridi albicante, & paucis neruis lateralibus ad ambitum arcuatim protendentibus. Floſculi in faſtigiis ramulorum, ſed arboris proiectæ ætatis & magnitudinis, menſe Majo Junioque inter foliorum axillas prodeunt, pediculis ni-*

CANT. Cap. I. v. 14.
Botrus Caphuræ.

Hohel. Cap. I. v. 14.
Traube von Cypern.

I. G. Pintz sculps.

xi biuncialibus, tenuibus, in fine racemoſis, ac in pediculos breuiſſimos ſingulis perianthiis præ paruis inſtructos diuulſis. Sunt flores albi hexapetali, intra ſeminis Coriandri ambitum radiantes, petalis ouatis, ſtaminibus apicatis nouem, ea diſpoſitione locatis, ut terni medium ſtylum premant, hos ceteri in orbem ambiant, intercepti ſingulis tuberculis, carnoſis, exiguis, luteis, mollibus, umbilico laxè adnatis. Florem bacca excipit per maturitatem atro purpurea & ſplendens, magnitudine Piſi majoris, figuræ quodammodo turbinatæ pericarpio molli purpuraſcente, ſaporis ex Camphora caryophyllacei: nucleo intus piperis magnitudine, corticula nigra micante obducto, bifido, oleoſo, ſaporis fatui.

Intelligit *AbenEzra Copher* titulo כְּתוֹבֶרֶת, *cethobbeth*, *Palmæ* fructum, ſed neminem ferme habet adſtipulantem. *Junius* & alii *Cyprum* arborem, de qua *Plinius* L. XII. c. 24. *Cyprus in Ægypto eſt arbor zizyphi foliis, ſemine Coriandri, flore candido odorato. Coquitur hoc* (fortè ſemen) *in oleo, premiturque poſtea, quod Cyprus nominatur.* Eſt hic frutex *Liguſtrum Orientale ſiue Cyprus Dioſcoridis & Plinii*, Park. *Liguſtrum Ægyptium, Cyprus Græcorum, Elhanne Arabum* I. B. *Liguſtrum Ægyptiacum latifolium & anguſtifolium* C. B. Deſcriptio hæc eſt: *Folia oliuæ foliis non abſimilia, ſed latiora, & ſub grato virore magis tenella, ſapore acidulo ſubadſtringente: nec ternis tantum quaternisue ordinibus tanquam alis, ſed pro virgularum longitudine denis, duodenis, pluribusque ramorum latera ſtipant: ſic tamen, ut inferiora folia ampliora, ab his ſuccedentia deinceps ad extremum usque rami paulatim minora conſpiciantur,* μονοφύλλῳ *circa apicem vix ullo ſuperſtite. Flores Alpino coloris cinericei non albi, Sambuci floribus proximi, minores tamen: Rauwolfio ex luteo pallidi ſunt, odoris ſuauis, admodùm acuti, Moſchi: concolores floribus baccilli: Semen ei pulchellum, ſpadiceum, pyramidale trigonum eleganter exprimens, baſi ita æquali, ut ſurrectum latrunculi inſtar ſtet. Baccæ numeroſiſſimæ, noſtratis Liguſtri baccis fere pares, magis ſeſſiles, coloris cinerei fere (in ſicca) quatuor decuſſatas impreſſiones oſtentantes, ſemine referto copioſiſſimo minuto, Melochiæ & figura anguloſa & magnitudine æquali, coloris rufi, ſaporis ſtrenuè adſtringentis, idque citra omnem morſum.* De hac planta, quam exhibet Fig. II. dubium fere haud eſt, eſſe כֹּפֶר. Pro ea militant 1. vocum כֹּפֶר & *Cypri* conuenientia, 2. botriformis fructus, ut אֶשְׁכֹּל כֹּפֶר *eſcol copher* reddi poſſet *botrus Cypri* vel *Liguſtri*, *ein Cypern-Traube*, melius certè ſic, quam *ein Traube von Cypern*, 3. ſuauis odor moſchi æmulus, quem magni adhucdum æſtimant in Oriente, 4. latè patens per Turcarum Imperium uſus, ſpeciatim in gynæceis. Folia quippe ſiccata & pulueriſata adhibent ad tincturas flauas & rufas, quibus fœminæ manus, pedes, ungues, pilos ornant, balneis egreſſæ; pilos quoque defluos decocto foliorum in aqua ſimplici firmant, pediculosue fugant. *Elhanne* vocant & fruticem ipſum, & folia, & puluerem ex iis. Corrigendus hic venit *Meninzk.* qui in *Lexic.* p. 1810. & 5526. inter *Cyperi* ſynonyma Turcica refert *hyna, kyna, hine, hynna, hynneet*, pertinent quippe hæc non ad *Cyperum*, ſed ad *Cyprum*; nam & *Alfena, Alhena* Hiſpani *Liguſtrum* vocant.

Eſt quidem & *Cyperus*, κύπειρος, noſtro *Copher* nominetenus affinis. Placuit ſanè hæc *Origeni*. Hic ſi Cypro præponderaret, attentionem mereretur *Cyperus rotundus Orientalis major* C. B. *Cyperus Syriaca & Cretica rotundior* I. B. qui *radicibus eſt rotundis, Oliuæ craſſitie, multis, media quadam fibra quaſi filo filipendulæ modo connexis, variis ſtriis aſperſis, foris ſubrufis, aliquando rubentibus, aliquando etiam nigris, intus albidis, aromatici odoris & acuti ſaporis. Foliis porraceis, longioribus tamen atque anguſtioribus: caule cubitali, anguloſo, in cujus cacumine folia aliquot, Stellæ in modum diſpoſita, è quibus ſpicæ aliquot herbacei coloris ſemina continentes prodeunt. In Nilo flumine copioſè naſcitur.* Vide Fig. III. Sed heic locum non inuenit Cyperus, nihil botriforme habens, niſi huc traxeris paniculam, vel radicem. Conſideranti verò attentè prolata hactenus in medium ſeſe commendabit Cyprus potius quàm Cyperus.

Cantic. Cap. I. verſ. 15.

Ecce tu, amica mea, formoſa es, ecce, tu formoſa es, & oculi tibi ſunt columbarum.

Ecce, tu pulchra es, amica mea, ecce, tu pulchra es, oculi tui columbarum.

SIc & Sponſo ſunt *oculi, quales columbarum ſuper alueis aquarum, quæ ſe abluunt lacte, & ſedent ad plenitudinem. (Oculi ejus ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident juxta fluenta pleniſſima.)* Cant. V. 12. Nempe pulchelli, nitidi, caſti: ita explicant Doctores Judæi, R. *Selomo, AbenEzra*, quod in conjuges quæque ſuas oculos conjiciant columbæ, non in alienas. Judicent de hac brutorum Ethica περιστερόφιλοι, & an vera ſint, quæ *Ælianus* narrat *Hiſt.* L. III. c. 44. in judicio columbarum criminali ſententiâ latâ

diſcerpi adulteram à fœmellis, adulterum à maſculis. Narrationi huic ſi fides eſt adhibenda, tribuendum erit columbis non ſolum Jus Naturæ, ſed Ciuile quoque, imo addideris Canonicum. Utitur *Ælianus* voce emphatica ἐποφθαλμιᾶν de libidinoſo, impuro aſpectu, quoniam oculi non duntaxat organa ſunt amoris, ſed & ὁδηγὸς atque index cogitationum cordis. ἐκ τῶ ὁρᾶν γίνεται ἐρᾶν. Lucem fœnerantur hæc diuerſis Scripturæ Locis. 1. Joh. II. 16. legitur ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν. 2. Pet. II. 14. ὀφθαλμὸς ἔχοντες μεστὸς μοιχαλίδος. Hanc oculorum ἐπιθυμίαν damno ſuo expertus eſt Dauid, qui oculis ad auia tractis petierat à DEO, ut *auerteret oculos ſuos, ne videant vanitatem.* Pſ. CXIX. 37. Inficias haud imus, animaduerti apud bruta mechanicum quendam, ſi ita loqui licet, amorem, qui comparari commodè poteſt cum amore ferri erga magnetem. Animal quodcunque amoris oeſtro erga fœmellam agitatum proſequitur eam ſemper viſu, volatu, greſſu, curſu, reptatu, natatu, neque admittit facile alienigenum: unde omninò poterit Verbi Diuini Præco applicare amorem huncce ad indiſſolubile illud ſinceri & puri amoris vinculum, quo CHRISTUS Sponſus fertur erga Eccleſiam. Forſan & Solomo in Textu noſtro digitum intendit ad pulchritudinem oculorum columbæ, ut notum, habere & oculos hominum ἑλκυστικόν τι.

TAB. DXCVII.

Cantic. Cap. I. verſ. 17.

Suntque noſtræ ædes cedrinæ, & canales noſtri cupreſſini.

Ligna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.

A *Razim*, אַרְזִים, reddunt LXX. κέδρες, nos quoque *Cedros*, *Cedern*, Arias *Larices*. Affines ſunt hæ arbores, ſub eodem coniferarum genere, durabiles propter reſinoſam ſuam ſubſtantiam. בְּרוֹתִים *Berothim* vertunt LXX. per κυπαρίσσες, nos etiam *Cupreſſos*, *Cypreſſen*. Arias legit בְּרוֹשִׁים *beroſchim*, *abietes*, Junius potiori forſan jure brutam arborem, quæ vox Hebraicæ noſtræ eſt affinis. Deſcribit hanc *Plinius* L. XII. c. 17. *Petunt in Helimæos arborem brutam, cupreſſo fuſæ ſimilem, ex albidis ramis, jucundi odoris accenſam, & cum miraculo hiſtoriis Claudii Cæſaris prædicatam. Folia ejus inſpergere potionibus Parthos tradit. Odorem eſſe proximum Cedro, fumumque ejus contra alia ligna remedio.* Ubi pro *brutam*, *brathyn* legit *Salmaſ. Exerc. Plinian.* p. 260. Aquila Hebræum ſeruauit nomen, βοραθίνας. Eſt autem βρόθυς *Sabina*, quæ apud *Dioſcor.* L. I. c. 105. duum generum, una τοῖς φύλλοις ὅμοιος Κυπαρίσσῳ, *foliis Cupreſſo ſimilis*, *Sabina folio Cupreſſi* C. B. quæ in arborem excreſcit, & quotannis baccas Juniperinis ſimiles producit; altera μυρίκῃ τοῖς φύλλοις ὅμοιος, *Tamariſci folio ſimilis*, *Sabina folio Tamariſci Dioſcoridis* C. B. Affine eſt Arabum nomen *beraſi*, Turcarum *ardig*, quibus Sabinam intelligunt. *Meninzk. Lex.* 34. 744. 5705. Arbori huic quia vota noſtra damus, largimur & iconem; Sabinæ nempe foliis *Cupreſſi*.

CANT. Cap. I. v. 17.
Ædes Cypreſsinæ.

Hohel. Cap. I. v. 17.
Häuſer von Beven-Baüm.

I. G. Pintz sculps.

CANT. cap. II. v. 1. 2.
Rosæ Saron, Lilia Vallium.

Hohel. Cap. II. v. 1. 2.
Narcissus Rosen, Thal Lilien.

I. G. Pintz sculps.

TAB. DXCVIII.

Cantic. Cap. II. verſ. 1. 2.

1. Ego ſum Roſa (a) Saron, & Lilium gaudens vallibus.

(a) i. e. ſaturitatis, quemadmodum DEUS dicitur Sadai, copia omnium bonorum.

2. Eſtque amica mea inter fœminas, ut Lilium inter ſpinas.

1. Ego flos campi, & lilium conuallium.

2. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.

Habbatſeleth haſcharon חֲבַצֶּלֶת הַשָּׁרוֹן reddunt LXX. ἄνθος τῦ πεδίε, *florem campi*, ſic & *Hieronymus*. Binæ noſtræ Verſiones *Roſam*, nixi Verſione Chaldaica, quæ habet יַרְדְּנָא *jardah*, unde forſan deſcendit Græcorum ῥόδον, & Latinorum, plerarumque Europæarum Nationum *Roſa*, *Roſe*, commutato d in s quæ vox etiam prodit per μετάθεσιν literarum ex *Saron*. Superſunt & in Oriente Roſæ nomina affinia: Perſis *ſyhrewah*, *Suri*, ſpecies rubra elegans, *Meninzk. Lex.* 2706. 2721. 3987. *neſrin* iisdem, Arabibus *niſrin*, Roſa canina, ſyluatica. Id. 5173. Fulciunt hæc Roſæ, quam Tigurini aſſumſimus, authoritatem. Aliis dijudicandum linquo, an שָׁרוֹן in genere denotet campum, vel certum quendam locum? & cur Syri heic intelligant *florem abietum?*

Florum ſpecioſorum alter, quo cum CHRISTUS ipſe, vel Eccleſia confertur, eſt שׁוֹשַׁנָּה, שׁוּשָׁן, *ſchoſchannah*, *ſchoſchan*, haud dubiè *Lilium*, cujus flos hexapetalos, radix שֵׁשׁ *ſcheſch*, *ſex*. Habent LXX. κρίνον τῶν κοιλάδων, *Lilium conuallium*, Aquila καλύκωσις τῦ σκελῶν, *calyculus Saron*. De Lilio, שׁוּשָׁן, egimus alibi: uti & de חוֹחִים *chochim*, *ſpinetis*, *dumis*, quæ leguntur 2.Reg.XIV.9. Job.XXXI.40. Prov.XXVI.9.

Dum hæc ſcribo, incido in Cl. *Hilleri Hierophyt.* P. II. p. 30. ubi vocem Hebraicam חֲבַצֶּלֶת deriuat à חָבַב *chabhabh*, *dilexit*, & בָּצַל *batſal*, *bulbus*, *cepa*; ex bulboſis autem plantis, quæ numeroſæ ſunt, & Tuliparum, Iridis bulboſæ, Coronæ Imperialis, Narciſſorum, Hyacinthorum, Ceparum genera dant, ſeligit *Aſphodelum*, utpote qui maximè abundat bulbis. *Plin.* L. XXI. c. 17. *Radix Aſphodeli napis modicis ſimilis eſt, octoginta ſimul aceruatis ſæpe bulbulis.* Commendat hanc plantam flos liliaceus, egregiè vel rubens, vel flauus, odor ſuauiſſimus, ſcapus procerus cubitalis & bicubitalis: antiquiſſimus *Homero* & *Heſiodo* laudatus honos. Natale ſolum, ſiluæ *Heſiodo*, irrigua prata *Homero Odyſſ.* Α & Ω, ubi amœna Elyſii campi vireta ἀσφόδελον λειμῶνα, *aſphodelo florentia prata* vocitat, quæ verba ſignificatu ſuo reſpondent Hebraicis חֲבַצֶּלֶת הַשָּׁרוֹן. Unde laudatus *Hillerus* vertit ita Textum noſtrum: *Ego ſum Aſphodelus Saronis, Lilium conuallium.* Sanè videtur ipſa vox *Aſphodelus* affinis illi חֲבַצֶּלֶת. Placeret mihi ex Aſphodelorum proſapia *Lilio-Aſphodelus luteus* Park. *Lilium luteum Aſphodeli radice* C. B. *Aſphodeli radice luteum ſiue Lilio-aſphodelus quorundam flore luteo* I. B. vel & *Lilio-aſphodelus phœniceus* Park. *Lilium radice Aſphodeli phœniceum ſiue Lilio-aſphodelus quorundam* I. B. *Lilium rubrum Aſphodeli radice* C. B. quorum deſcriptiones lege in *Raji Hiſt. Plant.* p. 1191.

In gratiam Verſionis Tigurinæ &, quam modò dedi, Hillerianæ appono Icones

A. *Roſæ rubræ multiplicis* C. B. *Roſæ rubræ flore valde pleno* I. B.

B. *Liliaſphodeli lutei*, cujus character viſundus ad marginem c.

Cantic. Cap. II. verſ. 7.

Obteſtor vos, o fœminæ Hieroſolymitanæ, (a) per capreas & per ceruas in agris agentes, ne excitetis, neue (b) extinguatis amorem, donec ipſa velit.

(a) Venatorium eſt juramentum. Cæterum illis vocibus ſignificantur etiam exercitus cœleſtes, & virtutes aliæ.

(b) Theoreru deſtruere ſignificat. Hier. euigilare faciatis. Et amorem pro amica ipſa quidam capiunt.

Adjuro vos, filiæ Jeruſalem, per capreas, ceruosque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoad usque ipſa velit.

JUrare ſolemus per ea, quæ nobis ſunt chariſſima. *Dido* apud *Virgil. Æneid.* L. IV.

— per ego has lacrymas dextramque tuam te,
(Quando aliud mihi jam miſeræ nihil ipſa reliqui)
Per connubia noſtra, per inceptos Hymenæos:
Si benè quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
Dulce meum.

Sunt, qui jurare *per capreas & per ceruas* idem volunt, quod jurare per DEUM, cujus ſunt illæ; alii, per fideles; unde fuere, qui cultum & adorationem Sanctorum ex hoc loco probare contendunt. Sed rectius *conjurare*, *adjurare* heic idem denotat, quod anxiè flagitare, obteſtari. Sic reddunt Tigurinæ, *obteſtor vos*, *ich ermahne euch hoch und theuer*. Congruit Gallis uſitatum, *conjurer*.

TAB. DXCIX.

Cantic. Cap. II. verſ. 9.

Eſtque dilectus meus ſimilis capreæ, aut hinnulo ceruorum. —

Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum. —

SIc & v. 17. *Reuertere, dilecte mi, ſisque ſimilis capreæ, & hinnulo ceruorum in montibus Bather. (Beth-er.)* VIII. 14. *Fugito, dilecte mi, & ſimilis ſis tibi capreæ, hinnuloque ceruorum in montibus aromatum.* Occurrit heic, & in Locis allegatis vox עֹפֶר *opher*, extra Canticum nullibi obuia in Sacris, ignota quoque Syris & Chaldæis, ſed uſitata Arabibus, qui *algophro, algaphro* vocant *ibicis hinnulum*. De Græcis conſtat, ſollicitè diſtinxiſſe nominibus ceruorum ætates, id quod facere ſolent quoque venatores Germani. Cerui bimuli vocantur illis παπταλίαι, σπαθῆναι ἀπὸ τῆς σπάθης, à radio textorio lanâ inuoluto, item ἀχαΐναι, ſunt autem ἀχαΐναι ἔριια μαλακὰ, lanæ molles. Sic deriuat *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 24. 25. עֹפֶר noſtrum ab Arabico *pharon*, quod villos veſtium, pilos molles in facie, collo, & auribus ſignificat, quoniam cornua in hinnulis ceruorum in hac ætate molli lanugine ſunt tecta. Rationem non unam allegant Interpretes, cur CHRISTUS, Eccleſiæ Sponſus, in Cantico toties conferatur cum caprea & hinnulo ceruorum. *Origenes in Cantic. Hom.* 3. *Gregor. Nyſſen. Hom.* 5. Patres alii allegant aciem viſus, qua pollent illa animalia, & allegoricè applicant Omniſcientiæ CHRISTI. Sed potiori forſan jure in cenſum venit promptiſſima voluntatis diuinæ executio, ſpeciatim in propagatione regni inter Gentes, quoniam expreſſa locis cicatis fit mentio citæ fugæ, vel celeris acceſſus. Sed hanc dilucidationem, quæ mei fori non eſt, aliis lubens linquo.

Cantic. Cap. II. verſ. 11. 12. 13.

11. Quoniam ecce hyems præteriit,(&) imber ſe recipiens abiit ſibi.
12. Ac flores apparuerunt in terra, appetiuitque tempus (idoneum) cantui, ac vox turturis auditur in terra noſtra.
13. Ficus protruſit groſſos ſuos, & vineæ florentes odorem reddunt.

11. Jam enim hyems tranſiit, imber abiit & receſſit.
12. Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra.
13. Ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem.

DEſcribuntur heic blandi tempora veris, quo nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbor: ſed non aſtronomicè, ab ingreſſu Solis in arietem, verùm ab operationibus Solis per gradus aſcendentis in iis, quibus vixerat Solomon, Regionibus.

Ecce, inquit, *hyems præteriit, & imber ſe recipiens abiit ſibi*, ἰδὲ, ὁ χειμὼν παρῆλθεν, ὁ ὑετὸς ἀπῆλθεν, ἐπορεύθη ἑαυτῷ. Diceremus nos, & omnes Septentrionaliores nobis populi: *Hyems præteriit, tranſiit nix.* Clarum hinc, loqui ſapientiſſimum Regem de Hyeme Climatum Orientalium,

CANT. Cap. II. v. 9.
Sponsus Capreæ similis.

Hohel. Cap. II. v. 9.
Der Geliebte wie ein Reh-Böcklein.

G. D. Heümañ sculps.

talium, qualis in imbribus conſiſtit, continuis fere per menſes, vel interruptis. Quo tempore DEUS *intra domos cogit omnes homines, ut cuncti mortales ſciant opus ſuum, feraque ſubit luſtrum ſuum, & degit in ſuis cubilibus. (Qui in manu omnium hominum ſignat, ut nouerint ſinguli opera ſua. Ingredietur beſtia latibulum ſuum, & in antro ſuo morabitur.)* Job. XXXVII. 7. 8.

Ac flores apparuerunt in terra, appetiuitque tempus idoneum cantui, ac vox turturis auditur in terra noſtra. τὰ ἄνθη ὤφθη ἐν τῇ γῇ, καιρὸς τῆς τομῆς ἔφθακεν, φωνὴ τῆς τεγγώνος ἠκούθη ἐν τῇ γῇ ἡμῶν. Recludit conſtrictos aquaue repletos terræ poros accreſcens gradatim Solis calor, animantur de nouo vegetabilia & animalia, nouo inducto fluidis ſolidisque motu. Congruit Solomoneo Textui *Ouidiana* deſcriptio *Faſt.* I.

Omnia nunc florent, nunc eſt noua temporis ætas,
Et noua de grauido palmite gemma tumet;
Et modo formatis operitur frondibus arbos,
Prodit & in ſummum ſeminis herba ſolum.
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent.

Ex auibus autem, quæ vernum, vel, ſi cum Judæis loquamur, æſtiuum annuntiant tempus, eſt *turtur*, תור *thor*, migratoria auis, hyeme abſens, rediens vere. Jer. VIII. 7. *Ciconia in aëre nouit ſua ſtata tempora, turtur, grus & hirundo obſeruant tempus profectionis ſuæ. (Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum: turtur & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui.) Ariſtot. Hiſt.* L. VIII. c. 3. τεγγὼν δὲ τὸ θέρος φαίνεται, τὸ γὰρ χειμῶνος ἀφανίζεται. *Turtur æſtate conſpicitur, hyeme diſparet. Varro Ruſtic.* L. III. c. 5. *Turdi quotannis in Italiam trans Mare aduolant circiter Æquinoctium autumnale, & eodem reuolant ad Æquinoctium vernum. Et alio tempore turtures ac coturnices immani numero. Cicero de Finib.* L. II. *Turtures curſu & peregrinatione lætantur.* Num reuerà migratoriæ hæ aues relictis his terris transuolent in alias, vel duntaxat ſeſe per hyemem abſcondant, quæſtio eſt enucleanda occaſione Loci ex Jeremia citati. Poſtremam de turturibus ſententiam adoptat *Plinius* L. X. c. 24. *Verius turtur occultatur, pennasque emittit. Ariſtot.* Lib. cit. c. 12. morari per hyemem ἐν ἐυηλίοις χώροις, locis udis.

קול התור *kol hatthor*, *vox turturis*, *das Seufzen des Turtel-Däubleins*, Græcis vocatur τεγγμὸς à τεγγίειν, hinc & τεγγὼν. Eſt verò τεγγίειν apud *Suidam* & Etymologum ψιθυρίζειν, γογγύζειν, ἀσήμως λαλεῖν παρὰ κῆι ἡ τεγγὼν, ἐπεὶ κῆι ἀσήμως φθέγγεται, κῆι γογγυσικῶς, murmurando vel ſuſurrando obſcurè loqui ut turtur. Hinc *Clemens Strom.* L. V. Γογγύζουσα ἡ τεγγὼν μέμψεως καταλαλιὰν ἀχάριστον ἐμφαίνουσα οἰκοθεν ἐξοικίζεται. *Murmurans turtur propter turpem ingratitudinem domo expellitur.* Aliàs τεγγίειν notat πολυφωνεῖν, πολυλογεῖν, *multa loqui*, unde Græcorum Prouerbium, λαλίστερος τῶν τεγγόνων, *turture loquacior. Euſtath. in Homeri Iliad. ι.* v. 31.

Ὡς μή μοι τεγγίητε παρήμενοι ἄλλοθεν ἄλλος,

Ut ne mihi garriatis aſſidentes aliunde alius.

Loquaces mulieres deſcribuntur ita in *Theocriti Syracuſiis.*

Τεγγόνες ἐκκναισεῦντι πλατυάσδοισαι ἅπαντα,

Ut turtures obtundunt ad omnia os diducentes.

Turturis myſtici gemitus explicandos aliis linquo.

Ficus protruſit groſſos ſuos, & vineæ florentes odorem reddunt. ἡ συκὴ ἐξήνεγκεν ὀλύνθας αὐτῆς, αἱ ἄμπελοι κυπρίζουσιν, ἔδωκαν ὀσμήν. In præcedenti commate legitur, *flores apparuerunt in terra.* Eſt נצה *nitſah* propriè flos arboris, qui oculum ſequitur. Nunc promouet Scriptor ſacer pedem ad æſtatem usque. Notandum de *ficu*, non protrudere flores, ſed groſſos, in Textu פגיה *paggeha.* Et סמדר *ſemadar* non tam ſunt flores vitis, quam minutulæ uuæ, quæ apparent, poſtquam defloruere vites, dum interim aliæ vites florentes adhuc ſuauem ſpargunt ſpirantque odorem. Conſtat ex hoc Textu, in Oriente ficus protrudere groſſos, vitesque tenellos botros uno eodemque tempore.

Cantic. Cap. II. verſ. 15.

O mea columba in cauernis iſtius petræ, in receſſu ſcalarum oſtende mihi formam tuam. —

Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, oſtende mihi faciem tuam.

SUnt columbis in Periſterotrophiis foramina ſua & nidi, ארבות *arybboth*, ubi ſeſe recipiunt. *Qui ſunt iſti, qui ut nubes volant, & tanquam columbæ ad feneſtras ſuas?* ארבותיהם Jeſ. LX. 8. Sed in fugam actæ degunt ubi poſſunt cunque. *Relinquite ciuitates, & habitate in petra, o habitantes Moab, & eſtote ſimiles columbæ nidulanti in prominentiis foraminis foueæ, (in ſummo ore foraminis.)* Jer. XLVIII. 28. In Textu hoſpitatur

perſecutione agitata columba *in cauernis petræ*, בְּחַגְוֵי הַסֶּלַע, propriè *in ſciſſuris petræ*, & *in receſſu ſcalarum*, בְּסֵתֶר הַמַּדְרֵגָה, *in abſcondito gradus*. LXX. ἐν σκέπῃ τῆς πέτρας ἐχόμενα τῶ προτειχίσματος, *in tegumento petræ juxta promurale*. Sic legimus apud *Homerum* L. XII.

Ἴρηξ σεῦε πέλειαν. ἐπειγομένη δ' ἄρα κείνη
Κήραμον ἐς πέτρης κατεδύσατο. —

Accipiter columbam perſequebatur: illa autem, cum urgeretur,
In ſcopuli cauernam ſe ſubduxit. —

Et *Iliad.* φ'. v. 495.

— φύγεν, ὡς τε πέλεια,
Ἥρᾳ θ' ὑφ' ἵεγκος κοίλην εἰσέπταλο πέτρην.

— — Fugit ut columba,
Quæ ab accipitre volauit in cauam petram, in antrum.

Sed notandum heic, in Orientalibus Regionibus tantam eſſe columbarum copiam, ut perſæpe non in columbariis ſolis degant, ſed quoque in petrarum fiſſuris & cauernis. *Virgilius:*

Qualis ſpelunca ſubitò commota columba,
Cui domus, & dulces latebroſo in pumice nidi.

Ita *Semiramis* apud *Diodorum* repoſita legitur in petroſa columbaria, εἰς τινας ἐρήμους, καὶ πετρώδεις τόπους, ἐν οἷς πολλὴ πλήθος περιστερῶν ἐννοσσεύειν εἰωθότος. Quærant, per me licet, Judæi columbam ſuam myſticam, Eccleſiam, in ultimas redactam anguſtias ad Maris Rubri littus, & Doctores Chriſtiani Eccleſiam Noui Fœderis hinc inde in exilio & aſylis.

Cantic. Cap. II. verſ. 16.

Capite vobis vulpes, vulpes (inquam) paruas, quæ vaſtant vineas, quum noſtræ vineæ floreant.

Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit.

SUnt vulpes carniuora animalia, ſed quoque frugiuora & herbiuora. Conſtat id ex Textu, quem experientia fulcit. Occurrunt & teſtimonia apud Scriptores profanos. *Nicander in Alexipharm.* v. 185.

Πιοτέρην ὅτε βότρυν ἐσίνατο κηκὰς ἀλώπηξ.

Cum pingui nocuit vulpes verſuta racemo.

Theocrit. Idyll. ί.

Πυρνούμας ϛαφυλαῖσι καλὸν βέβριθεν ἀλωὰ
Τὰν ὀλίγος τις κῶρος ἐφ' αἱμασιαῖσι Φυλάσσει
Ἥμερος. ἀμφὶ δὲ μιν δύ' ἀλώπεκες. ἁμὶ' ἄν ὄρχως
Φοιτῇ, σινωμέναν τὰν τρώξιμον &c.

Heinſio interprete.

Area purpureis pulchrè circumdatur uuis,
Quam puer exiguus reſidens cuſtodit in horti
Sepibus. Hunc circum vulpecula bina, racemos
Altera percurrens depaſcitur, &c.

Idyll. 5.

Μισέω τὰς δασυκέρκους ἀλώπεκας, αἳ τὰ Μίκωνος
Ἀεὶ φοιτῶσαι τὰ ποθέσπερα ϛαγίζοντι.

Odi vulpes denſis caudis, quæ Miconis
Vites frequentes veſperi decerpunt.

Phædrus Fab. de vulpe & uua.

Fame coacta vulpis alta in vinea
Uuam adpetebat, ſummis ſaliens viribus,
Quam tangere ut non potuit, diſcedens ait,
Nondum matura eſt, nolo acerbam ſumere.

Galeno teſte *de Alim. Facult.* L. III. c. 2. Venatores vulpium carnes autumno pro menſa apponunt, quod tunc caro ab uuarum eſu teneraſcat & pingueſcat. Quas delicias venatoribus noſtris nec ſuaderem, nec adponerem. Illuſtrando Textui noſtro id facit, abundare Aſiaticas Terras vulpibus. Conſtat id vel ex Simſonis Hiſtoria, ſi verum eſt, fuiſſe animalia illa, quorum caudas colligauerat heros, vulpes. *Ælian* teſte *Hiſt.* L. XVII. c. 17. ad Caſpium Mare tantâ degunt copiâ vulpes, ut agris haud contentæ urbes ipſas, ædesque ingrediantur.

CANT. Cap. IV. v. 1.
Pili Sponsi ut grex caprarum.

Hohel. Cap. IV. v. 1.
Die Locken des Freundes wie eine Ziegen-Heerde.

G. D. Heüman sculps.

Cantic. Cap. II. verſ. 17.

Dilectus meus mihi (proprius erit) & ego illius, qui paſcit inter lilia. Dum *(a)* eſt flagrantiſſimus æſtus diei, & umbræ fugiunt, reuertere, dilecte mi, ſisque ſimilis capreæ & hinnulo ceruorum in montibus *(b)* Bather.

(a) Dum ſpirabit dies.
(b) Id eſt, diuiſionis.

Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia: Donec aſpiret dies, & inclinentur umbræ, reuertere. Similis eſto, dilecte mi, capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes Bether.

DE עֹפֶר *opher*, *caprea* & *hinnulo ceruorum*, egimus ſupra ad v. 9. *Paſcit* hic *inter Lilia*, fruitur proin graminis loco floribus herbisue delicatiſſimis, & *in montibus Bather*, propriè *montibus ſciſſionis*, fortè quod ibi fuerint multi ῥωχμοὶ, χάσματα, *ſciſſuræ terræ*, quales in montoſis locis cauari ſolent ab imbribus, aut torrentibus, qui ex alto feruntur præcipites: vel ipſi illi montes fuere naturâ fracti, qualis eſt Lucernenſium *Mons Pilati*, *Fractus* hinc, *Fracmünt*, κατ' ἐξοχὴν dictus, vel tandem ob cauitates ibi obuias. LXX. habent ὄρη κοιλωμάτων, *montes cauitatum*, legunt alii κυκλωμάτων, qui fortè pro בֶּתֶר *bether* legerunt כֶּתֶר *cether*, corona, κυκλοειδὴς. Hoc ſenſu poſſent הָרֵי כֶתֶר, *montes coronæ*, vocari, qui *circum Jeruſalem ſunt*, Pſal. CXXV. 2. Vernacula noſtra habet *Scheid-Berge*, quæ potuiſſet quoque altero ſenſu ponere *geſpaltene Berge*.

Cantic. Cap. III. verſ. 6. (5.)

Obteſtor vos, o fœminæ Hieroſolymitanæ, per capreas & ceruas in agro agentes, ne excitetis, neue extinguatis amorem, donec ipſa velit.

Adjuro vos, filiæ Jeruſalem, per capreas, ceruosque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.

Vid. Cantic. Cap. II. verſ. 7.

TAB. DC.

Cantic. Cap. IV. verſ. 1.

Ecce tu formoſa es, amica mea, ecce tu formoſa es: *(a)* oculi tui columbini ſunt extra comam tuam promicantes: *(b)* pilus tuus eſt quaſi grex caprarum, quæ fabrum (depaſcendo) reddiderunt montem Gilead.

(a) Fidei ſimplicitas notatur.
(b) Cogitationes compoſitæ.

Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es: Oculi tui, columbarum: absque eo quod intrinſecus latet: capilli tui ſicut greges caprarum, quæ aſcenderunt de monte Galaad.

DE columbinis oculis egimus ad Cant. I. 15. Capilli ſponſæ conferuntur cum *grege caprarum*, עֵדֶר הָעִזִּים, ἀγέλαις τῶν αἰγῶν, intellige *caprarum pilos*, eosque prælongos. Vide Exod. XXV. 4. ubi pro Tabernaculi ſtructura adhibiti leguntur *caprarum pili*, Textus verò habet עִזִּים *capras*. Verſiones proin noſtræ ita poſſunt & debent reddi, *pilus tuus eſt*

quaſi gregis caprarum, deine Haupt-Haare ſind wie einer Heerd Geiſſen. Reiterantur hæc verba Cant. VI. 4. In fauorem pilorum caprillorum adduco Locum ex *Æliano* L. XVI. c. 30. Ἐν Λυκίᾳ λέγει Καλλισθένης ὁ Ὀλύνθιος κείρεσθαι καὶ τὰς αἶγας ὡσπερεὶ παντα χῆ τὰ πρόβατα, γίνεσθαι καὶ δασυτάτας, καὶ εὐτριχας. δεννῶς τὰς αἶγας, ὡς εἰπεῖν βοσεύχας, ὡς τινας ἕλικας κόμης ἐξηρτῆσθαι αὐτῶν. *In Lycia dicit Calliſthenes etiam capras tonderi ut oues ubique locorum: Ibi enim eſſe birſutiſſimas, & egregiis villis, ita ut ab iis cincinni, & tanquam retorti capilli dependere videantur.* Eundem ſenſum dat *Gregor. Nyſſen. in Cant. Hom.* 13. Paſcuis montium Gileaditicorum inprimis delectatæ videntur capræ, utpote arboribus & plantis reſinoſis, olea, lentiſco, terebintho, uberes, ex quibus optimum lac deſcendit. *Dioſcor.* L. II. Cap. *de Lacte.* Sanè *Iſmaelitarum venientium è Gilead Cameli ferebant aromata, reſinam & ſtacten.* Gen. XXXVII. 25. *Num reſina nulla eſt in Galaad?* Jer. VIII. 22. *Aſcende in Gilead, & reſinam accipe (tolle), o virgo, filia Ægypti.* Jer. XLVI. 11.

Cantic. Cap. IV. verſ. 2.

Dentes tui ſunt ſicut grex (ouium) concinnè tonſarum, quæ aſcenderunt à lauacro, quæ uniuerſæ gemellos pariunt, nec ulla eſt inter eas effœta.

Dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas.

NOn conuenit heic Latina noſtra cum Vernacula; illa, *dentes tui ſunt ſicut grex ouium concinnè tonſarum*, hæc, *deine Zähne ſind wie eine Heerd Schaafe, welche in der Ordnung gehen.* Prior aſſentientem habet τῶν LXX. ὀδόντες σε ὡς ἀγέλαι τῶν κεκαρμένων. In Textu originali legitur קְצוּבוֹת *ketſubboth*, vox non obuia, ubi de ouium agitur tonſione. Radix קָצַב *katſabh* notat propriè *lignum cædere & dedolare*, quacum congruere debet ſenſus verborum, quæ occurrunt in Textu. Dedolari ſolent aſſeres eum in finem, ut ſibi inuicem commodè poſſint aptari, & ſeſe ipſos in omnibus ſuarum ſuperficierum punctis tangere. Applicare commodè dentibus licet hunc ſenſum, qui ſcilicet inter ſe æquales concinnâ ſerie diſponuntur ita, ut nullus alteri præemineat. Senſum hunc adoptant *Aben-Ezra*, *R. Kimchi*, *Pagninus*, qui ita, *dentes tui ſunt ut grex ouium æqualium*; Junius: *Dentes tui ſimiles gregi æquarum pecudum.* *Æſtimantur* nempe dentes, qui non ſolùm egregiè nitent, ſed ejusdem ſunt altitudinis, concinna ſerie poſiti. Extat Locus, qui huc quadrat, apud *Lucianum in Imaginibus:* πλὴν μειδιάσασά γε, ὦ Πολύξαλε, ὀδόντας ἐξέφηνε, πῶς ἂν εἰ ποιμίσε, ὅπως μὲν λευκὰς, ὅπως δὲ συμμέτρες, καὶ πρὸς ἀλλήλας συνηρομένας; εἶπε καλλιγον ὅρμον εἶδες ἐκ τῶν γιλπνοτάτων καὶ ἰσομεγέθων μαργαρίτων, ἅτως ἐπὶ ςίχε ἐπεφύκεσαν. *At ſubridendo, Polyſtrate, dentes oſtendebat, quomodo dixerim tibi quàm albos, quàm æquales, & inter ſe coaptatos? Sicubi monile pulcherrimum vidiſti ex nitidiſſimis & magnitudine paribus margaritis: adeò concinna ſerie erant nati.*

Concipiunt oues ut plurimùm ſemel duntaxat in anno, & unicum fœtum. Sed διδυμοτόκες, gemelliparas, ſiſtit Textus. Omittitur vox ouium in originali Textu, qui duntaxat habet *gregem*, ἀγέλην. Subintelligi autem debere oues, conſtat ex Cant. VI. 5. ubi harum expreſſa fit mentio. Extant hac de re etiam teſtimonia apud profanos Scriptores, *Ariſt. Hiſt.* L. VI. c. 19. eſſe oues & capras non ſolùm gemelliparas, ſed quæ 3. & 4. pariant fœtus, & in *Mirabil.* eſſe biferas in anno, & bis gemelliparas. Hujusmodi oues Græcis dicebantur δικῦμα πρόβατα, ἀπὸ τῦ δὶς κύειν. *Suidas* & *Phauorinus:* δικῦμα, τὰ διδυμοτόκα πρόβατα. Romanis veteribus *Ambegnæ, quaſi ex utraque parte agnos habentes. Fulgentius de priſco ſermone ad Chalcidium.* c. 6. Hanc ouium fœcunditatem tribuebant Græci *Apollini Nomio*, à quo petierat *Callimachus* in *Hymno*, ut ouem ſuam redderet biferam.

Ἡ δὲκε μενοτόκος διδυμοτόκος αἶψα γένοιτο.

Can-

Cantic. Cap. IV. verſ. 3.

Labia tua ſimilia ſunt filo coccineo, & eloquium tuum gratioſum; tempora tua ſimilia ſunt fragmini mali punici ex coma tua (prominentia.)

Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce: ſicut fragmen mali punici, ita & genæ tuæ, abſque eo, quod intrinſecus latet.

ESt verecundæ, venuſtæ, caſtæ virgini, qualicum Sponſa confertur in Cantico, tenerrima cutis in labiis, & genis. Sunt hæc purpureis anteferenda Roſis. Transparet per vaſcula extrema purpureus latex ſanguinis, & hac ipſa amabili rubedine perfunditur mox tota facies, atque modeſtiæ ac verecundiæ idea ſeſe animo ſiſtit. Hinc eſt, quod Sponſus amaſiæ ſuæ *labia* comparet *filo coccineo*, & *genas fragmini mali punici*, diſſecto malo punico, in quo videas ſimul alborem nitentem, atque gratiſſimum ruborem. Sic & ſponſa habet purpureis æmula labra Roſis, & facies niueo pulcra colore nitet. LXX. ὡς σπαρτίον τὸ κόκκινον χείλη σε, — ὡς λέπυρον ῥοᾶς μῆλόν σε ἐκτὸς τῆς σιωπήσεώς σε. *Sicut funiculus coccineus labia tua.* — *Sicut cortex mali punici gena tua extra taciturnitatem tuam.* Notandum heic, Doctoribus Talmudicis vocari ſuperiorem genarum partem רִמּוֹנִי רַאֲתֵי, *malogranata faciei.*

Cantic. Cap. IV. verſ. 5.

Geminæ tuæ mammæ ſimiles ſunt hinnulis gemellis capreæ paſcentis inter Lilia.

Duo ubera tua, ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in liliis.

FUndatur ut venuſtas omnium totius corporis partium, geminarum in eodem, ita heic *mammarum* comparatio cum *hinnulis gemellis capreæ* ſimilitudine, imo æqualitate. De gemellorum ſimilitudine *Plautus in Menæchmorum Prologo.*

Si nati ſunt filii duo gemini,
Ita forma ſimili pueri, ubi mater ſua
Non internoſſe poſſet, quæ mammam dabat,
Neque adeò mater ipſa, quæ illos pepererat.

Ouid. Metam. L. XIII. *Fab.* 8.

Inueni geminos, qui tecum ludere poſſint,
Inter ſe ſimiles, vix ut dignoſcere poſſis,
Villoſæ catulos ſummis in montibus urſæ.

Hinc & *gemellorum* nomine veniunt *Somnus* & *Mors Homero Iliad.* π'.

Ὕπνῳ καὶ θανάτῳ διδυμάοσιν.

Sumunt & Latini *geminum* & *gemellum* pro *ſimili. Pacuuius in Hermiona* apud *Nonnium.*

Par fortitudo, gemina confidentia.

Horatius L. II. *Sat.* 3.

- - - par nobile fratrum
Nequitia & nugis, prauorum & amore gemellum.

L. I. *Ep.* 10.

- - hac in re ſcilicet una
Multùm diſſimiles, ad cætera penè gemelli.

Mammas tales ſimiles *Plautus in Friuolaria* nuncupat *ſororiantes.* Sed vult *Bochartus Hieroz.* P. I. L. III. c. 24. non integras mammas heic, ſed *papillas*, comparari cum *hinnulis gemellis capreæ paſcentis inter lilia*; & *mammas* ipſas propter earum nitentem albedinem confert *liliis*, de quibus Veteres, nata eſſe ex lacte Junonis. Notandum ὡς ἐν παρόδῳ, ſponte in Judæa & Syria naſci lilia in agris, Matth. VI. 28. κρίνα τῆ ἀγρῷ. Quadrat Textui noſtro, quæ *Calphurnius* habet *in Litigio.*

- - - en! aſpicis illum,
Candida qui medius cubat inter lilia ceruum?

De *capreis* tandem notari meretur, ut plurimùm parere unum duntaxat fœtum, ſed tamen aliquando *gemellas*, qualium mentio fit in Textu.

TAB. DCI.

Cantic. Cap. IV. verſ. 8.

Mecum à Libano, ſponſa, mecum à Libano venias, (&) ſpectes è vertice Amana, è vertice Senir & Hermon, è luſtris Leonum, è montibus Pardorum.

Veni de Libano, ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.

VOcatur *Pardus*, πάρδαλις, in Textu נָמֵר *namer*. Affinia ſunt in Oriente vocabula, ſpeciatim apud Arabes, *nimr*. Plur. *nümr*, item *nümret*, Plur. *nümer*: & *nemir*, Plur. *enmir*, *enmür*, fœmina *nemiret*. *Meninzk. Lex.* 5258. 5853. 6070. Fig. A. Animal à Tigride differens magnitudine, quâ ei cedit, & macularum figurâ orbiculatâ, quum illarum ſit virgata. Baccho olim ſacrum, teſtibus antiquis monumentis. Exhibet Fig. B. *Vibiæ* Gentis Nummum, in cujus uno latere caput liberi hedera coronatum, in auerſo C. VIBIUS VARUS. Ara, ſupra quam perſona & thyrſus, ſuper eum pedes attollit Panthera. Fig. C. *Gallieni* Numum, cujus auerſa exhibet Pantheram LIBERO P. CONS. AUG. Fig. D. *Conſtantini Maximi* Numiſma, quo Criſpum Cæſarem deuictis Francis, ferociſſima gente, hoc ſenſu comparanda cum Panthera, victoriosè reducem in Imperii curam admittit: Apud *Beger. Theſ. Brand.* Vol. III. p. 173. Fig. E. Bacchum barbatum ſeu Indicum, παλαιὸν ϗ καταπώγωνα, in Gemma Achate exciſum, cum adſitente Pantheriſco, apud eundem *Theſ. Brand.* p. 15. Animal nobilitate Leoni ſecundum, unde & ei non ſolùm heic in Textu, ſed alibi quoque in Sacris adſociatur. Jeſ. XI. 6. *Pardus cum hœdo accubabit, identidem Juuencus, Leo & pecus pingue ſimul erunt. (Pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo, & ouis ſimul morabuntur.)* Jer. V. 6. *Percutiet eos Leo de ſylua, Lupus ſolitudinum vaſtabit eos, Pardus incumbens ſuper ciuitates eorum omnem iſthinc exeuntem diſcerpet. (Percuſſit eos Leo de ſylua, lupus ad veſperam vaſtauit eos, pardus vigilans ſuper ciuitates eorum: omnis, qui egreſſus fuerit ex eis, capietur.)* Hoſ. XIII. 7. *Factus ſum eis ſicut Panthera, & ſicut Pardus, ad viam inſidiabor. (Et ego ero eis quaſi Leæna, ſicut Pardus in via Aſſyriorum.)* Junctos Leonibus Pardos inuenias quoque apud profanos Scriptores. *Homer. Iliad.* ῥ.

Οὔτ' ἔν πορδάλιος τόσσον μένος, ὅτε λέοντος.

Nec Pardi vis tanta, nec eſt vis tanta Leonis.

Actæon apud *Nonnum* L. V.

Αἴθε λέων με δάμασσεν ὀρειδρομος, Αἴθε με σύφων
Πόρδαλις αἰολένωτος ἀνέρχισεν.

Utinam me domuiſſet montanus Leo! Utinam me trahens
Vario dorſo Pardus diſcerpſiſſet!

Mei non eſt, inquirere, an *Luſtra Leonum* מְעֹנוֹת אֲרָיוֹת *meonoth arajoth*, μάνδραι λεόντων, & *montes Pardorum*, הַרְרֵי נְמֵרִים *harre nemerim*, ὄρεα παρδαλέων, fuerint certi quidam montes in Palæſtina his nominibus inſigniti? vel, an animalia hæc ferocia luſtra ſua habuerint in montibus Libano, Amana, Senir & Hermon? Locat *Brocardus* Pardorum montem milliaris diſtantiâ à Libano, teretem & altum. Nominetenus conueniunt hi montes cum *Montibus Tigridum*, *Tyger-Bergen* in Capite Bonæ Spei, ſed ita dictis à maculis, Tigrinis ſimilibus. *Kolb. Cap. Bon. Spei.* p. 65.

Can-

CANT. Cap. IV. v. 8.
Mecum à Libano Sponsa.

Hohel. Cap. IV. v. 8.
Komm, komm mit vom Libano.

I. A. Fridrich sculps.

CANT. Cap. IV. v. 13. 14.
Crocus, Curcuma.

Hohel. Cap. IV. v. 13. 14.
Saffran, Indianischer Saffran.

I. G. Pintz sculps.

Cantic. Cap. IV. verſ. 11.

Fauum ſtillant labia tua, o Sponſa, (&) mel & lac ineſt linguæ tuæ, ac odor veſtimentorum tuorum eſt, qualis fragrantia Libani.

Fauus diſtillans labia tua, ſponſa, mel & lac ſub lingua tua: & odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.

GRatum ſi quid eſt, & delicioſum, ſunt melle ſtillantes faui, mel ipſum & lac, odores fragrantes ex herbis floribusue aromaticis. Quibuscum nunc comparat Sponſus labia ſponſæ, ſapientiam, veſtes, *veſtes acu pictas, in quibus adducetur Regi*, Pſal. XLV. 15. conſpergi ſolitas & imbui odoribus fragrantiſſimis. Sumitur autem hic Libanus pro herbis & arboribus Libanicis, ſpeciatim quoque vite. Uti & Hoſ. XIV. 6. *Odor ei tanquam Libani.*

TAB. DCII.

Cantic. Cap. IV. verſ. 13. 14.

13. Emiſſiones tuæ (ſunt) Paradiſus malorum punicorum cum fructu pomorum, & (a) Cyperi cum Nardis.

(a) Cepharim non videtur Plur. à copher, i. e. caphura.

14. Nardus & crocus, fiſtula, & cinamomum cum omnibus arboribus thuriferis, myrrha & aloe, cum omnibus præſtantiſſimis aromatibus.

13. Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardo.

14. Nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum, cum uniuerſis lignis Libani, & myrrha & aloë, cum omnibus primis unguentis.

QUicquid iterum amabile, lætum, gratum, extollendæ pulchritudini Sponſæ, aliisue ejus dotibus commendandis inſeruit. *Paradiſus malorum punicorum cum fructu pomorum*, παράδεισος ῥοῶν μετὰ καρπῶν ἀκροδρύων. Heic פַּרְדֵּס *megadim* per ἀκρόδρυα vertunt LXX. Eſt autem hæc vox πολύσημος. Auctores γεοπονικῶν ἀκρόδρυα interpretantur, quæ τὸ ξυλῶδες foris habent, ut nuces. Alii de omnibus frugibus uſurpant. At *Theophraſtus* baccas & fructus ſilueſtres intelligit, atque à nucibus & malis diſtinguit: πληθούσης τῆς ἀγορᾶς προσελθὼν πρὸς τὰ κάρυα καὶ τὰ μῆλα, ἢ τὰ ἀκρόδρυα τραγηματίζεσθαι ἅμα τῷ πολλῷ προσλαλῶν. *Quando maximè frequens forum, ad nuces, mala, & ἀκρόδρυα accedens, ibique ſtans de iis comedit, ſermones interea cum eorum venditore ſerens.* Vid. *Salmaſ. in Solin.* p. 430. כֹּפֶר *Copher*, *Cyperus*, κύπερος, Cant. I. 14. נֵרְד *nerd*, *Nardus*, νάρδος, *Narden*, Cant. I. 12. כַּרְכֹּם *carcom*, κρόκος. *Crocus*, *Saffran*, planta pulchritudine, mira colorum varietate, & amplo in Medicina atque culina uſu valde commendata, odore quoque præſtantiam ſuam prodens. Nobis heic placet non tam *Crocus vulgaris*, quàm *Indicus Garciæ* C. B. *Crocus Indicus*, Arabibus *Curcum officinis. Curcuma Bontii: Curcuma Parkins. Cyperus Indicus ſiue Curcuma Ger. Kerkem, Kürkiim Arab. Perſ. Meninzk. Lex.* 3923. Hæc, deſcribente *Bontio*, folia habet lata, non abſimilia foliis hellebori albi, ſed læuia; Radicem fere Gentianæ; florem pulcherrimè purpureum, fructum echinatum inſtar caſtanearum, ſemen piſorum formâ rotundum, quod in juſculo gallinarum vel carnium hœdinarum coctum alimenti ſimul & medicamenti præſtantiſſimi vicem præſtat. Hanc radicem Indicam puluere ſantali & floribus odoratis in marmore ſubigunt in unguenti conſiſtentiam, & uniuerſum corpus tam viri quàm fœminæ inungunt, maximo contra calores febriles, ardores Solis, & culicum morſus leuamini. Sequitur קָנֶה *kaneh*, κάλαμος, *Calamus*, nobis *Fiſtula*, *Kalmus*. De quo vide Exod.

XXX. 23. קִנָּמוֹן *kinnamon*, κιννάμωμον, *Cinnamomum*, *Zimmet*: de quo l. c. לְבוֹנָה *lebbonah*, λίβανος, *Libanus*, *Thus*, *Weyhrauch*, de quo Exod. XXX. 34. מוֹר *mor*, σμύρνα, *myrrha*, אֲהָלוֹת *ahaloth*, ἀλωὴθ, *aloë*, de quibus alibi egimus abundè.

Fig. A. Crocus.
Fig. B. Curcuma.

Cantic. Cap. IV. verſ. 15.

Fons hortorum, puteus viuæ aquæ, quæ profluit è Libano.

Fons hortorum: puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano.

Beer majim chaijim בְּאֵר מַיִם חַיִּים, φρέαρ ὕδατος ζώντος, *puteus viuæ aquæ*, *ein Sod-Brunn der lebendigen Waſſeren*, non eſt puteus omnis, ex qualibuscunque aquis fortè confluis, & ſtagnando putreſcentibus, ſed cujus aquæ viuas habent ſcaturigines. Commentarii vicem præbent *Fontes Mutinenſes*, quos alibi deſcripſimus, & integro Libro explicauit *Ramazzinus de Origine Fontium Mutinenſium*. Qui ſanè egregium dant ſymbolum *aquarum è limine domus egredientium*, Ezech. XLVII. 1 - 5. Πηγῆς ὕδατος ἁλλομένης εἰς ζωὴν αἰώνιον, Joh. IV. 14. VII. 38. Apoc. XXII. 1. Donorum nempe Spiritus Sancti, quorum & ſymbolum fuere aquæ illæ per canales ſubterraneos *ex Libano profluentes*.

Cantic. Cap. IV. verſ. 16.

Surge, Aquilo, & Auſter, veni, (ac) perfla hortum meum, ut fluant aromata: veniat dilectus meus ad hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.

Surge, Aquilo, & veni, Auſter, perfla hortum meum, & fluant aromata illius. Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum.

EST variatio ventorum res maximi momenti & uſus, Sapientiæ & Bonitatis DEI euidentiſſimum τεκμήριον. Corporum noſtrorum, & ſic brutorum atque vegetabilium mutabilis in momenta mutatio hæc nociua, nî interuenerint media, & remedia. Sanitas, illa in ſpecie ad pondus, conſiſtit in æquilibrio, & hoc in indiuiſibili puncto, quod ultra citraque nequit illa eſſe firma. Lanx una præponderans releuari iterum debet alterâ grauiori pondere aucta. Vires hæ corporum naturalium mutatæ continuò vergunt ad totalem tandem & finalem noſtram conſumptionem, ſed faciunt quoque ad conſeruationem. Ita varians conſtitutio temporum anni, frigoris, caloris, humiditatis, ſiccitatis, grauitatis & leuitatis in aëre, cibi & potus; Motus & quies, ſomnus & vigiliæ, animi pathemata, & quæ hujusmodi ſunt alia. Fugandæ ſunt paſſiones, ſanitatis noſtræ infenſiſſimi hoſtes, ab oppoſitis quibusuis: Obſideri dixeris continuò fortalitium corporis noſtri, iterumque ab obſidione liberari. *Aquilone* ſpirante, ut accedam Textui, tenduntur fortius tubuli fibræque corporum animatorum, & ſimul anguſtantur: in hoc autem ſtatu perſiſtere nequit corpus absque ſanitatis detrimento: impediretur circulus fluidorum, opprimeretur cor à nimia mole ſanguinis, condenſaretur hic ipſe, & irruerent morbi innumeri. Obrigereſceremus continua hyeme, deficeret meſſis & autumnus. Sed labanti naturæ ſuccurrit *Auſter*: hoc pelli videas frigus, caleſcere omnia, relaxari fibras, promoueri circulationem, conciliari creaturis vitam. Sed nec huic vento, leni licet, concedi poteſt dominium. Luxuriarent plantæ, deciderent flores, ad maturitatem tenderent fruges præcipites nimis. *Perflandus* proin eſt naturæ *hortus* nunc ab hoc vento Cardinali, nunc ab illo, vel & ab intermediis, ſiquidem velimus gaudere fructibus benè maturis, percoctis. *Venit à Septentrione ſerenitas. (Ab Aquilone aurum venit.)* Job. XXXVII. 21. En effectum Aquilonis! ſed & Auſtri Verſ. 17. *Num intelligis — ut tuæ veſtes caleant, quum terræ quietem ac tranquillitatem inducit à Meridie? (Nunquid noſti — ut veſtimenta tua calida ſint, cum perflata fuerit terra Auſtro?)* Ex hisce præmiſſis facilis erit Præconi Verbi Diuini applicatio ad Eccleſiam CHRISTI, & perſpirantia Spiritus Sancti dona. Diſſipat *Aquilo* intellectus obſcuri, paſſionum corruptarum, vitioſorum motuum, concupiſcentiarum prauarum nebulas, & his diſpulſis læti aſpicimus veritatis

tis Solem. Ita fit Spiritus DEI *veluti ignis excoquens, & ut Borith fullonum, (quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum.)* Mal. III. 2. At ſæuientibus perſecutionum procellis, concuſſis violenter Quercubus Baſaniticis & Cedris Libani, tenſo fortiter & ad rupturam usque dolorifico Eccleſiarum ſtatu, placidus mox ſpirat ſolatiorum diuinorum *Auſter*, reficitur & liberatur oppreſſum antea cor, cadet pluuia verna & ſerotina, *deſcendet ſuper deſectum pratum, ut guttæ imbris ſenſim irrigantis terram; (deſcendet ſicut pluuia in vellus: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram.)* Pſ. LXXII. 6. *Fluent aromata*, ita quoque vertunt LXX. verba Textus יִזְלוּ בְשָׂמָיו *jizlu beſamav*, ῥευσάτωσαν ἀρώματά μου. Paulò aliter Vernacula noſtra: *Es wird ſein Geruch allenthalben hingetragen werden*, appoſitè ad ventorum efficaciam. Sed eſt ipſe Balſamicorum ſuccorum *fluxus* effectus ſuccedentium inuicem ventorum. Conſtrictis arctius ab Aquilone arborum tubulis propellitur ſuccus ille reſinoſus ad aperturas quasuis, vel ſpontaneâ rupturâ, vel inciſione factas, & hic ipſe *fluet* adſpirante Auſtro.

Cantic. Cap. V. verſ. 2.

— Siquidem caput meum repletum eſt rore, & cincinni mei guttis nocturnis.

— Quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.

DIſtinguit Scriptor Sacer טַל *tal*, δρόσον, *rorem*, propriè & κατ' ἐξοχὴν, qui matutinus eſt, à רְסִיסֵי לָיְלָה *reſiſe lailah*, ψεκάδων νυκτὸς LXX. Symmachus νυκτερινῶν, *guttis noctis*, *nocturnis*, rore ſcilicet nocturno & veſpertino, veſperi vel nocte deciduo. Sic & Arabibus *tal* eſt in genere ros, *nedan* ros matutinus, *ſedan* nocturnus. Prior Hoſ. VI. 4. & XIII. 3. vocatur טַל מַשְׁכִּים *tal maſchcim*, δρόσος ὀρθρινὴ, & Sap. XI. 23. ῥανὶς δρόσου ὀρθρινὴ, *gutta roris matutina.*

Cantic. Cap. V. verſ. 5.

— Et manus meæ ſtillauerunt myrrham, ac digiti mei (a) myrrham probam, quæ peſſulum madefecit.

(a) Myrrham tranſeuntem ſuper manus peſſuli: dicitur autem myrrha proba tranſiens, ut argentum ſiue pecunia tranſiens Gen. XXIII.

— Manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſſima, peſſulum oſtii mei aperui.

EST מֹר עֹבֵר *mor obber*, *myrrha tranſiens* ſcilicet per manus mercatorum, *eine Myrrhe, die paſſirt*, proin δόκιμος καὶ πιστικὴ, πλήρης LXX. qualis eſt liquida, optima, ſtacte.

Cantic. Cap. V. verſ. 11.

Cujus caput redimitum eſt auro obrizo, ejusque cincinni ut tiliæ, nigri ut coruus.

Caput ejus aurum optimum: comæ ejus ſicut elatæ palmarum, nigræ quaſi coruus.

ATro colore nitent coruorum plumæ, hominumque capilli: hinc κορακινον χρῶμα Græcis eſt color cum aliquo ſplendore nigerrimus, qualis in Gagate, & holoſerico. Magni autem olim æſtimati fuere hujusmodi atro-nitentes pili, & ars ipſa in eo occupata, ut illos imitari poſſet. *Martial.* L. III. *Epigr.* 43.

Mentiris juuenem tinctis, Lentine, capillis,
Tam ſubitò Coruus, qui modò Cygnus eras.

Apulejo L. II. laudatur *capillus coruina nigredine cœrulus.* Heic, in Textu, fuere Sponſi *cincinni nigri ut Coruus*, βόστρυχοι μέλανες ὡς κόραξ. Cum Hebræo קְוֻצּוֹתָיו *kerutſoth* coincidit Arabicum *kutſtſa*, denotatque cincinnos ab ante ex fron-

te pendentes. Tanti habita fuit atrorum capillorum cum Coruo comparatio, ut ipſi veteres in hac aue media quæſiuerint, quibus pilos atro colore tingere poſſent. *Plin.* L. XXIX. c. 6. *Corui ouum in æreo vaſe permixtum illitumque deraſo capite nigritiam capillis affert.* — *Alii ſanguine & cerebro ejus utuntur cum vino nigro. Alii excoquunt ipſum, & nocte concubia in plumbeum vas condunt. Ælian.* L. I. c. 48. προσακούω δὲ καὶ ὠὰ κόρακος μελαίνειν τρίχας. *Audio corui oua denigrare pilos.* Plus heic, quod quidem exiſtimo, ſubeſt ſuperſtitionis, quàm vel rationis, aut experientiæ. Solomon ſi conſideretur tanquam Typus CHRISTI conciliandus venit Textus noſter cum Dan. VII. 9. ubi *capillus capitis ejus* deſcribitur *ut munda lana.* Apoc. I. 14. αἱ τρίχες λευκαὶ ὡσεὶ ἔριον λευκὸν. Symbolum fortitudinis, qua pollet juuenis, ſunt atri, ſenilis grauitatis & prudentiæ conſummatæ albi capilli.

Cantic. Cap. V. verſ. 12.

Oculi ejus ſunt, quales columbarum ſuper alueis aquarum, quæ ſe abluunt lacte, & ſedent ad plenitudinem.

Oculi ejus ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident juxta fluenta pleniſſima.

OPerum DEI (quæ corporum naturalium Gentili nomine veniunt) perfectiſſima pulchritudo ſi commouere valet homines ad illorundem conſiderationem, ſuadere deberet eam Chriſticolis ſaltem totuplex DEI ipſius ſummi, & ſacratiſſimorum ſalutis myſteriorum comparatio cum rebus naturalibus. Ridiculi paſſim occurrunt in Judæorum & priſcorum quoque Patrum Scriptis errores, ignorantiæ in rebus phyſicis unicè tribuendi: & quoties impingunt adhuc hodie Theologi & Commentatores moderni in hunc ſcopulum? Somniat *Gregorius in Cant.* IV. degere *columbas ſuper alueis aquarum*, ut in his conſpicere queant umbras præteruolantium fortè auium rapacium, ſicque euadere ex harum inſidiis. Quibus cogitatis anſam dedit fortè fabula illa de Arabica aue *Chatipho-dhillihi*, quæ umbram ſuam intercipere conatur ſemper, ſui amore flagrans. Reddunt Judæi verba Textus יִשְׁבוֹת עַל מִלֵּאת *inſiti in plenitudine*, & volunt, eſſe columbarum oculos gemmarum ad inſtar fulgentium orbitis ſuis ita inſitos, ut eas præcisè expleant; ſed hanc veritatem de omnibus omnium aliarum auium, imo plerorumque animalium oculis enuntiare licet. Rationi & naturæ conforme magis eſt, ſi dixerimus, ad alueos aquarum conſidere frequenter columbas, non ſolùm potandi, ſed ſeſe quoque lauandi ergò. *Varro de Re Ruſt.* L. III. c. 7. ubi de columbario, *aquam puram eſſe oportet, quæ influat, unde & bibere, & ubi lauari poſſint, permundæ enim ſunt hæ volucres.* Et notandum, מִלֵּאת ſignificare plenam aquam, alueum aquâ plenum. Hac autem lotione mundantur columbæ & candidæ fiunt, בֶּחָלָב *bechalabh*, quaſi *lacte* ſuperfuſæ, *ablutæ*, λελουσμέναι ἐν γάλακτι.

Cantic. Cap. V. verſ. 13.

Ejus malæ ſimiles ſunt areolis aromatum, & (a) turribus ſeplaſiariæ officinæ: labia ejus ut lilia, nec non ſtillantia myrrham probam.

(a) Turres, pro quibus Hieron. conſitæ, pyxides & loculi poſſunt intelligi, quales in officinis & tabernis unguentariis, vel ubi creſcunt ſpecies aromaticæ.

Genæ illius ſicut areolæ aromatum, conſitæ à pigmentariis: labia ejus lilia diſtillantia myrrham primam.

DE Parabolis Solomoneis genuinus formandus eſt conceptus ex Orientalium Climatum & Linguarum, Arabiæ præſertim, genio, haud rarò tamen in obſcuro manent non probè informatis de indole locorum, & creſcentium ibi plantarum. Ita ſanè haud adeò facile eſt dicere, quid ſint *lilia ſtillantia myrrham probam*, κρίνα στάζοντα σμύρναν πλήρη, Aquila ἐκλεκτὴν, *ſelectam*, Symmachus πρωτείαν, *primam*, quum hodie nil quicquam conſtet de lilio qualiscunque coloris, vel Iride, unde defluat myrrha. Et non, meo judicio, huc quadrat niſi *Aloe* magna, liliaceis, iisque ſucco balſamico ſtillantibus ſuperba, digniſſi-

gniſſima ſanè, quæ ob pulchritudinem ſuam Solomoneis hortis inferatur, ut hodie magnâ curâ in viridariis Regum & Principum Europæorum colitur, admirationi omnibus tum ob magnitudinem ſuam, quâ alias plantas vincit, tum ob florum elegantiam & numerum bis terue millenarium, tum ob ſuccum dulcem, in receſſu acidum, inde ſtillantem. Legatur *Scarella Ragguaglio intorno al Fiore dell' Aloe Americana*, & *Vallisnerius* nelle ſue *Eſperienze & Oſſervazioni*. Deſcribitur planta ipſa in *Muntingii Aloidario* P. I. titulo *Aloes mucronato folio Americanæ majoris*. Commouit florum myrrham ſtillantium in qualibuscunque liliis defectus Interpretes, ut ſejunxerint, quas nos jungimus, ideas verborum, quæ occurrunt in Textu. Ita Cl. *Hiller. Hieroph.* P. II. p. 25. hunc reddit ſenſum: *Genæ ejus ſicut areolæ aromatum, ſicut puluini pigmentorum. Similia ſunt labia ejus liis: labia ejus ſtillant myrrham tranſeuntem.* Intellectu facilior eſt comparatio *malarum* cum *areolis aromatum*, & *turribus ſeplaſiariæ officinæ*. LXX. Σιαγόνες αὐτῆ ὡς φιάλαι τῆ ἀρώματος Φύσσαι μυρεψικαὶ, *maxillæ ejus ſicut phialæ aromatis germinantes unguentaria*. Aquila πρασιαὶ, *ſulci*. Sunt nempe עֲרוּגַת הַבֹּשֶׂם *areolæ aromatum*. עֲרוּגָה *arugah* eſt πρασιὰ, *areola horti*, ſed intelligi quoque poteſt pyxis qualiscunque, vel phiala quadrata, aliterque figurata, pretioſis aromatibus referta. Difficilius eſt dictu, quid ſint מִגְדְּלוֹת מֶרְקָחִים, *migdeloth mærkachim*. Nos vertimus, *turres ſeplaſiariæ officinæ*, *Gewächſe der Apotheckeren*. Hieronymus pyxides & loculos, quales in officinis & tabernis unguentariis; alii aliter. Quidſi huc traxeris turres illas conditorum fructuum vel aromatum, in lautis conuiuiis cœnæ ſecundæ loco apponi ſolitas, pyramidales?

Cantic. Cap. V. verſ. 14.

Manus ejus (ut) orbes aurei, habentes incluſum hyacinthum: viſcera ejus ut alabaſtrum eburneum, ſapphiris contectum.

Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis: venter ejus eburneus, diſtinctus ſapphiris.

OCcurrunt heic iterum difficultates, vix niſi per conjecturas ſoluendæ. Sunt תַּרְשִׁישׁ *tharſchiſch*, & סַפִּיר *ſapphir* gemmæ in pectorali Aharonis conſpicuæ, ad quod Lectorem ablego. *Manus ejus*, inquit Solomon, *ut orbes aurei, habentes incluſum hyacinthum.* LXX. χεῖρες αὐτῆ τορευταὶ χρυσαὶ πεπληρωμέναι βαρσὶς, *manus ejus tornatæ aureæ, impletæ tharſis*; Symmachus, πλήρεις ὑακίνθων, & Vulgata, *plenæ Hyacinthis*, Sexta Editio, χρυσολίθων, *Chryſolithis*, qui & placent *Braunio*, Latinæ noſtræ *Hyacinthi*, Vernaculæ *Turcois*, *Türkis*. גְּלִילִים vel גְּלִילִי, *gelilim*, *gelile*, annuli ſunt, ex quibus pendebant aulæa funiculis ſericeis. Prætendunt Interpretes, non tam intelligi debere annulos, quales hodie digitis geſtari ſolent, cum gemmis inſertis; ſed potius cum prioribus illis conferas orbem, quem manus pollex cum indice format.

Notior eſt סַפִּיר *Sapphirus*, qui & nomen retinuit & omen. *Viſcera ejus ut Alabaſtrum eburneum, ſapphiris contextum.* LXX. Κοιλία αὐτῆ πυξίον ἐλεφάντινον ἐπὶ λίθῳ σαπφείρῳ. Candida nitensque cutis percommodè confertur *ebori*. Nos Germani, *er hat einen Leib wie Elffenbein*. De collo *Ouidius Met.* III.

Impubesque genas, & eburnea colla.

De Æneæ manibus *Virgilius Æn.* L. I.

Quale manus addunt ebori decus.

De hera ſua laudat ancilla apud *Plautum Moſtell. Act.* 1. *Scen.* 3. ebore eſſe candidiorem, & ceruſſam ipſam, quâ ceu fuco ſeſe oblinunt puellæ vulgares, certo mercabiles ære, atramentum dici poſſe collatum cum illius albo nitore:

Phi. *Cedo Ceruſſam.* Sc. *Quid Ceruſſa opus nam?*
Phi. *Qui malas oblinam.*
Sc. *Una opera Ebur atramento candefacere poſtulas.*

Heic Solomon ventrem ſponſi, ita *Braun. Veſtit. Sacerd. Hebr.* L. II. c. 12. & 17. Scilicet, in quo videas ſapphirini coloris venas ex alba cute pronitentes. Ex hoc ipſo proin Textu colligere licet, non rubri eſſe coloris ſapphirum, ſed cœrulei. Theologis autem per me licet, Eboris nomine intelligere CHRISTI humanam naturam, & Sapphiri diuinam: vel nitenti Ebore adumbrare ſponſi ſanctitatem & innocentiam, ut Sapphiro plagas, vulnera, ecchymomata. Quadrat huc Germanorum phraſis, *einen braun und blau ſchlagen.*

Cantic. Cap. V. verſ. 15.

Crura ejus ut columnæ marmoreæ, ſuffultæ baſibus ex obrizo auro: aſpectus ei quaſi Libanus, & ſtatura eminet ut Cedri.

Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas: ſpecies ejus ut Libani, electus ut Cedri.

NIhil inuoluit hic Textus difficultatis: Obuerſabantur oculis ditiſſimi & ſapientiſſimi Regis quotidie columnæ ex pretioſo marmore aureis baſibus ſuffultæ, quibuscum comparat crura Sponſi, quæ *virorum validorum* nomine veniunt eidem Eccleſiaſt. XII. 3. qui in ultima ætate *vacillant.* Suffulciunt nempe hæc corpus, ut illæ ædificium. Proſpectus, quo gaudebat in Libanum montem, Cedris totum tunc temporis obſitum, anſam dabat comparandi hisce totam Sponſi formam ſeu *ſtaturam*, non faciem, *das Angeſicht*, duntaxat, quam Vernacula noſtra habet. Εἶδος αὐτῦ ὡς Λίβανος, ἐκλεκτὸς ὡς Κέδροι.

Cantic. Cap. VI. verſ. 5. 6.

5. Dentes tui ſimiles ſunt gregi ouium, quæ aſcenderunt à lauacro, quæ uniuerſæ gemellos pariunt, nec eſt inter eas effœta.

6. Tempora tua ſimilia ſunt (a) fragmini mali punici, promicantia ex coma tua.

(a) Hieron. Sicut cortex mali punici, ſic genæ tuæ absque occultis. Paulò aliter tamen 4. Cap.

5. Dentes tui ſicut grex ouium, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.

6. Sicut cortex mali punici, ſic genæ tuæ absque occultis tuis.

Vid. Cantic. Cap. IV. verſ. 2. 3.

Cantic. Cap. VI. verſ. 9.

Quæ eſt illa, quæ proſpectat ſicut aurora, formoſa ut Luna, electa ut Sol, formidabilis ut acies inſtructæ?

Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata?

AMpla heic foret occaſio loquendi de *Aurora*, roſeo ſpectabili ore, de fulgore *Solis* & *Lunæ*, imò & de *Aurora* illa *Boreali*, quæ pyramidibus ſuis ignitis, & jactatis hinc inde flammis, exercitum benè ordinatum, imo acies dimicantes repræſentat, *formidabilis ut acies inſtructæ*, θάμβος ὡς τεταγμέναι, Symmacho ἐπίφοβος μετὰ σίφας, *terribilis cum acie*; ἐπιφανὴς ὡς μεγαλυνόμεναι, *illuſtris, ſicut illæ, quæ magnificantur*: καταπληκτικὴ ἐν μεμεγαλυμμέναις, *terrefaciens inter eas, quæ ſunt magnificatæ.* Quinta & Sexta τῶν LXX. Editio. Sed de his omnibus diſſerui alibi abundè, & foret fortè tractatio de Aurora boreali extra rhombum.

TAB.

CANT. Cap. VI. v. 10.
Hortus Nucum.

Hohel. Cap. VI. v. 10.
Der Nuß-Garten.

I. G. Pintz sculps.

TAB. DCIII.

Cantic. Cap. VI. verſ. 10.

Ad hortum nucum deſcendi, ut ſpectarem virentes plantas ad torrentem, ut viderem, num germinet vitis, (&) num floreant mali punicæ.

Deſcendi in hortum nucum, ut viderem poma conuallium, & inſpicerem, ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica.

OCcurrit in Textu vox אֱגוֹז *egoz*, quam καρύαν, *nucem*, ſpeciatim *juglandem* vertunt, & rectè. Uſitata eſt adhuc hæc, vel affinis, vox pro juglande in Oriente, qua latè ferè patet. Perſæ dicunt & legunt *guz*, *goz*, *kewz*, *gewz*, *kewiz*, *gewiz*, *kewiiz*, *kuz*, Arabes *gewz*, *gewzi rumi*, *gewzi aghagi*, Turcæ *gewiz*, *koz*. *Meninzk. Lex.* 4068. 4071. 1677. 3793. Et quemadmodum in Occidente voces, κάρυον, *Nux*, *Nuß* (fortè ex ipſo Oriente ad nos deriuatæ, mutata ɔ in N.) generatim denotant omnem fructum corio duriore vel putamine tectum, quales ſunt auellanæ, juglandes, caſtaneæ, terebinthus, piſtacia, ſic & in Oriente *Koz kabugby* Turcis eſt nux, putamen, *kuzi ſekawine*, *cetin koz*, nux dura, *liibbi gewiz*, *nucis nucleus*. Id. 3670. 4072. 4142. 5563. Nux Indica magna, *Cocos*, (quæ vox videtur ad Indos ex Perſia & Arabia delata) *ceaghuze*, *cæghuze* Turc. Id. 6029. Nux Moſchata iisdem *gewzi büwwa*, *bindi gewiz*, *hind gewizi*, *gewzut-tyb*. Id. 5970. Hujusmodi nomina benè multa habent Græci, Latini, Germani, Nationes aliæ. Illuſtrando Textui id facit, quod nucifera admodùm fuerit Palæſtina, ſpeciatim Genneſaritica Regio, teſte *Joſepho Bell. Jud.* L. III. c. 35. In hujusmodi nucetum, *hortum nucum*, Κῆπον καρύας, ſeu juglandium, ſeu auellanarum, deſcenderat Sponſus oblectamenti ergo, tempore verno, quo *germinat vitis*, *florentque mali punicæ*, ἰδεῖν εἰ ἤνθησεν ἡ ἄμπελος, ἐξήνθησαν αἱ ῥοαί.

— *Circum colles camposque per omnes*
Florida fulſerunt viridanti prata colore.

Siſtit Tabula præſens *juglandem*, cujus characteres conſpiciuntur ad marginem.

Cantic. Cap. VII. verſ. 13.

Mandragoræ fragrant, & pro foribus noſtris omnia poma ſunt: tam noua enim quàm vetera tibi repoſui.

Mandragoræ dederunt odorem: in portis noſtris omnia poma: noua & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi.

Vid. Gen. Cap. XXX. verſ. 14.

PROPHETA JESAIAS.

TAB. DCIV.

Jes. Cap. I. vers. 3.

Agnoscit bos Dominum suum, & asinus præsepe heri sui, at Israel non agnoscit, populus meus sese non intelligit.

Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.

EST deuotâ attentione dignissimum alloquium DEI v. 2. *Audite cœli, ausculta tellus, quoniam DOMINUS loquitur.* Aures habeant oportet cœli, aures terra, si quidem velint, vel debeant, audire loquentem DOMINUM, imo tribuendus est illis intellectus, sermo, siquidem jussa DEI debeant exequi. Si *cœli enarrant Gloriam DEI, & extensio opus manuum ejus annuntiat. (Cœli enarrant Gloriam DEI, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.)* Ps. XIX. 1. Si *jubilant stellæ.* Job. XXXVIII. 7. Si sensu proprio DEI laudes concelebrent Cœli, Sol, Luna, Stellæ, ratione carere haud possunt. Ita & heic: si *bos agnoscit Dominum suum, & asinus præsepe heri sui,* ἔγνω βᾶς τὸν κτησάμενον, καὶ ὄνος τὴν φάτνην τῶ κυρίε αὐτᾶ, habebunt, quod volunt, qui pro brutorum ratione militant. Specimina en consequentiarum, quas incauti ex sensu literali formant præcipites! Est decantatio laudum, de qua heic, materialis, si ita loqui licet, ἄλογος, non λογικὴ. Artificem opus commendat, *das Werck lobet den Meister*, sed laudat & hic opus suum, sed impar prorsus est utriusque ratio. Ibi quiuis sanâ mente præditus ex artificiosa automati structura judicare potest facile, pollere horologiopœum ingenio, judicio, arte. Sed heic nouit hic ipse rationem reddere de suo artificio, de structura & usu singularum rotarum, elateris, ponderum appensorum, numero dentium, connexione & motu partium. Celebrant laudes DEI creaturæ omnes alogæ, sed absque ratione, executioni dant illius mandata, quæ haud intelligunt, mouentur juxta præscriptas leges, & adeò quidem exactè, ac si haud exiguâ, imo summâ præditæ essent ratione. DEUS ipse, mundi Architectus, gloriatur de suis operibus, quorum ideas ab æternitate possidebat in intellectu suo infinito, purissimo, nunquam non præsentes, ex nihilo in entia commutauit realia in creatione, & adhuc potentissimo suo Verbo conseruat. Nos quoque mortales laudamus & artificem, & opera infiniti artificii, sollicitâ indagine, consideratione structuræ & qualitatum, quæ ipsa nos ducit ad cognitionem DEI. Agnoscit bos Dominum suum, & homo bouem, DEUS & hunc & illum. Sed laudare bouis & asini est merè materiale, hominis rationale, DEI infinitè perfectum. De boue consimilia legas in *Florentini Geoponicis* L. XVII. οἱ δὲ βόες καὶ τὴν φωνὴν τῶ βακόλε γνωρίζασι, καὶ καλέμενοι τοῖς ἐπιτεθείσιν ὀνόμασι συνίασι, καὶ ἀποκλίνεσι πρὸς τὰ ἐπιταττόμενα παρὰ τῶ ἐπιτάκτε. *Boues etiam bubulci vocem nouerunt, propriisque vocati nominibus intelligunt, & attendunt ad præfecti jussa. Oppianus* de equo *Cyneget.* L. I.

Αἰὲν γινώσκεσιν ἑὸν φίλον ἡνιοχῆα,
Καὶ χρεμέθεσιν ἰδόντες ἀγάκλυτον ἡγεμονῆα.

Charum suum aurigam semper agnoscunt,
Et inclyto rectore viso adhinniunt.

At Israel, inquit DOMINUS, *non agnoscit, populus meus sese non intelligit.* Ἰσραὴλ δὲ με οὐκ ἔγνω, καὶ ὁ λαός με οὐ συνῆκεν. Antithesis rara prorsus & sui generis: bina hæc stupida bruta, bos & asinus, cognoscunt, quod quidem cognoscere debent, agunt, quod agendum incumbit: ille aratro admoueri se patitur, hic grauia sibi imponere onera, quibus tantùm non succumbit. Quin imo tota natura ἄλογος operatur continuò ad fines certos, constitutos, sed sibi ignotos. Sed homo, κτίσεων nobilissima, ad DEI imaginem condita, ratione & infiniti artificii corpore prædita, omnium aliarum creaturarum causidicus; imò Israel, peculium DEI, DEUM non agnoscit, neque sese suaque officia, neque DEUM intelligit. Tristissimum en, commiseratione quidem, sed & damnatione dignum statum! Ps. XLIX. 21. de Judice indigno, idiota, legitur: *Homo, quum sit pretiosus & nobilis, non expendit: similis ergo erit jumentis, quæ prorsus intereunt. (Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus,*

IES. Cap. II. v. 20.
Sciurus volans.

Jes. Cap. II. v. 20.
Fliegendes Eichhorn.

I. G. Pintz sculps.

bus, & similis factus est illis.) Heic adhuc conuenientia quædam foret, vel æquatio, inter homines & bruta. Sed in Textu nostro detruditur homo infra bruta, imò infra stupidissima omnium reponitur natio integra. Ita & Jer. VIII. 7. *Equidem Ciconia in aëre nouit sua stata tempora, turtur, grus & hirundo obseruant tempus profectionis suæ, at populus meus non cognouit judicium* DOMINI. *(Miluus in cœlo cognouit tempus suum: turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit judicium* DOMINI.)

Jes. Cap. I. vers. 18.

Adeste, quæso, & disputemus; dicit DOMINUS. Si peccata vestra fuerint ut coccus, niue reddantur albidiora: si rubent instar purpuræ, sicut natiua lana fiunt.

Et venite, & arguite me, dicit DOMINUS: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, quasi lana, alba erunt.

OCulis scrutatoris Naturæ illucent heic *coccus, purpura, nix, lana.*

De flammantibus *cocci* & *purpuræ* coloribus egimus abundè ad Exod. XXV. 4. ubi, & alibi quoque, conjuncta videas, quæ heic separata leguntur, תּוֹלַעַת שָׁנִי *tholaath schani*, & in Vernacula nostra reddantur, ibi *Scharlach*, *rosinroth*, heic loci *Scharlach*, *Purpur*. Vult *Braunius Vestit. Sacerd. Hebr.* L. I. c. 9. & 15. L. II. c. 27. non denotare hæc vocabula colores distinctos ab inuicem, sed unicum duntaxat, quem ipsum tamen non sub una idea concipiunt omnes. Prætendit *Abarbanel ad Legem Parascha Thruma*, esse natiuum serico pulcherrimumque colorem, ab omni artis lenocinio immunem, quod, qui sericum viderunt vel tractarunt unquam, haud admittunt; est quippe ejus color albus, vel flauus, albidior semper, si transeat per artificum manus. Ex Textu nostro clarum, intelligi debere colorem ex rubris, *si peccata vestra fuerint ut coccus*, ἐὰν ὦσιν αἱ ἁμαρτίαι ὑμῶν ὡς φοινικᾶν, ἐὰν δὲ ὦσιν ὡς κόκκινον, pressius Vernacula, *wann euere Sünden so roth wären als Scharlach, wann sie brunnen wie Purpur.* Consentiunt Interpretes tam Judæi quàm Christiani. LXX. תּוֹלַעַת *tholaath* κόκκινον. Vulgata *coccinum*, qui color est *carmesinus*, Gallorum *cramoisi*, Germanorum *Kermesin*, color igneus; Philo κόκκινον comparat πυρὶ. Eodem sensu sumitur alterum vocabulum שָׁנִי LXX. φοινικᾶν. Hieronymo teste, Judæi coccum שׁן *schen* vocant. Erit igitur תּוֹלַעַת שָׁנִי cocci vermiculus coloris ignei. De quo plura l. c.

Haud morantur nos *nix* & *lana*. Textus originalis duntaxat habet צֶמֶר *tsemer*, *lanam*, sed subintelligi debet *alba*. Tinctoribus notum, nullos assumere colores lanam nigram, albam è contra omnes. Album quoque colorem volunt circumstantiæ Textus. Confer Dan. VII. 9. *vestimentum candidum erat ut nix, & capillus capitis ejus ut munda lana.* Locus parallelus, idemque est Apoc. I. 14. ἡ κεφαλὴ αὐτοῦ καὶ αἱ τρίχες λευκαὶ ὡσεὶ ἔριον λευκὸν, ὡς χιών. Ps. CXLVII. 16. *Dat niuem tanquam lanam.*

Rabbinos si consulamus, significatur in Textu linguæformis illa ignei coloris ex panno lacinia, quæ duorum Siclorum pondere alligari debebat hirco mittendo in desertum: qualis & affigi solebat portæ exterioris, vel & interioris, atrii: tradunt autem Doctores illi de illa, signum fuisse remissionis peccatorum, si albuerit. Legatur *Gemara in Joma* c. 6. Miraculum, quod cessasse dicunt 40. annis ante destructionem Templi, indicio destruendi cultus ceremonialis per CHRISTUM. Christicolis nobis, certiori sensu, eoque solatii pleno, significatur expiatio peccatorum per sanguinem CHRISTI, utpote qui καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας 1. Joh. I. 7. Apoc. I. 6. λευκαίνει τὰς στολὰς Apoc. VII. 14.

Jes. Cap. I. vers. 22. 25.

22. Argentum tuum scoria factum est, & merum tuum aqua vitiatum.

25. Et admoliar manum meam tibi, & excoquam ad purum putum

22. Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua.

25. Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum sco-

bus, & similis factus est illis.) Heic adhuc conuenientia quædam foret, vel æquatio, inter homines & bruta. Sed in Textu nostro detruditur homo infra bruta, imò infra stupidissima omnium reponitur natio integra. Ita & Jer. VIII. 7. *Equidem Ciconia in aëre nouit sua stata tempora, turtur, grus & hirundo obseruant tempus profectionis suæ, at populus meus non cognouit judicium* DOMINI. *(Miluus in cœlo cognouit tempus suum: turtur & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit judicium* DOMINI.)

Jes. Cap. I. vers. 18.

Adeste, quæso, & disputemus; dicit DOMINUS. Si peccata vestra fuerint ut coccus, niue reddentur albidiora: si rubent instar purpuræ, sicut natiua lana fiunt.

Et venite, & arguite me, dicit DOMINUS: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, quasi lana, alba erunt.

OCulis scrutatoris Naturæ illucent heic *coccus, purpura, nix, lana.*

De flammantibus *cocci* & *purpuræ* coloribus egimus abundè ad Exod. XXV. 4. ubi, & alibi quoque, conjuncta videas, quæ heic separata leguntur, תּוֹלַעַת שָׁנִי *tholaath schani*, & in Vernacula nostra redduntur, ibi *Scharlach*, *rosinroth*, heic loci *Scharlach*, *Purpur*. Vult *Braunius Vestit. Sacerd. Hebr.* L. I. c. 9. & 15. L. II. c. 27. non denotare hæc vocabula colores distinctos ab inuicem, sed unicum duntaxat, quem ipsum tamen non sub una idea concipiunt omnes. Prætendit *Abarbanel ad Legem Parascha Thruma*, esse natiuum serico pulcherrimumque colorem, ab omni artis lenocinio immunem, quod, qui sericum viderunt vel tractarunt unquam, haud admittunt; est quippe ejus color albus, vel flauus, albidior semper, si transeat per artificum manus. Ex Textu nostro clarum, intelligi debere colorem ex rubris, *si peccata vestra fuerint ut coccus*, ἐὰν ὦσιν αἱ ἁμαρτίαι ὑμῶν ὡς φοινικᾶν, ἐὰν δὲ ὦσιν ὡς κόκκινον, pressius Vernacula, *wann euere Sünden so roth wären als Scharlach, wann sie brunnen wie Purpur*. Consentiunt Interpretes tam Judæi quàm Christiani. LXX. תּוֹלַעַת *tholaath* κόκκινον, Vulgata *coccinum*, qui color est *carmesinus*, Gallorum *cramoisi*, Germanorum *Kermesin*, color igneus; Philo κόκκινον comparat πυρὶ. Eodem sensu sumitur alterum vocabulum שָׁנִי LXX. φοινικᾶν. Hieronymo teste, Judæi coccum שֵׁן *schen* vocant. Erit igitur תּוֹלַעַת שָׁנִי cocci vermiculus coloris ignei. De quo plura l. c.

Haud morantur nos *nix* & *lana*. Textus originalis duntaxat habet צֶמֶר *tsemer*, *lanam*, sed subintelligi debet *alba*. Tinctoribus notum, nullos assumere colores lanam nigram, albam è contra omnes. Album quoque colorem volunt circumstantiæ Textus. Confer Dan. VII. 9. *vestimentum candidum erat ut nix, & capillus capitis ejus ut munda lana.* Locus parallelus, idemque est Apoc. I. 14. ἡ κεφαλὴ αὐτοῦ καὶ αἱ τρίχες λευκαὶ ὡσεὶ ἔριον λευκὸν, ὡς χιών. Ps. CXLVII. 16. *Dat niuem tanquam lanam.*

Rabbinos si consulamus, significatur in Textu linguæformis illa ignei coloris ex panno lacinia, quæ duorum Siclorum pondere alligari debebat hirco mittendo in desertum: qualis & affigi solebat portæ exterioris, vel & interioris, atrii: tradunt autem Doctores illi de illa, signum fuisse remissionis peccatorum, si albuerit. Legatur *Gemara in Joma* c. 6. Miraculum, quod cessasse dicunt 40. annis ante destructionem Templi, indicio destruendi cultus ceremonialis per CHRISTUM. Christicolis nobis, certiori sensu, eoque solatii pleno, significatur expiatio peccatorum per sanguinem CHRISTI, utpote qui καθαρίζει ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας 1. Joh. I. 7. Apoc. I. 6. λευκαίνει τὰς στολὰς Apoc. VII. 14.

Jes. Cap. I. vers. 22. 25.

22. Argentum tuum scoria factum est, & merum tuum aqua vitiatum.

25. Et admoliar manum meam tibi, & excoquam ad purum putum

22. Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aqua.

25. Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum sco-

ſcoriam tuam, & auferam omne (a) ſtannum tuum.

(a) Alii plumbum legunt.

riam tuam, & auferam omne ſtannum tuum.

DOcent nos, qui vel parum ſunt in δοκιμασίᾳ metallorum verſati, בְּדִיל *bedil* v. 25. non eſſe *ſtannum*, quod Verſiones noſtræ habent, utpote quod ab argento & auro non facile ſeparari poteſt absque combuſtione ſtanni. Intelligimus proin, quod & Latinæ Gloſſa ſiſtit, *plumbum*, vel Lithargyrium, aliudue additamentum, quo proceſſu non ſolùm plumbum venis additum, ſed quæuis aliæ heterogeneæ impuritates igne diſpelluntur, ut tandem argentum purum putum, *Blick- und Brand-Silber*, in teſta remaneat.

Jeſ. Cap. II. verſ. 20.

In illo die abjiciet homo idola ſua argentea, & idola ſua aurea, quæ ſibi fecerant, ut ea colerent, in foramina talparum & veſpertilionum.

In die illa projiciet homo idola argenti ſui, & ſimulachra auri ſui, quæ fecerat ſibi, ut adoraret, talpas & veſpertiliones.

CHaphorpheroth חֲפוֹרְפֵּרוֹת reddimus nos *Talpas*, *Schär-Mäuſe*, ſed diſcerpunt alii hanc vocem in duas, ſenſumque ſimul mutant, ita Arias לַחְפּוֹר פֵּרוֹת *lachpor pheroth*, *ad fodiendum foſſas*, vel ſcrobes. Certum eſt, vetuſtiſſimos Interpretes pro unica legiſſe voce, licet eam non uno explicauerint ſenſu. LXX. μάταια, *vana*, Aquila habet ὄρυγας, *foſſuras*, Symmachus ἄκαρπα, *infructuoſa*, Theodotion incertus, quò ſe verteret, ſeruauit Hebræam vocem ἀφαφερεὼθ. Verſiones noſtræ, quas & adoptat *Bochartus Hieroz.* P. I. L. III. c. 35. nituntur authoritate *Hieronymi*, R. *Solomonis*, & radice חָפַר *chaphar*, *fodere*. Commodè in eadem ſocietate locantur *talpæ* & *veſpertiliones*, utræque murium habent Epitheton apud Germanos, *Schär-Mäuſe*, *Fleder-Mäuſe*, & ſunt hi mures volantes. *Varro* apud *Nonnium* in *Agathone*: *Factus ſum veſpertilio, neque in muribus planè, neque in volucribus ſum.* Apud *Æſopum* veſpertilio à muſtela pro aue captus fruſtra ſe liberare conatur hoc prætextu, ſe non eſſe ex auium, ſed murium genere, ἐκ ὄρνις, ἀλλὰ μῦς εἶναι. Italis hoc animal audit *ratto penago*, mus alatus, Hiſpanis *morcego*, mus cæcus, Gallis *chauve-ſouris*, mus caluus. Conueniunt & in hoc animalia hæc, quod uti talpa ſub terra, ita veſpertiliones in cauernis degant ſubterraneis,

- - - lucemque peroſi
Nocte volant, ſeroque tenent à veſpere nomen.

Ouid. Met. L. IV. *Fab.* 12. In hodiernis Orientalium Gentium linguis non occurrit inter talparum veſpertilionumue nomina, quod חֲפוֹרְפֵּרוֹת noſtro ſit affine. Quadrant interim, quæ hactenus attulimus, illuſtrando Textui. *In illo die*, inquit Propheta, *abjiciet homo idola ſua argentea, & idola ſua aurea, quæ ſibi fecerant, ut ea colerent, in foramina talparum & veſpertilionum.* τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐκβαλεῖ ἄνθρωπος τὰ βδελύγματα αὐτῶ τὰ ἀργυρᾶ, καὶ τὰ χρυσᾶ, ἃ ἐποίησαν προσκυνεῖν τοῖς ταλαίοις καὶ ταῖς νυκτερίσι. *Die illa ejiciet homo abominationes ſuas argenteas, & aureas, quas fecerunt, ad adorandum vana, & veſpertiliones:* id eſt, ex altiori altarium loco præcipitabunt in loca tenebricoſa, abdita, ut occaſio ſuperſtitioſis præripiatur ſeſe contaminandi. Videntur autem Judæi prouerbiali hac locutione *talpis & veſpertilionibus aliquid objicere*, indicaſſe extremum contemptum. Ita *defoderat* Jacob *omnes Deos alienos, quos habuerunt* domeſtici ſui, *inaures quoque, quæ erant in auribus illorum, ſubter quercum, (terebinthum) quæ erat juxta (poſt) Sichem*, Gen. XXXV. 4. id eſt, relegabat ad talpas. Solemus & nos Germani de homine ad tumulum properante dicere, *er muß den Schär-Mäuſen zu, oder, zu Theil werden.* Planior eſt hæc, & ſimplicior, naturæ quoque rerum conuenientior, exegeſis, quàm Hieronymi illa, LXX. virali Textu fundata, qui vult, abjecturum hominem Deos argenteos & aureos, & adoraturum talpas atque veſpertiliones. Nullibi enim leguntur adorata hæc animalia, ne apud Ægyptios quidem, qui ad contemptibiles maximè creaturas usque deſcenderant.

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat?

Sunt, referente *Kanoldo Breſsl. Samml. Suppl.* II. p. 99. quibus pro talpa heic placet *Cricetus*, *der*

der Hamster, *Furo* & *Furunculus* aliàs dictus, quia plurima furatur & comportat in suos specus. Descriptionem legas tum l. c. tum XVII. *Versuch.* p. 287. XVIII. 605. XXI. 301. XXXV. 211.

Talpæ & *vespertilionis* icones dedi alibi. Hac vice Lectori curioso sisto iconem simul & descriptionem *Sciuri volantis* seu *Muris Pontici* aut *Scythici* Gesneri, siue *Vespertilionis admirabilis Bontii*, quas mecum beneuolè communicauit Naturæ simul & Juris Consultus præcellens *Klein*, Inclytæ Reipublicæ Gedanensis à Secretis, qui patietur facilè, pro suo erga Rem Literariam publicam, speciatim verò Historiam Naturalem affectu, ut ex Scripto mihi transmisso ea excerpam, quæ ad notitiam exactam hujus animalis faciunt. *Ex Sciuris volatilibus*, ita Amicus haud ex multis, *alterum inuenio in* Catalogo & descriptione animalium Leuini Vincentii 1726. p. 8. Centur. I. n. 92. *sub nomine* Sciurus Virginiensis volans. *Interim Amicus quidam mihi retulit*, Henricum Sperling, *Londinensem*, *Sciurum Virginiensem habuisse*, *qui per integram hyemem dormitans nonnisi admoto calefactorio quodam euigilaret*, *ubi pedem unum alterumque mouerat*, *usque dum plenè expergefactus vitam rursus agere videretur*. *Sciuri* volantis *in Carolina meminit etiam* Lawson *in Historia sua*, *& in Museo Regali*, *quod Dreßdæ asseruatur*, *existit Sciurus volans ex Ingria*. *Alterum* Gesnerus de Quadrup. p. 743. Murem Ponticum aut Scythicum, siue Sciurum volantem & alatum *appellat*. *Animal ipsum non vidit*, *sed tantùm cutem expansam*, *quam etiam delineari curauit*. *Dabo aliquam hujus ultimi Historiam*. *Superiori Anno* 1727. 19. *Mart. Serenissimo Poloniarum Regi*, Augusto II. *dico*, *ejusmodi* Sciuri volantes *viui à Capitaneo* Minscensi, Johanne Ignatio Zawisza, *Varsauiæ fuerant oblati*: *Hos obseruauit*, *&*, *alterum eorundem mortuum examini subjecit Magnificus* à Heucher, *Consiliarius Aulicus & Archiater Regius*, *ejusdemque figuram corporis expansi*, *nec non sceleton delineatum mecum communicauit*. *Eodem anno Celsissima* Princeps Radziuilia, *supremi olim Cancellarii Magni Ducatus Lithuaniæ Illustrissima Conjux*, *Hortum & Museum meum præsentiâ suâ illustrans*, *ejusmodi animalculum viuum mihi promisèrat*, *quod etiam præterita æstate anni præsentis* 1728. *curante Clarissimo* Flœrcke, M. D. *& Archiatro Principis obtinui*, *vitam adhuc agens*. *Quod ad patriam ejus attinet*, *ortum suum habet ex syluis* Capitaneatus Kriczouiensis, *Districtus* Mohilouiensis, *in confiniis* Russiæ. *Ajunt autem Mohilouienses*, *hæc animalia cauas inhabitare quercus*, *& musco betularum congesto*, *eidem se inuoluentia*, *per integram diem dormire*, *noctu verò lætari*, *escamque sibi quærere*. *Hinc fieri*, *ut sequentem in modum capiantur*: *Ubi venatores judicant*, *Sciurum latitare*, *in quadam arbore caua*, *retia ad foramina ex arbore exeuntia applicant*, *&*, *circa radicem arboris*, *ad truncum cauum ignem excitant*. *Quamprimum ergo fumus in arborem surgit*, *& cauitates permeat*, *illico Sciuri derelinquunt nidum*, *retibusque irretiti in terram decidunt*, *& venatoribus in prædam cedunt*. *Magnitudo*, *quam exhibeo*, *est naturali* (transmissâ) *paulò minor*, *minor itaque Sciuro vulgari*, *major Mure Auellano*, *nostras syluas frequentantibus*. *Nostratibus* Sciuri volantes *Reges familiæ suæ*, Könige der Grauwercke *audiunt*. *Pellis mollissima*, *pilis canis*, *& ex nigro-cinereis eleganter picta*. *Ingentes & extantes habet oculos nigros*, *aspectu pulcherrimos*, *aures paruas*, *dentes acutissimos*, *quibus exquisitè mordet*: *plerique enim maligni sunt*. *Noster satis mitis est*; *non appetit morsu digitum*, *ori ipsius admotum*. *Irritato tamen fidem vix habeat curiosus*. *Caudam*, *extra saltum constitutus*, *grato aspectu tergo apprimit*, *Petauristam verò agens*, *demittit*, *hinc inde agitans*. *Vescitur pane absque sale*, *& summitates betulæ recentes in deliciis habet*. *Nuces non curat*, *neque Amygdalas*. *Lectum ex musco betularum egregiè disponit*, *eundemque undique pedibus mira facilitate attrahens*, *in ipso quasi sepultus jacet*. *Interdiu eodem*, *nonnisi sollicitatus*, *aut siti pressus*, *exit*. *Quod ejus instrumentum volatorium attinet*: *Cutis à lateribus instar veli ad palmam fere expandi potest*, *quod ipsum velum posteriorum pedum genubus adhæret*, *cum anterioribus verò articulatione ossea adnectitur*. *Ad extremitatem modò dictæ articulationis cutis quasi plumosa*. *Ubi quietus considet*, *aut gressus naturales facit*, *articulatio hæc cum pedibus parallela distingui nequit*. *Quamprimum verò saltum facit*, *mouetur illa*, *&*, *cum anteriori pede angulum quasi rectum format*, *unde cutis*, *prout antea dictum*, *expanditur*, *quamuis etiam validus panniculus carnosus*, *integram cutem permeans*, *saltum fortiter secundet*. *Hinc colligo*, *animalculum hoc propriè non volare*, *sed loca*, *quæ sibi proposuit*, *magis dissita*, *facilius*, *ac reliqua animalia sui generis*, *saltu attingere*, *saltusque majores perficere posse*, *quod velis suis mediantibus diutius in aëre morari valeat*. *Cum hoc* Sciuro *nostro* volante *conferatur* Vespertilio admirabilis Bontii in Hist. Nat. & Med. Ind. Orient. Cap. XVI. apud Pisonem p. 68. *Ipse* Piso *dubitare voluit*, *an* vespertilionum *familiæ adscribendus esset*, quod felis sit magnitudine, ventre & pectore crasso, & carnoso, item à ceruice capitis, ad unguium usque extremitatem, membranâ continuata, instar veli expansi pone cooperiatur. Adde, quod per velum hoc subtus quidem membranaceum, & in aliis lanugine venulis & fibris obductum appareat, sed extus, perpetuis mollissimis pilis, cuniculorum more, canis, & ex nigro cinereis, mirum in modum vestiatur, tum quoque plicis illis, quibus alæ more aliorum contrahuntur & relaxantur, destitutus, *longitudinis* autem sit trium fere pedum, ejusdemque latitudinis, &c. *Quod verò*, *ut* Bontius *asserit*, *hujusmodi* vespertiliones admirabiles gregatim, anserum syluestrium

strium instar volitent, *illud ipsum, mole hujus animalis ejusque structurâ rectè perpensâ, mihi persuadere non possum, quin potius existimem, ad Sciuros nostros volantes talia animalia propius accedere, eademque velis suis, prout nostros, eundemque in finem uti. Nec obstat fides* Bontii *in eo*, quod circa vesperam in aëre, vel arboribus, penduli conspiciantur. *Quin potius inde euinci poterit, illos vespertiliones æquè ac Sciuros nostros volantes interdiu dormire, circa vesperam verò latebras suas derelinquere, atque arbores, per saltus, frequentare, itaque tanquam petauristas veluti pendulos in aëre conspici, saltu autem absoluto, in arboribus pendulos inueniri. De cætero, num hi* vespertiliones admirabiles *pari jure, quo Gesnerus* Sciuros *nostros* volantes *dixit, appellari queant* feles volantes, *de eo non adeò sollicitus sum.* Hæc laudatus supra *Klein.*

Jes. Cap. V. vers. 10.

Porrò vinearum decem jugera reddent Batum unum, & Homer sementis reddet Epha.

Decem enim jugera vinearum facient lagunculam unam, & triginta modii sementis facient modios tres.

DE vocabulo צֶמֶד *tsemed, jugerum*, egi ad 1. Sam. XIV. 14. ubi videre est, esse veram Jugeri Hebraici dimensionem ignotam nobis, sed *Hieronymum* more loquendi Romanis usitato pro jugero sumsisse eam agri magnitudinem, quam bini boues jugati aratro scindere valent per diei decursum, nempe 28800. pedd. quadrat. scilicet Romanorum. Continet *Bathus* ex mea reductione, alibi exposita, mensuras $12\frac{1}{2}$. incirca Tigurini agri, siue 15. mensuras cum sesqui quartali urbicas. *Homer* in siccis quartalia 11. cum modiolis $6\frac{10}{17}$. mensuræ Tigurinæ. *Epha* 1. quartale $2\frac{22}{55}$. modiolos. Inde nunc clara nascitur idea de sterilitate, quam comminatus est DEUS per Prophetam. Jugera 10. vitium 12. duntaxat vel 15. dant mensuras vini, & quartalia 11. in terram projecta $\frac{1}{11}$. duntaxat, siue 1. quartale prouentus.

Jes. Cap. V. vers. 17.

Tum pascentur agni (a) juxta demensum suum, & arietes (b) balantes solitudines detondebunt.

(a) Al. juxta morem suum.
(b) Al. solitudines pinguium aduenæ comedent.

Et pascentur agni juxta ordinem suum, & deserta in ubertatem versa aduenæ comedent.

וְרָעוּ כְבָשִׂים כִּדְבָרָם vertunt LXX. καὶ βοσκηθήσονται οἱ διηρπασμένοι ὡς ταῦροι, *pascentur direpti ut tauri*, nullo sensu, quod fusè demonstrat *Bochartus* in *Hierozoico*. דֹּבֶר *dobber* notat vel *caulam*, vel, ut hoc loci, *ductum*, ut כִּדְבָרָם vertendum sit, *secundum ductum suum*, vel, ut Vulgata, *juxta ordinem suum.* Alterum Textus Lemma aliter iterum reddunt LXX. nempe מְחִים נָרִים *mechim garim*, τὰς ἐρήμους τῶν ἀπαλειφομένων ἄρνες φάγονται, *deserta eorum, qui capti sunt, agni comedent.* Per מְחִים *mechim* Rabbini intelligunt *medullatos arietes, pingui medulla plenos*, est quippe מוֹחַ *moach, medulla.*

Jes. Cap. V. vers. 28.

— Ungulæ equorum ejus silici, & rotæ ejus turbini similes existimantur.

Ungulæ equorum ejus ut silex, & rotæ ejus, quasi impetus tempestatis.

UT hodienum magni æstimantur Persarum & Turcarum equi, ita celebrantur à Prophetis Assyriorum illi, quibus insidebant vastatores Judææ; ab Esaia in Textu: à Jeremia IV. 13. *Ecce ascendet sicut nubes, & currus ejus procellæ similes erunt, equi autem ejus aquilis celeriores.* Habac.

Habac. I. 8. *Equi ejus velociores ſunt pardis, & auidiores lupis veſpertinis: equites ejus diffuſi irruunt, equites ejus è longinquo veniunt, aduolant ut aquila feſtina ad vorandum. (Leuiores pardis equi ejus, & velociores lupis veſpertinis, & diffundentur equites ejus: equites namque ejus de longe venient, volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum.)* *Ungulas equorum ſilici* comparat Propheta noſter, בְּצַר *catſar*, ὡς ϛερεὰ πέτρα, ratione duritiei nempe, qua longum iter ſuſtinere valent, etiam per aſperas & petroſas vias. Hujusmodi equi *Homero Iliad.* θ'. χαλκόποδες vocantur.

— ὑπ' ὄχεσφι τιτύσκετο χαλκόποδ' ἵππους.

— *Currui adaptauit æripedes equos.*

Odyſſ. Φ'. κρατερώνυχες.

Ἵππους δ' αὐτὸς ἔχε κρατερώνυχας ἐν μεγάροισι.

Equos autem ille tenuit fortes ungulis in domibus.

Abſyrto c. 106. ἔυπωδες, & ϛερεόποδες, contra diſtinctè ad μαλακόποδας.

Porrò à Jeſaia & Jeremia & *equi* & curruum *rotæ turbini ſimiles exiſtimantur.* Hoc ſenſu Poëtis Græcis audiunt ἀελλώδες, ἀελλόποδες, ἀελλοδρόμοι, ita *Homero*, *Simonidi*, *Sophocli*. Alii Scriptores paſſim comparant ventis. Tales fuere equi Aeætæ à Sole dati, *Apollon. Argon.* L. IV.

— πνοιῇσιν ἐεισομένας ἀνέμοιο,

— *venti flatibus ſimiles.*

Equi Achillis apud Q. *Calabrum* L. VIII.

Ἴσον δ' ἀνέμοισι φέρονται,

Ventorum inſtar feruntur.

Equi Rheſi apud *Homer. Iliad.* κ'.

Λευκότεροι χίονος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι,

Niue candidiores, & curſu ventis ſimiles.

Hujusmodi equos veloces deſiderat *Turnus* apud *Virg. Æn.* L. XII.

Qui candore niues anteirent, curſibus auras.

Ventoſos nuncupat *Ouid.* L. IV. *Faſt.*

Primaque ventoſis palma petetur equis.

Ita deſcribuntur Hiſpanici Equi *Oppian.* L. I. *Cyneget.*

Τόσσον Ἴβηρες ἔασι θοὴ πόδας ἠνεμόεντας,

Adeò ventoſis pedibus ſunt celeres Iberi equi.

Hinc nata fabula de Equabus Luſitaniæ, quod concipiant vento, quæ apud *Trogum* legitur.

Jeſ. Cap. V. verſ. 29. 30.

29. Vox ejus (Gentis) par eſt Leonis rugitui, rugitque ſicut Leonum catuli. Frendet ergo, & prædam apprehendet: dimittet, nec tamen euadere ſinet.

30. Frendet in eum iſto die, ſicut mare fremit. Intuebimur tunc terram, & en (nobis) tenebras, & anguſtiam, & lux obtenebreſcet in caligine ſua.

29. Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum: & frendet, & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit, qui eruat.

30. Et ſonabit ſuper eum in die illa ſicut ſonitus maris: aſpiciemus in terram, & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata eſt in caligine ejus.

OBuia ſunt heic bina, quæ Leonis actioni tribuuntur, verba ſynonyma, שָׁאַג *ſchaag* & נָהַם *naham*; prius notat propriè *rugire*, ὠρύειν, ὠρύεσθαι, *brüllen*, hoc *fremere*, vel potius, ut Latina noſtra reddit, *frendere*, *knirſchen*, *ſchnauben*, *rauſchen*, ut mare fremit, & ipſe v. 30. explicat. *Frendet in eum — ſicut mare fremit.* Vid. Prov. XIX. 12. De Eclipſatione Solis alibi commodior dabitur loquendi occaſio.

Jeſ. Cap. VI. verſ. 13.

Erit tamen adhuc in ea (a) decima, quæ capietur & diripietur, ſicut Ulmus & Quercus, quum fulcrum eis ſubmittitur: ſemen ſanctum fulcrum ejus.

(a) Pro decima alii legunt decimatio: alii decas.

Et adhuc in ea decimatio, & conuertetur, & erit in oſtenſionem ſicut terebinthus, & ſicut quercus, quæ expandit ramos ſuos: ſemen ſanctum erit id, quod ſteterit in ea.

VAriant Interpretes. LXX. καὶ ἔτι ἐπ' αὐτῆς ἔσι τὸ ἐπιδέκατον, καὶ πάλιν ἔσαι εἰς προνομὴν ὡς τερέβινθος, καὶ ὡς βάλανος, ὅταν ἐκπέσῃ ἐκ τῆς θήκης αὐτῆς. *Et adhuc ſuper ipſam erit decimatio: & rurſum erit in deprecationem, ſicut terebinthus, & ſicut glans, cum exciderit è theca ſua.* Arbores heic obuiæ ſunt אֵלָה *elah* & אַלּוֹן *allon*, illam *Ulmum* vertit Latina noſtra, LXX. τερέβινθον, Vernacula noſtra *Linde*, alii *Quercum*: hanc *Quercum* plerique, alii *Eſculum*. Pro *Tilia* & *Ulmo* ſtant affinia quodammodo Turcarum cognomina *ulamur*, *oghlamur*, *filamur*, *Meninzk. Lex.* 524. 540. 3543. Quicquid ſit, intelligendæ videntur arbores latè ſpargentes brachia, frondoſæ, eæque glandiferæ. De hujusmodi arboribus, quæ latè pandunt ramos, id ex Hiſtoria Naturæ memorari meretur, quod à ventorum vi dejiciantur facile, ſi quidem illa fortior ſit reſiſtente radice; Sed fortius reſiſtant ventorum impetui, ſi ſint vel rami aliquot jam dejecti, vel foliis vacui. Prior illa idea ſymbolum ſuggerit Eccleſiæ preſſæ, hæc non oppreſſæ, ſed reſurgentis, ut arbores illæ dejectæ licet prorſus reſurgere queunt, vel ex glande, βαλάνῳ relicta, vel ex radice. ἐν παντὶ θλιβόμενοι, ἀλλ' οὐ στενοχωρούμενοι· ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι· διωκόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐγκαταλειπόμενοι· καταβαλλόμενοι, ἀλλ' οὐκ ἀπολλύμενοι. 2. Cor. IV. 8. 9.

Duris ut ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in algido
Per damna per cædes ab ipſo
Ducit opes animumque ferro.

Horat. Carm. L. IV. Huc collimat Cl. *Hilleri* exegeſis *Hierophyt.* P. I. p. 361. ubi ita Textum noſtrum reddit: *Ut Quercus & Eſculus, quarum in dejectu ſtatumen eſt, ſemen ſanctum erit in reſtitutione ſua.*

Jeſ. Cap. VII. verſ. 14. 15.

14. Idcirco daturus eſt vobis ſignum DOMINUS ipſe: Ecce, virgo illa concipiens & pariens eſt filium, & vocabis nomen ejus ImmanuEl.
15. Butyro & melle veſcetur, ut ſciat auerſari malum, & eligere bonum.

14. Propter hoc dabit DOMINUS ipſe vobis ſignum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.
15. Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare malum, & eligere bonum.

LEge ſapientiſſimi Creatoris immutabili ſtatutum, ut neque vir ſolus, neque fœmina ſola generationis negotio ſufficerent, quod in effectum deducitur copulâ utriusque ſexus. *Marem & fœminam creauit eos. Et benedixit illis DEUS, dixitque ad eos DEUS, fructum edite, (creſcite) & augeſcite, & implete terram.* Gen. I. 27. 28. Sed debebat conſtans hic ordo, ſemperque idem interrumpi in Natiuitate Meſſiæ, & hujus miraculoſa conceptio & generatio ex immaculata Virgine ſignum eſſe Diuinitatis CHRISTI. Theologis linquo explicationem uberiorem inſignis hujus oraculi, applicationem ad Natiuitatem & Perſonam Saluatoris, defenſionem item aduerſus Judæos, qui per עַלְמָה *almah* non præcisè intelligi volunt intemeratam virginem, ſed quamuis nuptam vel innuptam fœminam, imò & Prov. XXX. 18. 19. ſcortum atque adulteram. Hæc non ſunt mei fori. Sufficiat mihi dixiſſe, eſſe juxta ſtatuminatas à DEO in natura leges generationem infantis ex immaculata virgine (qualis eſt עַלְמָה ab omni commercio cum viris remota q. עֲלוּמָה *alumah*, *abſcondita*, à עָלַם *alam*, quod in Niphal ſignificat *latitare*, *abſconditum eſſe*,) miraculum, potuiſſe proin Nationi Judaicæ eſſe ſigno, imo miraculoſo prodigio.

De

De ſequentibus v. 15. verbis myſtici multa ogganniunt. *Butyro & melle veſcetur, ut ſciat auerſari malum, & eligere bonum.* LXX. paulò aliter: βούτυρον καὶ μέλι φάγεται, πρὶν γνῶναι αὐτὸν προελέσθαι πονηρὰ, ἐκλέξασθαι τὸ ἀγαθόν. *Butyrum & mel comedet, antequam ſciat, præeligere mala, eligere bonum.* *Abulenſis*, CHRISTUM uſu butyri & mellis, tanquam mediis naturalibus, acquiſiuiſſe ſcientiam & prudentiam: *Salmeron*, butyri & mellis nomine intelligi debere binas Immanuelis naturas: *Richardus de S. Victore*, humiliationem ad infimum usque muſcarum ſtatum, quæ butyro delectantur & melle: alii, bina Sancti Baptiſmatis ſymbola in primitiua Eccleſia uſitata, lac & mel: alii, dulciſſimam ſapientiam & ſanctiſſimam CHRISTI innocentiam. Scopum attigiſſe mihi videntur primitiuæ Eccleſiæ Patres, *Cyrillus*, *Hieronymus*, *Tertullianus*, *Bernardus*, *Baſilius*, nutrimento fore CHRISTO infanti eosdem cibos, quibus veſcuntur in prima infantia alii, butyrum nempe, ſiue lac & mel, de quo plura ad Prov. XXIV. 13. *Mel comedis, fili mi, quoniam bonum eſt, & fauum dulce palato (gutturi) tuo.*

Jeſ. Cap. VII. verſ. 18. 19.

18. Fit eodem tempore, ut DOMINUS ſibilo annuet muſcæ, quæ eſt ad finem fluminum Ægypti: & api, quæ eſt in terra Aſſyriorum.

19. Hæ omnes venient & conſident in vallibus deſertis, & cauernis petrarum, in omnibus caſis, & (a) in omnibus palatiis.

(a) Al. legunt, in frutetis & foraminibus: alii, in ſpinetis & dumetis.

18. Et erit in die illa, ſibilabit DOMINUS muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ eſt in terra Aſſur.

19. Et venient, & requieſcent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in uniuerſis foraminibus.

DUbium haud eſt, quin זְבוּב *zebhubh* denotet *muſcam*, (affinia nomina adhuc in Oriente obuia attuli ad Eccleſ. X. 1.) & דְּבֹרָה *debhorah apem.* Cur verò *Ægyptii muſcis* comparentur, *apibus Aſſyrii*, terram Judæorum vaſtaturis, meum non eſt inquirere operoſius. *Hieronymo* merentur illi muſcarum nomen propter ſordes idololatriæ & imbellem populum. Reſpicit *Baſilius* τὸ ἐυτελὲς τῶν ἀντικειμένων δυνάμεων, *Cyrillus* τὸ πλῆθος καὶ μὴ λίαν ἔυηχες τῆς φωνῆς, *Abarbanel* copiam partim, partim velocitatem. Populoſiſſimam olim fuiſſe Ægyptum neceſſe eſt, quum *Herodoto* teſte L. II. c. 60. & 177. in Dianæ Feſto Bubaſti conuenerint 700000. homines, & ſub Amaſi regimine fuerint 20000. urbes & oppida, Ptolomæo Philadelpho regnante 33000. quorum maxima pars pertinebat ad Ægyptum. Teſtis eſt *Theocritus Idyll.* 17. Commodè proin conferri poterant Ægyptii muſcis, quibuscum & *Homerus Iliad.* β. v. 469. comparauit Græcorum copias in campis Scamandrii:

Ὅσσοι μυῖαι ἀδινάων ἔθνεα πολλὰ.

Sibilum, quo DEUS allectat muſcas & apes ex Ægypto & Aſſyria, perpulchrè comparat *Cyrillus* ſono illi ſiue ſuſurro, quo, qui res apum tractant, eas alliciunt ad aluearia, ſcilicet circumuolitantes, ad quietem diſponunt, ut ſeſe demittant in arborem quandam. Videtur hic proceſſus inſtitutus olim ſibilo certo, qui nunc fit, in noſtris ſaltem oris, percuſſione tinnientis ænei vaſis, vel & terrei. Ita & rem agebant Romani. *Columella* L. X. c. 7. *Quod* (examen) *ſiue eſt abditum ſpecu, fumo elicietur, & cum erupit, æris ſtrepitu coërcetur.* c. 12. *Crepitaculis æreis aut teſtarum plerumque vulgò jacentium ſonitu terreatur fugiens juuentus.* *Plin.* L. XI. c. 20. *Gaudent plauſu, atque tinnitu æris, eoque conuocantur. Quo manifeſtum, auditus quoque ineſſe ſenſum.* *Plinio* ſubſcribet, quotus fere quisque conuocationi huic eſt præſens. Sed ignoſcet magnus naturæ ſcrutator, ſi conſequentiam diſputem. Eſt utique animalculis hisce tenera adeò corpuſculi ſtructura, ut, dum tremulo tinnientis æris motu vibratur aër, arceantur à volatu, & ſeſe demittere cogantur. Sed quæritur, num id fiat auditu proprie ſic dicto, vel potius tactu? Dubitabat & olim *Ariſtoteles Hiſt.* L. IX. c. 40. ἔσι μέντοι ἄδηλον ὅλως, εἴτε ἀκάκασιν, εἴτε μὴ, καὶ πότερον; ἢ δι' ἡδονὴν τἔτο ποιἔσιν, ἢ διὰ φόβον; *Incertum eſt prorſus, num audiant, nec ne? an voluptatis ſenſu id faciant, an motu?* Idem alibi judicium tuli de auditu piſcium. Rationem expoſui ſupra. Requirit *Ælianus* L. V. c. 13. harmonicum quendam ſonum: ὅταν γὰν σκιρτήσωσιν, καὶ πλανηθῶσιν, ἐνταῦθα οἱ σμηνεργοὶ κροτἔσι κρότον τινὰ ἐμμελῆ τε καὶ συμμελῆ. αἱ δὲ ὡς ὑπὸ Σειρἔνος ἕλκονται, καὶ μέντοι ὑποτρέφρσιν εἰς ἦθη τὰ οἰκεῖα ἄνθις.

Cum lasciuiunt, & aberrant, tum apiarii sonum quendam canorum & harmonicum edunt. Eæ autem tanquam à Sirene retrahuntur, & ad consueta domicilia reuertuntur. Virgilius:

Tinnitusque cie, & matris quate cymbala circum:
- - - - - - - - - morantes
Martius ille æris rauci canor increpat, & vox
Auditur fractos sonitus imitata tubarum.
Curetum sonitus crepitantiaque æra sequutæ,
Dictæo cœli Regem pauere sub antro.

Ouidius de Baccho L. III. *Fastor.* v. 739.

Jamque erat ad Rhodopen Pangæaque flumina ventum,
Æriferæ comitum cum crepuere manus.
Ecce! nouæ coëunt volucres tinnitibus actæ,
Quosque mouent sonitus æra, sequuntur apes.

Lucanus L. IX. v. 288.

- - Phrygii sonus ut crepat æris,
Attonitæ posuere fugam, studiumque laboris
Florilegi repetunt, & sacri mellis amorem.

Claudianus Panegyr. in VI. *Consulatum Honorii.* v. 259.

- - qualis Cybeleja quassans
Hyblæus procul ora senex, reuocare fugaces
Tinnitu conatur apes, quæ sponte relictis
Desciuere fauis.

Ad rem præsentem facit, si verum, apes sibilo (haud dubiè unius ex officialibus) manè ad labores & volatum excitari, & vesperi ad quietem disponi. Ita *Arist. Hist.* L. IX. c. 40. *Plinius* L. XI. c. 10. cujus hæc sunt verba: *Noctu quies in matutinum, donec una excitet omnes gemino aut triplici bombo, ut buccino aliquo. — Cum adueſperascit, strepunt in alueo minus ac minus, donec una circumuolet, eodem quo excitauit bombo, ceu quietem capere imperans, & hoc castrorum more. Tum repente omnes conticescunt.* Aliis circa sonum experimentis & miris effectibus recensendis hac vice supersedeo, Lectorem ablegans ad *Morhofii Hyaloclasten.*

Jes. Cap. VII. vers. 23.

Erit quoque illo tempore, ut omnis locus, in quo fuerint mille vineæ, mille argenteis (nummis coemptæ,) in vepretum ac spinetum vertatur.

Et erit in die illa: omnis locus, ubi fuerint mille vites, mille argenteis, in spinas & in vepres erunt.

TRistem en regionis & fœcundissimæ & populosissimæ conspectum, ubi vix offendisses pedem quadratum terræ incultum, & tanto venerunt pretio prædia, ut vineæ non ratione extensionis & per jugera fuerint venditæ, sed juxta vitium numerum, unica vitis pro 45. crucigeris: quæ terra cultissima, frugibusque omnis generis ditissima *verti* debebat *in vepretum ac spinetum*, εἰς χέρσον καὶ εἰς ἄκανθαν. *Sagittis & arcu illuc veniet, quoniam vepres & spinæ occupabunt uniuersam terram: sic & omnes montes, qui sarculo sarriebantur, non venies illò metu veprium & spinarum, sed mittetur illò armentum, & pecus conculcabit. (Cum sagittis & arcu ingredientur illuc: vepres enim & spinæ erunt in uniuersa terra. Et omnes montes, qui in sarculo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum & veprium, & erit in pascua bouis, & in conculcationem pecoris.)* v. 24. 25. In Latina nostra pro *mille vineæ* lege *mille vites.* Auertat DEUS clementissimus triste hoc & præsagium & implementum ab alma patria nostra, quæ cum Judæa ratione constitutionis soli, peccatorum accumulatorum numeri, & per seculorum decursum effusæ in nos longanimitatis diuinæ conferri potest.

Ies. cap. xi. v. 6. 7.
Animalia domestica et rapacia socia.

Isa. Cap. xi. v. 6. 7.
Zahmes Vieh nebst andern Thieren.

I. A. Fridrich sculps.

Jeſ. Cap. X. verſ. 14.

Manus mea inuenit copias populorum veluti nidum, & ut colliguntur oua derelicta, ſic collegi ego uniuerſam terram, nec fuit, qui vel alam motitaret, aut aperto ore muſſitaret.

Et inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum: & ſicut colliguntur oua, quæ derelicta ſunt, ſic uniuerſam terram ego congregaui: & non fuit, qui moueret pennam, & aperiret os, & ganniret.

ATtendunt heic Philologi ad Hebraicam vocem מְצַפְצֵף *metſaphtſeph*, quæ deſcendit à צִפְצֵף *tſiphtſeph*, *pipire*, quod paſſerum eſt proprium, aliarumue auicularum; unde Græci reddiderunt ςρουθίζων à ςρουθὸς, *paſſer*. *Suidas* in parallelo ponit ςρουθίζων, τρίζων. Nam & paſſeri tribuitur τὸ τρίζειν. Conſtat id ex *Homeri Iliad.* β'. ubi ſerpens deuorauit paſſerculos octo unà cum matre.

— ἐλεεινὰ κατήσθιε τετριγῶτας,

— *vorauit miſerabiliter ſtridentes.*

Quâ eleganti metaphorâ pyrgopolynicen illum Aſſyriorum Regem in theatrum producit Propheta, qui *copias populorum*, multas Gentes, *inuenit*, cepit, & transportari juſſit *veluti nidum*, multas in eodem nido cubantes auiculas, quæ præ aucupis metu non auſæ fuere *vel alam motitare*, *aut aperto ore muſſitare*. Græci de hujusmodi homine, quem ſollicitum metus anxius urget, apud *Theodoretum* in h. l. οὐκ ἐτόλμησε γρύξαι, οὐκ ἐτόλμησε τρύσαι. *Non auſus eſt mutire, non auſus eſt ſtridere.* Verba Textus: Καὶ ἀνοίγων ςόμα καὶ ςρουθίζων, in multis Bibliis Græcis haud extant, neque extiterunt in Cyrilli & Baſilii Exemplaribus, ſed reperias in Editionibus Complutenſi & Pariſienſi. LXX. ita, καὶ οὐκ ἔςιν ὃς διαφεύξεταί με ἢ ἀντείπῃ μοι. *Fullerus* verbum ςρουθίζειν vel τρίζειν *ululis* ſuis applicat, harumque clamori, utpote quæ etiam ςρουθῶν nomine veniant, refutatus ſolidè à *Bocharto*.

TAB. DCV.

Jeſ. Cap. XI. verſ. 6. 7.

6. Commorabitur lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, identidem juuencus, leo & pecus pingue ſimul erunt, & puer paruus minabit ea.

7. Vacca & urſus paſcentur, ſimul accubabunt catuli eorum, leo ſicut bos paleas comedet.

6. Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.

7. Vitulus & urſus paſcentur, ſimul requieſcent catuli eorum: & leo quaſi bos comedet paleas.

IN ſtatum veluti innocentiæ redeuntes conſpicimus heic in eadem ſocietate viuentia diuerſi prorſus generis animalia, munda & immunda, domeſtica & ſæua, carniuora & graminiuora. Sic & paſſim apud Poëtas profanos. *Horat.* L. III. *od.* 18.

Inter audaces lupus errat agnos,

ſecuros nempe ſub tutela Fauni paſtoris. *Claudianus de Orpheo in Præf.* L. II. *de raptu Proſerpinæ.*

Securum blandi leporem fouere Moloſſi,
Vicinumque lupo præbuit agna latus.

Martialis L. IX. *Epigr.* 73.

Maſſyli leo fama jugi, pecorisque maritus
Lanigeri, mirum, qua coiere fide.

Ipse licet videas, caueâ stabulantur in una,
Et pariter socias carpit uterque dapes.

Sibyllina Oracula L. III.

Ἐν δὲ λύκοι τε καὶ ἄρνες ἐν ἔρεσιν ἄμμιες ἔδονται &c.
Παρδαλίες τ' ἐρίφοις ἅμα βοσκήσονται.

Continentur Capite hoc, de quo nunc, Jesaiæ illustria de aduentu Messiæ, & temporibus Noui Testamenti vaticinia. Non inficiantur id recutiti, sed *Kimchio* interprete persuasi viuunt, mutatum iri in diebus Messiæ animalium fera in domestica, licet sint ex illis, qui ex Textu Parabolam faciunt. Occurrunt quidem passim ferarum mansuefactarum exempla. Apud *Ælianum* L. VI. c. 2. refertur mirum quid de panthera, quæ primo die cibo satura, διὰ πλησμονὴν, pepercerit hœdo sibi objecto, secundo quoque, quod nondum urserit fames, tertio pariter, quod jam per biduum in amica vixerit societate, sed hœdum alium sibi objectum dilaniauerit, & deuorauerit auidè. Nos cum Interpretibus omnibus Christianis Oraculum hocce Esaiæ explicamus metaphoricè per amicam Judæorum & Gentium in temporibus Messiæ communionem, quam plenius illustrandam linquo Theologis.

Redditur vox מְרִיא *meri* à nobis *juuencus*, *Maſtviehe*. Obuia hæc quoque 2. Sam. VI. 13. 1. Reg. I. 9. 19. 25. sed non eodem sensu accipitur ab Interpretibus. Græci *ouem* reddunt vel *arietem*. Fundatur hæc opinio Historiâ, quæ legitur 2. Sam. VI. 13. ubi deducentes Arcam Fœderis ex domo Obed-Edom in Δαβιδόπολιν senis quibusuis passibus dicuntur in sacrificium DEO obtulisse *bouem* & *meri*, *pecus pingue*, & 1. Paral. XV. 26. *septem boues & septem arietes*. Rabbinis multis & *Aquinati meri* est *boum* exoticorum seu *bubalorum* genus. R. *Selomoni* in Ezech. XXXIX. 18. *Taurus saginatus*, ταῦρος. Aliis מְרִיא idem est quod בָּרִיא *bari*, quoduis animal saginatum, à מָרָא *mara*, *saginare*, unde Græci מְרִיאֵי *merie* Ezech. l. c. reddunt ἐσιτωμένες, Hieronymus *altiles & pingues*. Lucem fœnerantur Arabes, quibus *mari* est bouis læuis & albi pullus. *Men. Lex.* 4235. Fœmin. *maria*, & *mamria* vacca, quæ hujusmodi vitulum peperit: sed & *maria* columba pinguis, & mulier pinguis. Est & *mari* nomen, quod tribuunt Arabes anguillis, viperis, serpentibus. *Bochartus* pro *meri* agnoscit boum Syrorum vel Africanorum genus, quale *Bellonius* Cairi vidit, & *Observ.* L. II. c. 50. describit, pingue, pulchræ formæ, ceruo minus, læue, pilis flauis, in ventre magis rufis, cruribus breuibus, crassis, collo breui, cornubus crescentis ad instar Lunæ recuruis, aliquantum excisis, ut sunt ibicum, auribus vaccinis, scapulis altis pinguibus, cauda longa fortibus pilis consita. Fig. A.

Vers. 7. Rara admodum occurrit lectio, *leo sicut bos paleas comedet*. In Orientalibus nempe Regionibus boues paleam quoque comedunt. *Plin.* L. XVIII. c. 30. *Hordei stipulam bubus gratissimam seruant.* — *Palea plures Gentium pro fœno utuntur, melior ea, quæ tenuior, minutiorque & pulueri propior, ideò optima è milio, proxima ex hordeo, pessima ex tritico.* Etiam in nostris oris subinde bobus apponunt paleam minutim concisam pro pabulo.

TAB. DCVI.

Jes. Cap. XI. vers. 8.

Delectabitur lactens aspidis antro, quumque fuerit ablactatus, inseret manum suam in speluncam reguli.

Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis: & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.

VAticinatur & heic Propheta nouum prorsus sub Regno CHRISTI theatrum: Debebant jurati DEI & Ecclesiæ hostes ex lupis, pantheris, ursis, leonibus mutari in oues, serpentes venenatissimi vel exui veneno, vel eò redigi, ut noxam inferre non possent. Ostendimus alibi, Job. XX. 14. Deut. XXXII. 33. Prov. XXIII. 32. פֶּתֶן *pethen* significare *aspidem*, serpentem ex venenatissimis, צֶפַע *tsepha* vel צִפְעוֹנִי *tsiphoni Regulum*, *Basiliscum*. Interim de pernicioſissimis etiam serpentibus id notari meretur, rarò inferre noxam nisi irritatos, & persæpe mansuefieri. Extat Historia, quæ Textui pro Commentario inseruire potest, in *Sulpic. Dial.* I. c. 5. *Panem Abbas per duos pueros miserat, quorum major habebat annos ætatis quindecim, minor duodecennis erat. His ergo, inde redeuntibus, aspis miræ magnitudinis fit obuiam, cujus occursu nihil perterriti, ubi ante pedes eorum venit,*

venit, quaſi incantata carminibus, cœrula colla depoſuit. Minor è pueris manu adprehenſam, ac pallio inuolutam, ferre cœpit. Deinde monaſterium quaſi victor ingreſſus in occurſum fratrum, inſpectantibus cunctis, captiuam beſtiam, reſoluto pallio, non ſine jactantiæ tumore depoſuit. Refert *Ælianus* L. XVII. c. 5. ex *Plutarcho*, Serpentes quondam adeò manſuetos fuiſſe redditos, ut absque noxa cum iis luſerint infantes, & digitis crepitantibus prolexerint ex latibulis. Idem memorat de *Pſyllis Lucanus* L. IX. v. 905.

\- - - - *pignora Gentis*
Pſyllus habet, ſi quis tactos non horruit angues,
Si quis donatis luſit ſerpentibus infans.

Mirâ eadem gens δοκιμασίᾳ infantes, an ex ſe nati eſſent, exploraſſe legitur, conjiciendo eos in vas ſerpentibus plenum, manſiſſe quippe illæſos, qui fuere gentilitii, alienigenos periiſſe. Ita *Ælian. Hiſt.* L. I. c. 57. Et teſte *Vincentio le Blanc* P. II. c. 23. Africani pueri in montibus *Segelmeſſæ* vicinis familiariſſimè tractant ſerpentes, ludendo cum eis.

Spelunca Reguli, die Höle des Baſilisken, in Textu originali vocatur מְאוּרַת צִפְעוֹנִי *meurath tſiphoni*, Hieronymo *cauerna*, Græcis Κοίτη. Sed Chaldæi per מְאוּרַת intelligunt *pupillam oculi*, à radice אוֹר, *or*, *lucere*, *illuminari*. Senſus proin, interprete *Kimchio*, eſt, ſerpente in latibulo ſuo latente adeò lucere pupillam, ut infans gemmam prehenſurus appropinquet. Præferimus nos *ſpeluncam pupillæ*, quoniam & Arabibus *aar* cauernam denotat.

Communicauit mihi pro ſingulari ſuo erga me & Hiſtoriam Naturalem affectu Vir de eadem meritiſſimus, D. *Joh. Henricus Lincke*, Lipſienſis, Amicus meus ex optimis, ſerpentum, quos in inſtructiſſimo ſuo Muſeo poſſidet, icones affabrè cum coloribus delineatas, digniſſimas, quæ opus hoc meum Phyſicæ Sacræ exornent. Sit igitur

A. Serpens craſſus capite & corpore, vertice fuſco, corpore liuido vel cinereo in dorſo bina ſerie macularum ſubrotundarum fuſcarum, in ventre albidarum, ſed margine fuſco cinctarum pictis.

B. Serpens tenui capite, vertice & corpore hepatici coloris maculis albis rotundis majoribus bilinearis diametri, & aliis interjectis minoribus conſperſus.

C. Serpens tenuis longus ſulphurei coloris ſemitæniis nigris, ſulphureis punctis conſperſis, per æqualia interualla inde à roſtro ad extremam caudam notatus, ventre imo flauicante.

Jeſ. Cap. XIII. verſ. 7. 8.

7. Idcirco omnes manus remittent, & omnium mortalium corda *(a)* liqueſcent.
(a) Ebr. Cor in ſingulari dicit.

8. Terrebuntur compages, & dolores comprehendent eos: dolebunt ut parturiens, quisque ad proximum ſuum obſtupeſcet, *(b)* facies eorum flammas reſerunt.
(b) Ebr. facies flammæ facies eorum.

7. Propter hoc omnes manus diſſoluentur, & omne cor hominis contabeſcet.

8. Et conteretur: torſiones & dolores tenebunt eos, quaſi parturiens dolebunt: unusquisque ad proximum ſuum ſtupebit, facies combuſtæ vultus eorum.

TRiſtem exhibet Babylon illa ſuperba atque ſecura, cui Propheta judicia DEI minatur tremenda, imaginem populi, urbis, hominis, qui per annos & dies lautiſſimè vixit, in ſtatu proſperrimo voluptatibus mancipatus, ſed nunc inopinis calamitatibus obrutus, quò ſe vertat, neſcit: cui hactenus ſanguis pleno cordis vigore propulſus per extrema liberrimè fluxit, roſeo colore faciem tingens, qui erecto & obſtipo inceſſit collo, nunc verò ſubito criſtas demittit, tempori calamitoſo cedere neſcius. Eſt namque adeò arctum corpori cum anima connubium, ut non poſſit non pallio indui pallido atroue lugubri, ſi hæc extremo afficiatur dolore. Quando nunc *dies DOMINI ſæuus aderit, & excandeſcentia atque æſtus naſi, ut redigat terram in ſolitudinem, & peccatores ejus ex ea excindat. (Ecce dies DOMINI veniet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisque, ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores ejus conterendos de ea.)* v. 9. Quando judicia DEI torrentis ad inſtar irruunt, phialæ iræ DEI per amphoras ſeſe effundunt; *Stellæ cœlorum & ſydera eorum non ſplendebunt lumine ſuo. Obtenebreſcet Sol in ortu ſuo, & Luna non lucebit lumine ſuo. (Quoniam ſtellæ cœli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum: obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo.)* v. 10. Si qui authoritate pollent, dejiciuntur de throno, terrefacti in ſuis conſcientiis, *remittent omnes manus*, πᾶσα χεὶρ ἐκλυθήσεται,

diſſoluetur omnis manus. Contrarium quoque dici poteſt de iis, qui angoribus cruciantur, arctari manus & conſtringi: notum, eos, qui aquis ſuffocati pereunt, arctiſſimè ſtringere manibus, quicquid apprehendunt, imo & retinere poſt mortem: notum ex Philoſophiæ noſtræ & Pathologiæ principiis, in metu & formidine præpondium eſſe ex parte liquidi neruei. Et tamen *remittunt manus* in anguſtiis, & poſt eas labaſcunt vires, tantò quidem magis, ſi *corda liqueſcunt.* LXX. πᾶσα ψυχὴ ἀνθρώπε δειλιάσει, *omnis anima hominis formidabit.* Notio illa prior cum ſenſu literali conciliari vix poteſt. Cor, qualiscunque ſit angor, muſculoſum eſt & manet, nec unquam liqueſcit: imo verò capacius redditur & amplius ei, qui angoribus preſſus emoritur, ſanguine nempe impletum magis & veluti infarctum; unde Germanorum loquendi formula, *es möchte mir vor Angſt das Hertz zerſpringen*, disrumpitur ferme præ angore cor, naturæ melius conuenit, quàm τὸ *liqueſcere.* Quæ phraſis metaphorica deſumta fortè eſt à cera (cui liquatæ cor angoribus preſſum confertur paſſim in ſacris paginis) quæ conſiſtentiam ſuam & reſiſtentiam amittit.

Terrebuntur, ita pergit Propheta, *compages, & dolores comprehendent eos.* LXX. ταραχθήσονται οἱ πέσσβεις, καὶ ὠδῖνες αὐτὸς ἕξουσιν, *turbabuntur legati, & dolores eos tenebunt.* Nemini non, vel per experientiam, conſtat, præ angore dolere ventrem: impedito nempe per corporis peripheriam ſanguinis circulo celerius ille & copioſius ruet per viſcera, tenduntur vaſa inteſtinorum ſanguifera ſanguine magis infarcta, & ab hac majori tenſione oritur dolor; quin imò liberiores ſunt ſecretiones & excretiones per glandulas inteſtinales, ſoluitur venter, fluit diarrhœa; & dolorem hunc ut graphicè ſatis exprimat Propheta, comparat cum doloribus parturientis, *dolebunt ut parturiens*, ὡς γυναικὸς τικτούσης. Quanti autem hi ſint dolores, à violenta matricis extenſione orti, teſtari poterunt, quæ eis corripiuntur, vel & οἱ παρεγγῶτες. *Quisque ad proximum ſuum obſtupeſcet, facies eorum flammas referunt.* συμφορήσουσιν ἕτερος πρὸς τὸν ἕτερον, καὶ ἐκπλήσσονται, καὶ τὸ πρόσωπον αὐτῶν ὡς φλὸξ μεταβαλοῦσιν. *Condolebunt alter ad alterum, & ſtupebunt, & faciem ſuam quaſi flamma mutabunt.* Eſt *ſtupor*, angoris comes, haud difficilis intellectu: qui angore premitur, quò ſe vertat neſcit: neque eſt conſilio locus, neque auxilio. Derelinquitur quaſi attonita anima à ſpiritibus animalibus, qui periculum effugituri in extrema corporis rapidius irruunt. Quomodo verò intelligi debeat *inflammatio faciei*, non ita dictu eſt facile. Sunt, qui explicant de rubore nigricante Melancholicis familiari. Sed potius mihi videtur Propheta loqui de tali angore, quo prædominatur nunc liquidum neruеum, nunc ſanguis, & miſellum corpus veluti in contrarias partes rapitur, facies nunc pallet, nunc rubore ſuffunditur, *ſanguis ebullit in faciem. Pellican.* in h. l.

Jeſ. Cap. XIII. verſ. 10. 13.

10. Nam ſtellæ cœlorum & *(a)* ſydera eorum non ſplendebunt lumine ſuo. Obtenebreſcet Sol in ortu ſuo, & Luna non lucebit lumine ſuo.

(a) Keſile alii pro hyadibus, alii pro ordine legunt, ſed hic in genere pro conſtellatione ponitur.

13. Propterea concutiam cœlos, & terra loco ſuo mouebitur in excandeſcentia DOMINI Exercituum, & in die caloris furoris ejus.

10. Quoniam ſtellæ cœli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum: obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo.

13. Super hoc cœlum turbabo; & mouebitur terra de loco ſuo, propter indignationem DOMINI exercituum, & propter diem iræ furoris ejus.

Vid. Matth. Cap. XXIV. verſ. 29.

TAB.

Ies. Cap. XIII. v. 21. 22.
Zihim et Ohim.

Jes. Cap. XIII. v. 21. 22.
Wilde Katzen Zihim Zihim und Ohim.

I. A. Fridrich sculps.

TAB. DCVII.

Jes. Cap. XIII. vers. 21. 22.

21. Sed ibi cubabunt ziim, & implebunt domos eorum ohim, habitabuntque ibi juuenes Struthiones, & saltabunt ibi Satyri.
22. Alternis canent Bubones in magnificis ædibus eorum, & Dracones in palatiis voluptuosis: Atque tempus ejus prope adest, neque protrahentur dies ejus.

21. Sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum Draconibus & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi.
22. Et respondebunt ibi ululæ ædibus ejus, & sirenes in delubris voluptatis, prope est ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur.

EXemplo est nobis & argumento fastuosa Babylon; quàm tristis sit omnis pompæ mundanæ exitus, & à Solis occasu, non ab ortu, describenda veniat dies. *Subuertetur Babylon, Regnorum ornamentum, & splendoris Chaldæorum decus, quemadmodum subuertit DEUS Sodomam & Gomorrham. (Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subuertit DOMINUS Sodomam & Gomorrham.)* v. 19. In Palatiis illis superbis & sumptuosis, ubi residere solebant Reges, Ministri Status, Principes fœminæ, harumque Administræ aulicæ, vel & opulentissimi quique ciuium, *cubare* debebant *ziim*, *implere domus ohim*, *habitare Struthiones*, *Bubones*, *Dracones*, *saltare Satyri*. Considerabimus monstra hæc animalium, unum post aliud.

צִיִּים *tsijim* vertimus nos vernaculè *wilde Thiere*. Maluit Latina seruare vocem Hebræam, quàm incertum quid pro certo ponere. Pertendit *Bochartus* esse *tsijim feles* sylvestres, *feras*, quarum tanta sit teste *Diodoro* L. XX. ad Miltinen, Africæ urbem, in jugis montium 200. stadia longis copia, ut non inueniant ibi locum aues, ubi nidulentur. Fuisse & in Babylonia & Judæa hujusmodi feles constat ex Versione Chaldaica Hos. IX. 6. ubi *feles* leguntur degere in palatiis. Nos: *occupabit urtica, & habitacula eorum paliurus. (urtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorum.)* In Textu namque legitur חוֹחַ *choach*, quæ vox spinam, spinosum fruticem denotat. Allegat ἰεροζωόγεαφος Arabicum *felis* nomen, *dsaiwan*, *dsajain*, *tsijim* nostro affine. Addo ex *Lex. Meninzk.* p. 2834. Turcarum *sikz*, quocum, & magis adhuc cum Hebraico *tsijim* congruit nostrum *zizi*. *Sikz* autem felis pullum denotat. Sed צִיִּים aliter reddunt alii. LXX. θῆρία, δαιμόνια, ἐνδάλματα, Syriaca *feras*, *Spiritus*, *Sirenes*, Arabica *feras*, *dæmones*, *idola*, Chaldaica *Cercopithecos*, Vulgata *Bestias*, *Dæmonia*, *Dracones*, Abarbanel *Simias*, Selomo *Martes*, Kimchi & AbenEzra feras, quæ degunt בְּצִיִּים *betsijah*, in loco siticuloso, arido, Münsterus *lamias*, Castalio *sylvanos*, Pagninus *bestias sylvestres*, Junius *fera animalia*. Congruit proin Vernacula nostra cum Græca, Syriaca, Arabica, Vulgata, Pagnino, Junio, Latina verò sequitur Symmachum, Theodotionem, Ariam. Sint igitur hæ tales feræ, quæ habitant in locis siccis, aridis. צִיָּה *tsijah* est *siccitas*, צִיּוֹן *tsion*, *aridus locus*, *tsarva* in Idiomate Arabico arescere, *tsarvi* aridum. Et notari meretur, Amorrhæos montem Hermon vocasse Deut. III. 9. 1. Paral. V. 23. שְׂנִיר *senir*, felium montem, forsan à copia felium, quo nomine venit adhuc Arabibus, notat autem *sinaur*, *sinar* felem.

Sequuntur in Textu אֹחִים *ochim*, in Latina nostra *Ohim*, in Vernacula *erschreckliche Thiere*. Hæc vox iterum suos patitur manes. *Hieronymo* placent *Dracones*, *Kimchio* & *Abarbaneli furones*, *AbenEzræ* in genere talia animalia, quæ vel aspectu solo terrori sunt hominibus: aliis *Martes*, *Fauni*. Ingenuè fatetur R. *Selomo* ignorantiam suam. Intelligit *Bochartus* non animalia ipsa, sed *ferarum ululatus, quibus deserta personant*. Est Hebræis אָח *ach*, הֵאָח *heach* vox gemens & altum clamans: congruit Germanorum *ach*, *och*, Græcorum ἦχος *sonus*, ἠχέω, *sono*, pro quo Dorii habent ἀχέω. Hinc fortè est, quod LXX. pro אוֹחִים posuerint ἦχον, *sonum*, sic & *Theodotion*. Symmacho & Chaldæis retinentibus originalem vocem *Ohim*. Arabes *Echo* legunt & *Tsadi*, resonitum ex montibus; quidam *ululam*, vel *Bubonem*, cui fauet Turcarum modernorum *ögii*, *ögiikusi* in *Meninzk. Lex.* 535.

In serie ferarum tristem ululatum edentium sequitur בְּנוֹת יַעֲנָה *bath jaanah*, propriè *filia clamoris*, nos reddimus *juuenes struthiones*. De quibus plura vide ad Job. XXX. 29. Degunt

auium hæ maximæ frequenter locis desertis & siccis, ἐν τῇ μὴ νομένῃ τῆς Λιβύης, *in inaquosa parte Lybiæ. Theophrast. Hist. Plant.* L. IV. c. 4. Imo volunt Arabes, esse ἄπινον hanc auem, siti nunquam pressam, id quod attestari nos, meliori forsan jure, possumus de rupicapris. *Hieronymo* in Esaiam Struthio audit *animal solitudinis appetens & deserto familiare.* Egregia sunt verba *Basilii:* Φιλέρημον δὲ τὸ ζῶον καὶ ταῖς ἀγονοτάταις ψάμμοις ὡς τὰ πολλὰ ἐμφωλεύων. τὴν ἐν ὑπερβολὴν τῆς ἐρημίας ὁ λόγος διὰ τῆς τῶν ϛρεθοκαμήλων σκηνήσεως παραδίδωσι. *Deserti est amans, ut plurimùm in locis siccis arenosis degens, unde in Scriptura habitaculi struthionum nomine venit deserta regio, desolatio.*

Primi à struthionibus sunt שְׂעִירִים *seirim*, nobis *Satyri, Feld-Teufel.* Sic & Jes. XXXIV. 14. *Satyrus ad comparem suum clamabit. (Pilosus clamabit alter ad alterum.)* שָׂעִיר *sair* est *hircus*, à שֵׂעָר *sear, pilus*, quia pilosus, hirsutus, ut Græcorum τράγος descendere videtur ἀπὸ τῆς τραχύτητος, & *Festo Hircipili* sunt *densorum pilorum homines.* Leuit. XVII. 7. Idolis adnumerantur שְׂעִירִים. *Nec ultra sacrificent sacrificia sua Satyris.* Scilicet ut Ægyptii, qui *Diodoro* teste *Biblioth.* L. I. non solùm τὸν τράγον ἀπεθέωσαν, sed adeò huic Tragolatriæ erant dediti, ut & Sacerdotes animali huic inaugurari debuerint. Sic apud multas gentes Mendesiorum *Pan*, omnesque *Fauni* & *Satyri* hirci formâ fuere culti. Apud *Maimonidem* legas in *More Neboch.* L. III. c. 46. Zabiis, צְבָיִים, Gentilibus fuisse persuasum, inter Arabes & Chaldæos hirciformes esse impuros Dæmonas, & tales comparere subinde. In *Jamblichi Babylonicis*, hirciforme spectrum amore Sinonidis fuisse captum: apud *Philostratum Vit. Apollon.* L. VI. c. 13. hujusmodi Satyrum in quodam Æthiopiæ pago interfecisse aliquot fœminas: apud *Augustin. de Civ. DEI.* L. XV. c. 23. de Syluanis, Faunis, Gallorum Dusiis, lasciuè eos tractasse fœminas. Hinc forsan nata plurimorum Christicolarum persuasio de Diabolo comparente sub forma hirci, saltante cum sagis. Fauent allata Versionibus nostris, quæ spectra diabolica hirciformia intelligere videntur, saltatura in Babelis desertis. Videtur etiam ipsa vox, *Satyrus* descendere à שָׂעִיר. De *Satyris, Pane, Ægipane, Syluano, Faunis*, multa occurrunt in Veterum Scriptis, sed fabulosa, ad *Simiarum* Historiam facilè referenda. Quam rem egit *Eduardus Tyson* Libro, cui titulus: *Orang Outang, siue homo sylvestris: Or the Anatomie of a Pygmie, compared with that of a Monkey, an Ape, an da Man. Towhichis added a Philological Essay concerning the Pygmies, the Cynocephali, the Satyrs and Sphinges of the Antients.* Lond. 1699. 4.

Sequuntur v. 22. אִיִּים *ijim, bubones.* Ex his faciunt Chaldæi *Feles*, חַתוּלִין *chathulin*, Syri סִירִינִין *Sirinin, Sirenes*, LXX. ὀνοκενταύρες, Theodoretus ἐμπέσας ὀνοσκελίδας, *spectra, laruas*, Hieronymus, *ululas*, & *Faunos ficarios.* Alii apud Kimchium *picas*, alii *ferales aues* & *terrifica animalia. Bochartus*, cui in hac materia palma jure debetur, esse hoc animal אִי Arabum *Ibnavi*, Barbarorum *Iben-angue, abin-auin*, unde & veniunt Europæorum cognomina, *babuin, Papio, Fabion* ex *Cynocephalorum* genere. Animal hocce Arabes associant canibus & lupis, traduntque Gallinas in ejus conspectu præ metu protinus decidere tectis, sicque præda fieri; ululare inprimis noctu, si triste vel solitarium, infantis instar clamare; longis præditum esse digitis & unguibus, quibus prædam arripiat, carcerem vix ferre, alia & pleraque fabulosa. Docent nos Zoographi copiosè degere circa Cæsaream, vulpe majus, ex luporum genere, imo genus ex vulpino & lupino mixtum, terrificum, altum clamans, fame pressum cadauera ipsa ex sepulchris effodere. *Andrea Bellunensi*, & *Bellonio* L. II. c. 108. testibus numerosa sunt in Syria, Damascum inter & Berytum, Cilicia, pelle fulua, ululare *hau-hau.* Legantur *Cardan. Exercit.* 217. *Busbeq. Epist. 1. Olear. Moscow. und Persian. Reis-Beschr.* L. IV. *Bocharto* judice est hoc I veterum *Thoe*, Græcorum recentiorum σκύλαξ, λυκοπάνθηρ, πανθήριον.

Agmen ferarum feralium claudunt *Dracones in palatiis voluptuosis*, ingentis molis serpentes, de quibus alibi, ubi de תַּנִּין *thannin.*

A. *Felis sylvestris.*

B. *Papio.*

Jes. Cap. XIV. vers. II.

— Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum (erunt) vermes.

— Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.

OBuiæ heic sunt duæ distinctæ voces, quæ tamen animal unum idemque, *vermem*, significant, רִמָּה *rimmah* & תוֹלַעַת *tholeah*, vermem, qui hominis in tumulum conjecti cadauer aggreditur, pro deliciis habet, tandemque consumit: Vermem, quem viui nos mortales gestamus in sinu, nutrimus quotidie, cuique tandem nos ipsi opipara cœna simus. Ipse proin *homo*, definiente Jobo XXV. 6. *putredo*, & *filius hominis vermiculus.* Sit hic ipse vermis, imo vermiculorum milliones, quibus constamus, quotidianæ

IES. Cap. XIV. v. 23.
Kippod Babelis incola.

Jes. Cap. XIV. v. 23.
Babel voll Biber und Stachel-Schwein.

I. A. Fridrich sculps.

dianæ noſtræ meditationis, imo continuæ objectum, ut fuere Jobo. XVII. 14. *Foueam appello patrem meum, & vermem matrem & ſororem meam. (Putredini dixi, pater meus es: Mater mea, & ſoror mea, vermibus.)* Speculum ſordidiſſimum ſimul & nitidiſſimum; habet id, quod conſulat faſtuoſa Babylon, *ſubter quam ſternetur tinea*, cujusue *operimentum erunt vermes*, ϛρώσεσι σῆψιν, καὶ τὸ κατακάλυμμα σκώληξ. Habet, quod intueatur, qui vel fronte tumet elata, vel molli luxu diffluit, vel nummos magni Numinis inſtar habet; ſed &, quem duris in rebus urget egeſtas, cui ultima hæc rerum linea, vermium ſocietas, poterit eſſe ſolatio. Audiamus iterum τῆς ὑπομονῆς ἀπερίτρεπτον πύργον, quo Epitheto Hiobus venit Chryſoſtomo, XXI. 23-26. *Alius moritur integris viribus, totus opulentus & felix. Cujus mammæ lacte ſunt plenæ, & medulla oſſium ipſius bibitur. Alius moritur in ægritudine animi, qui nunquam lætus comedit. Pariter autem jaciunt in puluere, & vermis eos tegit. (Iſte moritur robuſtus & ſanus, diues & felix: Viſcera ejus plena ſunt adipe, & medullis oſſa illius irrigantur: Alius verò moritur in amaritudine animæ ſuæ, absque ullis opibus: Et tamen ſimul in puluere dormient, & vermes operient eos.)*

TAB. DCVIII.

Jeſ. Cap. XIV. verſ. 23.

Ponam eam, ut fibri occupent, & in ſtagna aquarum, ſcopa quoque vaſtatrice verram eam, dicit DOMINUS Exercituum.

Et ponam eam in poſſeſſionem ericii, & in paludes aquarum, & ſcopabo eam in ſcopa terens, dicit DOMINUS Exercituum.

ANimal קִפּוֹד *Kippod* ſibi vendicant, & validis quæque rationibus, tria elementa, terra, aqua, aër.

Suffragia dant Græci, & poſt eos Hieronymus terræ, & in ea ἐχίνῳ, *Echino, hericio*, terreſtri nempe, qui æſtate degit in ſepibus & dumetis, hyeme in arborum truncis cauis, vel latibulis ſubterraneis. Rationes pro hac ſententia, quam & Majores noſtri, *Gualtherus*, *Pellicanus*, *Muſculus*, comprobante magno Zoologo *Bocharto*, adoptarunt, militant ſequentes. Authoritati τῶν LXX. & *Hieronymi* ſubjungimus teſtimonium R. *Nathanis*, cui Kippod Hiſpanica linguâ eſt ריצו *rizo*, *erizo*; *Pomarii*, qui Italico idiomate ריציו *riccio*; R. *Selomonis*, qui Gallicè הריצון *heriſſon*; *Eliæ*, cui Germanicè איגיר *Igel*. Affinia quoque ſunt תקפוד Arabum *kunphud*, *caufed*, *ceufud*, *ceufund*. In *Meninzkii Lex.* p. 3771. legas *kunfüz*, *kunfez*, Turcicè *kirpi*, Æthiopicè *konphoz*, quæ vocabula omnia erinaceum denotant. Cui quadrat quoque comminatio per Prophetam facta Babyloni, quæ ferarum debebat fieri habitaculum. Sic & Jeſ. XXXIV. 11. *Poſſidebunt eam Ibis, & Caſtor* (קפוד, Echinus) *Bubo & Coruus habitabunt in ea. (Poſſidebunt illam Onocrotalus, & ericius, & ibis, & coruus habitabunt in ea.)* Zephon. II. 14. *Onocrotalus & Caſtor* (קפוד) *in ornamentis liminum degent, (onocrotalus & ericius in liminibus ejus morabuntur,)* nempe in vaſtatis urbibus, Babele, Boſtra, Niniue. Eſt quippe erinaceus ζῶον χῆρον, ἤτοι ἔρημον, ſolitarium, locis deſertis degens, quod vel aculeis horrida facies disgregat ab aliorum conſortio. Si quis fortè pro communi erinaceo *hyſtricem* ſeligat, cum eo altercandi nulla mihi ſuccreſcet lubido. Eſt & hic, quem ſiſtimus Fig. A. Echini ſpecies, in Syria frequens, inſociabilior vulgari, utpote non ſolùm pungens, ſed & aculeos ſagittarum in modum ejaculans.

Sed non hæc acies ritu ſilueſtris Echini
Fixa manet. Crebris propugnat jactibus ultrò,
Et longè ſua membra regit, tortumque per auras
Euolat excuſſo natiuum miſſile tergo.

Binis noſtris Verſionibus placet *Fiber*, *Caſtor*, *der Biber*, animal ex amphibiis, aliis *Lutra*, *Teſtudo* aliis. Baſeos loco huic interpretationi ſubſternitur vox קפד *kaphad*, *præcidere*. Monet hæc, quærere animal, quod inprimis præcidendo, reſecando, rem ſuam agit. Tale autem eſt *fiber*, *animal horrendi morſus*, *arbores juxta flumina, ut ferro, cædit. Plin.* L. VIII. c. 30. Notum, beſtiam hanc frequenter degere ad lacus & piſcinas, huc autem collimat Propheta: *Ponam eam*, Babylonem, *ut fibri occupent, & in ſtagna aquarum.* Quibus verbis *Bochartus* alium dat ſenſum. *Ponam eam in poſſeſſionem* τὸ kippod (id eſt, terreſtris echini) *etiam ſtagna aquarum.* Id eſt, non ſolùm vaſtabitur tota Babylon, ſed lacus & piſcinæ ejus exiccabuntur ita, ut & echinus ibi morari poſſit. Sic

debebat *Niniue vasta reddi, & torrida sicut desertum. Niniue ponet DEUS speciosam in solitudinem & in inuium & quasi desertum.)* Zeph. II. 13. Idumææ *torrentes in picem, & puluis ejus in sulphur, & terra in picem ardentem conuerti. (Et conuertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in sulphur: & erit terra ejus in picem ardentem.)* Jes. XXXIV. 9. ante nempe, quàm τῷ Kippod cessura sit in habitaculum. Castorem sistit Fig. B.

Ii tandem, qui *Kippod* auium regno adscribunt, pro fundamento sententiæ suæ allegant, in eadem cum auibus societate locari, locum in specie supra allegatum Zeph. II. 14. Sed hi ipsi inter se discrepant, aliis quippe placet *Bubo*, his *Vultur*, illis *Merula*, aliis *Ardea Botaurus*. His autem auibus captandis haud immorabimur.

Potius vel in gratiam Versionum nostrarum, vel & rei venatoriæ curiosorum commemorare lubet, quæ de Castorum Canadensium indole, vita, venatione leguntur *dans les Mem. de l'Acad. Roy.* 1704. p. 48. 64. Degunt hi ad stagna vel lacus piscíferos, quibus adsita sunt pinguia pascua, & ad ripas habitacula sua extruunt, quæ occupantur maturè à fæmellis post inundationes annuas, ut deponantur ibi fœtus, sed Junio demum & Julio mensibus accedunt mares, aquis penitus lapsis. Tunc quidem vel resarciunt sua habitacula, vel construunt noua alibi, sicubi vel pabulum deficit, vel accreuit nimiùm sociorum numerus, vel euadere volunt venatorum insidias.

Ædiculas suas mirâ parant architecturâ; aggerem primò formant ejus altitudinis, ut aquæ ascendant ad primum vel imum conclaue, longos, in imo 10. vel 12. pedes crassos, quos contrahunt sensim, ut summa crassities vix 2. superet pedes. Valla hæc construunt ex arborum ramis brachialis crassitiei, bipedalis vel & sexpedalis longitudinis, quos magna industria & incredibili celeritate mordendo cædunt: ramos hosce infigunt veluti palos denso ordine, ad eam usque profunditatem, cui vires sufficiunt, spatia intermedia explent tum tignis tenuioribus transuersis, tum argillâ. Ita pro ratione crescentis in altum aquæ pergunt ædificare. Valla hæc, qua aquam respiciunt decliuia sunt, perpendicularia quà terram, suntque adeò solida, ut super iis incedere securè liceat, tantâ autem conseruantur industriâ, ut vel minimæ aperturæ mox expleantur & infarciantur argillâ. Insidiantibus venatoribus vel noctu continuant suos labores, vel & sedes mutant.

Aggere extructo pergunt in solida terra, vel insula, ædificare sua conclauia. Sunt hæc sæpe palis superimposita, rotunda, vel oblongo-rotunda, portâ manente semper aperta. Aliquando in solido solo ampliora struunt tabernacula, effodiuntque fossas 5. vel 6. pedes profundas, quas extendunt ad aquas usque. Construuntur conclauia hæc eadem, quâ vallum ipsum, Architecturâ, hoc quidem discrimine obseruato, quod parietes perpendiculariter sint erecti, & conclauia ipsa supernè veluti fornicata. Sunt murorum structuræ ut plurimùm bipedalis crassitiei, sed prominulas fortè lignorum partes demordent dentibus, qui ipsis serrarum, cultrorum, securium loco sunt.

Est concauum tabernaculi fornicatum ejus amplitudinis, ut 8. vel 10. Castores in una sede morari queant, 8. vel 10. pedes longum, 10. vel 12. latum. Si fortè una sede morentur 15. 20. aut 30. Castores, sufficientem iterum dant tabernaculo amplitudinem, vel noua in vicinia fabricant ejusdem horizontis, vel conclauia conclauibus superimponunt, ut nos solemus contignationes unas superstruere aliis, ut accrescentibus aquis sese ex inferioribus recipere possint ad superiores. Ex his conclauibus exitus semper patet ad aquas, ubi vel excrementa sua deponunt, vel sese lauant. Obseruantur passim quatuor castorum unâ fere sede morantium centuriæ, quorum habitacula mutuam habent communicationem.

Castores, quos vocant *terrestres*, sedem figunt in editioribus ripæ locis, & opus suum architectonicum inchoant à ductu 5. vel 6. pedes longo, ad aquam usque protenso, vix pedem lato: hunc sequitur stagnum 3. vel 4. pedum, in quo sese lauant: inde alium excauant ductum transuersum & accliuem in solidâ terra, qui aliquando ad 100. usque pedes sese extendit. Dormitorium sternunt plantis arborumque foliis.

Omnem hunc laborem absoluunt Augusto & Septembri mensibus, quibus sibi prouident de victu hyberno. Crassiora ligna protrahunt multi, sed tenuiores ramos singuli, per diuersas vias omnes, ne fortè sint mutuo sibi impedimento. Ex his lignis formant ordinatas strues ad aquas; hæc ligna dentibus in minutias confringunt, inchoando semper ab iis, quæ in ipsis jacent aquis.

Castorum venatio durat ab initio Nouembris ad Martium usque & Aprilem, quo toto temporis tractu pelles pulcherrimos habent pilos. Venatores gnari probè, placere illis lignum recens præ veteri, spargunt illud hinc inde, & decipulas parant, animalibus lethales: trajiciuntur alii sclopetariis globis: alii ad foramina in glacie excisa accedentes, aëra hausturi, cæduntur securibus. Latibula si ripæ sint adsita, glaciem frangunt venatores, fortia prætendunt retia, aggrediuntur mox ipsa castorum habitacula, destruunt ea, ut hospitibus non alius sit euadendi locus, nisi ad retia, ubi iterum occidun-

tur.

Jes.

Jeſ. Cap. XIV. verſ. 29.

Ne læteris tu, Palæſtina uniuerſa, quod confracta eſt virga ejus, qui te percuſſit, nam de radice colubri naſcetur (a) regulus, & fœtus ejus erit preſter volans.

(a) Regulum diminutiuum poſuit pro primigenio rege, quod illud magis in uſu ſit pro ſerpente venenatiſſimo.

Ne læteris, Philiſthæa, omnis tu, quoniam comminuta eſt virga percuſſoris tui: de radice enim colubri egredietur regulus, & ſemen ejus abſorbens volucrem.

ELucidando Textui ſeruit Hiſtoria. Uſias Rex, ſub quo Jeſaias diuinas ſuas habuit inſpirationes, c. I. 1. grauia mouerat bella Palæſtinis ſeu Philiſtæis, *ruperat murum Gath, atque murum Jabnæ, & murum Azoti, & ædificauerat ciuitates in Azoto, & in Palæſtina*, 2. Paralip. XXVI. 6. Poſtquam verò Rex hic violauerat ſacerdotii jura, & regno pulſus inter priuatos vitæ ſuæ ultima fata obierat, ſeſe recolligere poterant Philiſtæi ſub illius ſucceſſoribus Jothamo & Ahas, eò quidem usque, ut irruperint in Judææ Prouincias planiores meridionales, Bethſemes, Ajalon, Gaderoth, Sochon, Thamna & Gamſon occupauerint, ibique ſedes ſuas fixerint. Depreſſerat nempe DEUS Judæos propter impietatem Ahas, 2. Paral. XXVIII. 18. 19. Eodem autem, quo Ahas ad plures abiit, anno Jeſ. XIV. 28. prædixerat Propheta noſter mutationes mox ſub Ezechiæ regimine venturas; *percuſſerat* enim hic *Palæſtinos usque Gaſa*. 2. Reg. XVIII. 8. Dant nouæ hæ & Judææ proſperæ expeditiones anſam alloquio Prophetæ noſtri: *Ne læteris tu, Palæſtina uniuerſa, quod confracta eſt virga ejus, qui te percuſſit*, μὴ ἐυφρανθείητε οἱ ἀλλόφυλοι πάντες, συνετρίβη γὰρ ὁ ζυγὸς τῶ παίοντος ὑμᾶς. Ne ſit gaudio vobis, o Philiſtæi, depoſitio & mors Regis, qui vobis factus fuit ſuperior; ne canatis triumphos de veſtris ſub Ahaſo victoriis, nam *de radice colubri*, ἐκ σπέρματος ὄφεως, ex progenie Uſiæ, qui vos ſerpentis ad inſtar momordit, *naſcetur regulus*, ἐξελεύσεται ἔκγονα ἀσπίδων, ſerpens terrificus magis, Ezechias, & *fœtus ejus erit preſter volans*, καὶ τὰ ἔκγονα αὐτῶν ἐξελεύσονται ὄφεις πετάμενοι. Vult *Hieronymus*, alludere Prophetam ad indolem Baſiliſci venenatam adeò, ut non præteruolare poſſit auis, quæ non in fauces ejus cadat, quam fabulam narrat *Solinus: Ipſas etiam corrumpit auras; ita ut aëra nulla alitum impune transuolet, infectum ſpiritu peſtilenti*. Ex *Solino Iſidorus* & alii. Hieronymus proin Textum Hebræum וּפִרְיוֹ שָׂרָף מְעוֹפֵף reddidit ita: & *ſemen ejus abſorbens volucrem*, quæ tamen verba ipſi Diuo Patri in Notis propriè ita reddi debent, & *fructus ejus ſerpens volans*. Mirabitur fortè quis pientiſſimi Regis comparationem factam cum ſerpente, imo cum venenatiſſimo, Baſiliſco. Hodie certè tenues acquiret gratias, qui Principem ex Europæis contulerit cum ſerpente. Valet heic illud Italorum: *altri tempi, altri coſtumi*. *Æliano* teſte *Hiſt.* L. VI. c. 38. Ægyptii, Philiſtæis finitimi, Reges in diadematibus ſuis oſtentabant ſerpentes, qui præfigurare debebant τὸ ἀνίκητον τῆς ἀρχῆς. Addita ratio, quia ab aſpide morſus mortem haud euadit. Apud *Horum* L. I. c. 56. eſt ſerpens ore caudam prehendens potentiſſimi Regis ſymbolum. Inprimis verò *Baſiliſcus*, βασίλισκος, *regulus*, *melecha* hinc Arabibus dictus, ἑρπετῶν βασιλεὺς, ut audit *Nicandro Ther.* v. 397. *candidâ in capite maculâ, ut quodam diademate inſignis, Plinio; albâ quaſi mitrula lineatum geſtans caput*, *Solino*. Figurabantur ipſi Ægyptiorum Dii *Iſis* & *Oſiris* ſerpentum ſymbolo. Regulus ſicuti habetur pro immortali, omnium aliorum ſerpentum maximè longæuus, & omnia alia animantia halitu ſuo venenato enecat, ita & Rex jus habet vitæ & necis, ζωῆς καὶ θανάτε κυρισύει. Hinc eſt, quod nonnulli reguli nomine in Textu noſtro intellexerint non Ezechiam ſolum, ſed ipſum Meſſiam, cujus & typus fuit ſerpens ille æneus in deſerto erectus. Notum & hodie in extremo Oriente Chinenſibus & Siamenſibus eſſe ſerpentes ſymbolum imperialis potentiæ. De ſerpente שָׂרָף *ſaraph, hydro, cherſydro* plura legas ad Num. XXI. 9.

Sed ſilentio præteriri haud debet epitheton τῶ שָׂרָף heic & XXX. 6. obuium, nempe מְעוֹפֵף *meopheph*, quod de volatu propriè ſumitur, non de jactu vel ſaltu. Noſtræ Verſiones, *fœtus ejus erit preſter volans*, *ſeine Frucht wird ein brennender fliegender Drach ſeyn*. De hujusmodi ſerpentibus volantibus, alatis, qui *draconum* nomine veniunt, plura legas apud veteres, quàm apud modernos. De Draconibus, qui ex Libya & Arabia transuolarunt in Ægyptum *Cicero L. I. Nat. Deor. Joſeph. Ant. L. II. c. 5. Herodotus Lib. II. & III. Mela L. III. c. 9. Ammianus L. XXII. Solinus c. 32. Lucanus* L. VI. Adde, ſi lubet, ex recentioribus *Scalig. in Card. Exercit.* 183. *Brodæ. Exerc.* L. I. c. 3. *Card.* L. VII. *variet. rer.* c. 29. *Odoard. Barboſa, Vincent. le Blanc. Peregrinat.* P. I. c. 25. Sed hodie orbe

auolant hujus generis beſtiæ, & viſu ſe ſurripiunt. De qua re alibi plura. Ego ſanè, credulus eorum, quæ video, ſerpentum horum volantium nomine intellexero potius eos, qui ſumma celeritate ſagittæ ad inſtar ab uno loco in alium ſeſe vibrant, *jaculos volucres*, *Lucano.*

Jeſ. Cap. XV. verſ. 5.

Cor meum vociferabatur propter Moab, fugitiui ejus ad Zoar, vitulam trimam —

Cor meum ad Moab clamabit, vectes ejus usque ad Segor, vitulam conſternantem —

OCcurrunt paſſim, ut heic, ſingulares loquendi formulæ, & tantùm non paradoxæ. *Cor vociferatur*, ἡ καρδία βοᾷ, viſcus omnium nobiliſſimum, quod ad clamandum non magis idoneum eſt, quàm vacca ad volandum. Et eſt *zoar* urbs ſimilis *vitulæ trimæ*, δάμαλις τριετής. Hodie exiguam inibit gratiam, qui florentiſſimam urbem comparauerit cum vacca. Liberandi veniunt ſcrupuli, qui ſollicitos tenent Lectores.

Præuidet Propheta, diuino afflatus ſpiritu, vaſtationem Moabitidis, venturam triennio poſt per Salmanaſſaris irruptionem, clamat commiſeratione motus, *cor meum vociferabatur propter Moab.* Heic *cor meum* idem quod *ego*, vociferor ego. Obuiæ ſunt hujusmodi loquendi formulæ in aliis quoque idiomatibus. Nos Germani, *wuſteſt du, wie mein Hertz gegen dir geſinnet; einem an das Hertz wachſen.* *Ennius* apud *Gellium* L. VII. c. 2.

— *quem credidit eſſe meum cor,*

pro, quem ego credidi. Conſiderari nempe debet cor, ut præcipua affectuum ſedes, ita nempe, ut ſuſcitata animi paſſione forti rota hæc corporis primaria fortius nunc pulſet, nunc remiſſius. Id mirum videtur, indoluiſſe Jeſaiam, Judæum, calamitatibus, quibus obrui debebant hoſtes DEI & Eccleſiæ. Sic & XXI. 3. 4. triſtiſſima jactat verba de calamitatibus, quæ importari debebant Babyloniis, Idumæis, Arabibus: *Impleti ſunt conſternatione lumbi mei, tormina inuaſerunt me inſtar torminum parturientis, audiendo concidi, videndo obſtupui. Cor meum palpitat, horror perterrefecit me. (Propterea repleti ſunt lumbi mei dolore, anguſtia poſſedit me ſicut anguſtia parturientis: corrui cum audirem, conturbatus ſum cum viderem. Emarcuit cor meum, tenebræ ſtupefecerunt me.)* Jerem. XLVIII. 31. 36. *Super Moab ejulabo, & ſuper totum Moab vociferabor; ad viros Kir-hæres meditabitur. — Habet cor meum propter Moab perinde atque tibia triſte muſſitans, & cor meum propter viros Kir-hæres velut tibia perſtrepit. (Ideo ſuper Moab ejulabo, & ad Moab uniuerſam clamabo, & ad viros muri fictilis lamentantes. — Propterea cor meum ad Moab quaſi tibia reſonabit: & cor meum ad viros muri fictilis dabit ſonitum tibiarum.)* Exemplo nobis, ne ſiccis aſpectemus oculis hoſtium vel priuatorum vel publicorum, regionis & religionis, calamitates, ſed commiſerabundi indoleamus.

Fugitiui ad Zoar, limitaneam Moabitarum urbem, Judææ finitimam. עֶגְלַת שְׁלִשִׁיָּה *eglath ſcheliſchijah*, reddit Latina noſtra *vitulam trimam*, ſed παραφράζει Vernacula, *Zoar, die einem ſchönen dreyjährigen Zeit-Rind gleich iſt.* Sed melius forſan adnecti queunt hæc verba proximè præcedentibus, *vociferor ut vitula triennis.* Conſtat id, judice *Bocharto Hieroz.* P. I. L. II. c. 41. ex Loco parallelo Jer. XLVIII. 34. *dederunt vocem ſuam à Zoar usque Horonaim ut vitula trima; (dederunt vocem ſuam à Segor usque ad Oronaim vitulam conſternantem.)* Eſt hæc exegeſis naturæ boum, in ſpecie triennis, congrua. Apud *Homerum* bos audit ἐρίμυκος i. e. μεγαλόφωνος, magnæ & contentæ vocis. Hinc & Latinorum *bos*, Græcorum βῶς, à boatu, vel boatus à boue. τὸ עֶגְלַת vernaculè commodius reddimus *Zeit-Kuhe*, & teſtis eſt *Ariſtot. Hiſt.* L. IV. ſub fin. fortiori voce gaudere vaccas quàm boues, quum aliàs maſculi altius clament fœmellis: Καὶ περὶ φωνῆς δὲ, πάντα τὰ θήλεα λεπτοφωνότερα καὶ ὀξυφωνότερα, πλὴν βοὸς, ὅσα ἔχει φωνὴν. οἱ δὲ βόες βαρύτερον φθέγγονται αἱ θήλειαι τῶν ἀρρένων. *Plinius* L. II. c. 51. *Bubus tantum fœminis vox grauior, in alio omni genere exilior quàm maribus.* Et notanter Propheta memorat vaccam *triennem*, quæ hac ætate fortius boat, viribus quoque præſtantior, quàm vel ante vel poſt, ſubducenda mox jugo. *Domitura boum in trimatu, poſtea ſera, ante præmatura. Plin.* L. VIII. c. 45. *Columella* L. VII. c. 2. *Neque ante tertium, neque poſt quintum annum juuencos domari placet, cum illa ætas adhuc tenera ſit, hæc jam prædura.*

Apoc. Cap. XXI. vers. 19. 20. 21.

19. Et fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioso ornata. Fundamentum primum, Jaspis: secundum, Sapphirus: tertium, Calcedonius: quartum, Smaragdus.
20. Quintum, Sardonyx: sextum, Sardius: septimum, Chrysolithus: octauum, Berillus: nonum, Topazius: decimum, Chrysoprasus: undecimum, Hyacinthus: duodecimum, Amethystus.
21. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt, per singulas, & singulæ portæ singulis margaritis: & platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum pellucidum.

19. Et fundamenta muri ciuitatis, omni lapide precioso ornata. Fundamentum primum, Jaspis: secundum, saphirus: tertium, Chalcedonius: quartum, Smaragdus.
20. Quintum, sardonyx: sextum, sardius: septimum, Chrysolithus: octauum, Beryllus: nonum, Topazius: decimum, Chrysoprasus: undecimum, Hyacinthus: duodecimum, Amethystus.
21. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt, per singulas: & singulæ portæ erant ex singulis margaritis: & platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum.

19. Καὶ οἱ θεμέλιοι τῆ τείχες τῆς πόλεως παντὶ λίθῳ τιμίῳ κεκοσμημένοι· ὁ θεμέλιος ὁ πρῶτος, ἴασπις· ὁ δεύτερος, σάπφειρος· ὁ τρίτος, χαλκηδών· ὁ τέταρτος, σμάραγδος.

20. Ὁ πέμπτος, σαρδόνυξ· ὁ ἕκτος, σάρδιος· ὁ ἕβδομος, χρυσόλιθος· ὁ ὄγδοος, βήρυλλος· ὁ ἔνατος, τοπάζιον· ὁ δέκατος, χρυσόπρασος· ὁ ἑνδέκατος, ὑάκινθος· ὁ δωδέκατος, ἀμέθυσος.

21. Καὶ οἱ δώδεκα πυλῶνες, δώδεκα μαργαρίται· ἀνὰ εἷς ἕκαστος τῶν πυλώνων ἦν ἐξ ἑνὸς μαργαρίτε· καὶ ἡ πλατεῖα τῆς πόλεως, χρυσίον καθαρὸν, ὡς ὕαλος διαφανὴς.

NOn dubitatur absque causa, num hæ duodecim gemmæ, quas Johannes vidit in noua Hierosolyma, præcisè respondeant duodecim illis Pectoralis Pontificalis? vel, an hæ illis, vel illæ his lucem fœnerari queant? Est hæc materia una ex δυσνοήτοις, quoniam certum est, mutasse gemmas sua nomina, & colorum descriptio nobis utrobique deest, qui soli ideam formant adæquatam. Considerationi nihilominus subjiciemus gemmam unam post alteram.

I. *Jaspis*, si quæ alia gemma, deberet esse cognita, quoniam Hebræum Græcumue nomen suum seruauit in plerispue Europæ linguis. Sed animaduertimus jam supra ad v. 11. inter incertas etiam hanc esse reponendam. Est modernorum Jaspis lapis minus pretiosus, opacus, ut plurimum viridis vel ruber, Achatæ adeò affinis, ut sæpius confundi soleant, & *Imperatus* fuerit persuasus, esse *Dioscoridis* & *Plinii Jaspidem* ipsum modernorum *Achaten*, & hunc veterum Jaspidem. Certum id quoque, Veteres Jaspides nomine complexos esse varias gemmas, singularibus hodie nominibus discretas, quas inter forsitan recensentur Turcois, Malachites, Carneolus, Nephriticus, Heliotropius.

II. Est modernorum *Sapphirus* gemma cœrulea diaphana, diuersus à Sapphiro veterum, qui *aureis punctis collucebat*. *Plin.* L. XXXVII. c. 9. & dubio procul omni est *Lazuli Lapis*. Conjectare proin licet, esse modernorum *Sapphirum* veterum *Amethystum*, vel *Hyacinthum*, & speciatim *Epiphanii Hyacinthum thalassiten*, ὑδατέστερον. Qua de re pluribus consuli possunt *Salmasius in Solinum*, *Laëtius*, alii.

III. *Chalcedonius* est gemma albi coloris pellucida, vel semidiaphana, nobilior, si ex cœrulescenti transluceat, uti Orientales, vilior, si opacus magis, & flauescat. Cum Achate sæpe confunditur, item cum Onyche, si in strata diuersi coloris sit dispartitus. Nomen in omnibus fere Idiomatibus Europæis residuum lapidi dedit Chalcedon Asiæ urbs.

IV. *Smaragdus* gemma est viridis pellucida, ex communi veterum & modernorum Scriptorum consensu.

V. *Sardonyx* est ex parte Sardius, ex parte Onyx, ex parte ruber ut Carneolus, ex parte albus. *Sardonyches olim, ut ex nomine ipso apparet,*

Jeſ. Cap. XXI. verſ. 1.

Onus deſerti (a) maris. Viſum prædurum mihi indicatum eſt, non aliter quàm quum procella ab Africo lata à deſerto, terra horribili, aduenit.

(a) Mare Babylonem notat.

Onus deſerti maris. Sicut turbines ab Aphrico veniunt, de deſerto venit, de terra horribili. Viſio dura nunciata eſt mihi.

EX aquilone ſerenitas, teſte Hiobo, & experientia: ſic ex ratione oppoſitorum ab auſtro procellæ. Sunt cauſſæ haud inuentu difficiles. A Borea fit aër denſior, elaſticus magis, ab Auſtro rarior, expanſus. Procelloſis ventis aptiſſimè comparat Propheta irruptiones in Babyloniam factas à Medis & Perſis ſub Cyro & Dario. In teſtes vocamus itinerantes in Perſiam, qui in Arabiæ deſertis plus ſæpe periculi ſufferunt, quàm in æſtuoſo mari, à ventis auſtrinis integras aliquando mercatorum turmas arenâ orientibus. Eſt nempe Arabia deſerta arenoſa, arida, aquâ deſtituta; aër ibi æſtu torridus, rarefactus adeò, ut à mari adſpirans vehementior ventus, deficiente reſiſtentia, qua data porta perrumpat, imo in aliis Arabiæ finitimis terris ingentes ſtrages edat. In Europa noſtra proueniunt hujusmodi venti procelloſi non tam ab Auſtro (ſi valles quasdam alpinas excipias) ſed potius à S W. & N W. ſi quidem Aſiaticus & Africanus aër ſeſe aſſocíet ingenti vaporum ex Mediterraneo & ipſo Oceano ſurgentium copiæ.

Jeſ. Cap. XXI. verſ. 3. 4.

3. Idcirco impleti ſunt conſternatione lumbi mei, tormina inuaſerunt me inſtar torminum parturientis, audiendo concidi, videndo obſtupui.

4. Cor meum palpitat, horror perterrefecit me, crepuſculum deſiderii mei poſuit mihi in horrorem.

3. Propterea repleti ſunt lumbi mei dolore, anguſtia poſſedit me ſicut anguſtia parturientis: corrui, cum audirem, conturbatus ſum, cum viderem.

4. Emarcuit cor meum, tenebræ ſtupefecerunt me: Babylon, dilecta mea, poſita eſt mihi in miraculum.

QUanta fuerit Babyloniæ deuaſtatio, à Medis & Perſis executioni data, colligere licet vel ex geſtibus Prophetæ nil niſi triſtia ominantibus. *Impleti*, inquit, *ſunt conſternatione lumbi mei*, ἐνεπλήσθη ἡ ὀσφύς με ἐκλύσεως, *impletus eſt lumbus meus diſſolutione.* Reſidet propriè loquendo terror neque in lumbis, neque in ulla alia parte corporis, ſed in mente. Hæc ſi terrore afficiatur à triſti quopiam objecto, non ſola onus geſtat, ſed partem corpori tradit. Tenditur nimiùm integrum ſyſtema neruorum, impeditur motus ſanguinis cumprimis per extrema, & muſculos, hinc tremore corripiuntur non lumbi duntaxat, ſed ab iis pendentia crura, imo totum corpus. Hinc nos Germani, *der Zitter kommet mir vor Schrecken in die Beine. Tormina inuaſerunt me inſtar torminum parturientis, audiendo concidi, videndo obſtupui*, ὠδῖνες ἔλαβόν με ὡς τὴν τίκτουσαν. ἠδίκησα τῷ μὴ ἀκοῦσαι, ἐσπάσθην τῷ μὴ βλέπειν. Sunt ſenſus noſtri externi, horumque organa, oculi, aures, infelices illi Tabellarii, qui triſtia noua annuntiant menti, ſed & veluti per reflexionem patiuntur ipſi. Terror fuit Jeſaiæ tantus, ut & nerui viſcerales fuerint nimiùm tenſi, ſi dolores eum obruebant uti parturientem. *Cor palpitabat*, ἡ καρδία πλανᾶται, *cor errat*, ob nimiam extremarum partium reſiſtentiam, cui ſuperandæ par non erat, ſanguine hinc obrutum. *Nox* tandem ipſa, triſtitiæ aliàs comes, fuit ipſi *horrori.*

paret, intelligebantur candore in Sarda, hoc eſt, velut carnibus ungue hominis impoſito, & utroque translucido. Plin. L. XXXVII. c. 6. Optimi ex hoc genere ſunt diaphani, alii viliores opaci, *Plinio cœcæ* dicti. Pars una ſi non ſit rubra, vel carnea, ſed cœruleſcens, aut nigra, *Cameus* dicitur & *Onyx*.

VI. *Sarda, Sardius* rubri eſt, vel roſacei coloris, aliquando flammei, vocaturque *Carneolus*.

VII. *Chryſolithus aureo colore translucet. Plin.* L. XXXVII. c. 9. Modernorum eſt *Topazius*, ſed veterum Topazius viridis.

VIII. *Berillus, aqua marina* dictus, quia viridanti colore aquæ marinæ ſimilis: *Bootio* judice *Gemm.* L. II. c. 69. 70. veteres Berylli nomine complexi ſunt, Topazium, Citrinum, Sapphiri & Hyacinthi nonnullas ſpecies.

IX. *Topazius* veterum fuit viridis. *Egregia etiam nunc Topazio gloria eſt, ſuo virenti genere. — Ejus tota ſimilitudo ad porri ſuccum dirigitur. Plin.* L. XXXVII. c. 8. cognominatus hinc ὑαλοειδὴς, ὑάλῳ παλαμφερὴς, *vitrei coloris, vitro ſimilis, Orpheo, Diodoro Siculo*, aliis, ſed viror ille flauicare dicitur, ad inſtar olei. Modernis Lithologis veterum *Topazius* eſt noſter *Chryſolithus*, veterumque *Chryſolitus* modernorum *Topazius*.

X. *Chryſopraſus* vi nominis ſui ſaturi eſt viroris, ad aureum colorem deflectens. Sed *Plinio* L. XXXVII. c. 5. viroris diluti, Berylli ſpecies. *Vicinum genus* (Beryllis) *eſt pallidius, & à quibusdam proprii generis exiſtimatur, vocaturque Chryſopraſus.*

XI. *Hyacinthus* veterum coloris eſt dilutè cœrulei, vel violacei. *Ille emicans in Amethyſto color violaceus, dilutus eſt in Hyacintho. Plin.* L. XXXVII. c. 9. ſed modernorum Hyacinthus eſt flauus, vel rubro-flauus.

XII. *Amethyſtus usque ad vini colorem accedit, — fulgor purpuræ non ex toto igneus, ſed in vini colorem deficiens. — Perlucent omnes (Amethyſti) violaceo colore, ſcalpturis faciles. Indicæ abſolutum felicis purpuræ colorem habent. Plin.* L. XXXVII. c. 9.

Apoc. Cap. XXI. verſ. 25.

— Nox enim non erit illic.

— Nox enim non erit illic.

— Νὺξ γὰρ οὐκ ἔσῃ ἐκεῖ.

SIngulari hac prærogatiuâ gaudet Hieroſolyma noua. *νὺξ οὐκ ἔσῃ ἐκεῖ· καὶ χρείαν οὐκ ἔχουσι λύχνου καὶ φωτὸς ἡλίου, ὅτι* ΚΥΡΙΟΣ *ὁ* ΘΕΟΣ *φωτίζει αὐτούς*, Apoc. XXII. 5. Terra, habitaculum noſtrum, ſi maneret in ſua circa Solem orbita, ceſſare deberet gyratio diurna, & idem ſemper Hemiſphærium Soli obuerti, quod Phænomenon offert Luna: id autem, ex *Clueri* mente *Geolog.* p. 264. Terræ contingere poſſet ex approximatione Cometæ terram combuſturi. Sed nouæ Hieroſolymæ vix quadrare videtur hic ſitus. Cœleſtem hanc Beatorum ciuitatem ſi ex terra transferamus in cœlum ſtelliferum, nullibi melius locari poterit, judice Clar. *Müllero Diſp. de Galaxia* p. 30. quàm in ipſa hac via lactea, quæ innumerarum Stellarum eſt congeries. Anſam his cogitatis dedit *Fontenellius Entretiens ſur la pluralité des mondes*, ubi ita adloquitur ſexum ſequiorem, eruditâ curioſitate ſeſe diſtinguentem. *Vous voyez cette blancheur, qu'on appelle la voye ce que c'eſt? Une infinité de petites Etoiles inviſibles aux yeux a cauſe de leur petiteſſe, & ſemées, ſi prés les unes des autres, qu'elles paroiſſent former une lueur continue. Je voudrois que vous viſſiez avec des Lunettes cette fourmilliere d'Aſtres, & cette graine des mondes (ſi ces expreſſions ſont permiſes.) Ils reſſemblent en quelque ſorte aux Isles Maldives, à ces 12000. petites Isles ou Bancs de Sable, ſeparez ſeulement par des Canaux de Mer, que l'on ſauteroit presque comme des foſſez. Ainſi les petits Tourbillons de la voye de lait ſont ſi ſerrez, qu'il me ſemble, que d'un monde à l'autre on pourroit ſe parler, ou meſmes ſe donner lamain. Du moins je croy, que les Oiſeaux d'un monde paſſent aiſement dans un autre, & que l'on y peut dreſſer des Pigeons à porter des Lettres, comme ils en portent ici dans le Levant d'une ville à une autre. Ces petites mondes ſortent apparemment de la regle generale, par laquelle un ſoleil dans ſon Tourbillon efface des qu'il paroit tous les ſoleils etrangers. Si vous êtes dans un de ces petites tourbillons de la voye de lait, voſtre ſoleil n'eſt presque pas plus proche de vous, & n'a pas ſenſiblement plus de force ſur vos youx, que cent mille autres ſoleils de petits Tourbillons voiſins. Vous voyez donc voſtre Ciel briller d'un nombre infinites feux, qui ſont fort proches les uns des autres, & peu eloignez de vous. Lorsque vous perdez de veue votre ſoleil particulier, il vous en reſte encore aſſez, & voſtre nuiet n'eſt pas moins eclairée que le jour, du moins la difference ne peut pas eſtré ſenſible: & pour parler plus juſte. Vous n'avez jamais de nuict. Ils ſeroient bien & onnés, les gens de ce monde là, accoutumez comme ils ſont à une clarté perpetuelle, ſi on leur diſoit, qu'il y a des malheureux, qui ont des veritables nuicts, qui tombent dans des tenebres profondes, & qui quand ils jouiſſent de la lumiere, ne voyent meme qu'un ſeul ſoleil. Ils nous regarderoient comme des Eſtres diſgraciez de la nature, & nôtre condition les feroit fremir d'horreur.* Non diſpliceret poteſt ſententia hæc illis, qui beatorum ſedem collocant in cœlo aſtrifero, vel & ſupra illud.

TAB. DCIX.

Jes. Cap. XXI. vers. 7.

Ille ergo, quum contemplatus esset contemplatione multa & diligenti, vidit par equitum, quorum alter asino, alter verò camelo vehebatur.

Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, & ascensorem cameli: & contemplatus est diligenter multo intuitu.

NOtandum heic, esse רֶכֶב גָּמָל, *rechebh gamal*, propriè carpentum à camelis ductum, non equitem camelo insidentem. Priori illo sensu sensum Textus sumsere præter Symmachum multi ex veteribus. Constat autem ex Historiis & Nummis, vectos fuisse veteres camelorum bigis & quadrigis. *Nero in Circensibus commisit camelorum quadrigas. Sueton. in Nerone.* c. 11. Adhibuit & Heliogabalus *camelos quaternos ad currus in circo, priuato spectaculo.*

Sic quoque est רֶכֶב צֶמֶד פָּרָשִׁים *currus duorum equorum, biga*, non *par equitum*. Clarius hæc constant ex v. 9. ubi LXX. αὐτὸς ἔρχεται ἀναβάτης ζυνωρίδος, *ipse venit ascensor bigæ*: Nos, *venit eques quidam (par equitum.)* Bochart. Hieroz. P. I. L. II. c. 2. & 6.

Jes. Cap. XXIV. vers. 18. 19. 20.

18. — Fenestræ supernè aperientur, & concutientur fundamenta terræ.

19. Vehementer crepabit terra, grauiter rumpetur terra, atrociter commouebitur terra.

20. Nutando nutabit terra sicut ebrius, & transferetur sicut tabernaculum nocturnum, ingrauescet super eam præuaricatio ejus, cadet, ut postea nunquam resurgat.

18. — Cataractæ de excelsis apertæ sunt, & concutientur fundamenta terræ.

19. Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commouebitur terra.

20. Agitatione agitabitur terra, sicut ebrius, & auferetur quasi tabernaculum unius noctis: & grauabit eam iniquitas sua, & corruet: & non adjiciet, ut resurgat.

NOn quidem ex professo heic agit Propheta de diluuiana inundatione & motibus terræ, hisce tamen symbolis ob oculos mentesque sistit ultimas tremendi judicii horas, & emphaticas adeò adhibet locutiones, quæ illam de diluuio & terræ motu doctrinam haud parum illustrant. *Fenestræ*, inquit, *supernè aperientur, & concutientur fundamenta terræ. Vehementer crepabit terra*, (רֹעָה הִתְרוֹעֲעָה confringendo confregit se) *grauiter rumpetur terra*, (פּוֹר הִתְפּוֹרְרָה dissipando dissipabit se, vel, ut Chaldæus, dissolutione dissoluetur, LXX. ταραχῇ ταραχήσεται ἡ γῆ) *Nutando nutabit terra sicut ebrius, & transferetur sicut tabernaculum nocturnum.* Ponderosissima verba, quæ adamantino stylo cordibus impœnitentium inprimis peccatorum, & portis urbium sceleribus grauatarum inscribantur, dignissima. Onus en grauissimum, quo comprimetur terra, imo tandem vortice suo excutietur! quò referri possunt postrema verba, *transferetur sicut tabernaculum nocturnum*, σεισθήσεται ὡς ὀπωροφυλάκιον ἡ γῆ, *concutietur quasi pomorum custodia.* Tunc non, quod à cuniculis pyrio puluere repletis contingit, concussione subruetur ædes duntaxat una, vel turris, non sola Sicilia Regnumue Neapolitanum, quibus ruinam minitantur Ætna & Vesuuius, sed destruetur

ISES. Cap. XXI. v. 7.
Bigae Camelorum et Asinorum.

Jes.t Cap. XXI. v. 7.
Esel- und Cameel-Wagen.

G. D. Heümann sculps.

Es. Cap. XXVII. v. 1.
Zygæna Leviathan vectis.

Jes. Cap. XXVII. v. 1.
Leviathan als ein Hebl-Fisch.

G. D. Heümann sculps.

tur tota, quà latè patet, terra. Oculis hac quoque occasione obuersatur Diluuiana illa Catastrophe, à qua *aperturam feneſtrarum cœli (cataractas cœli,)* Gen. VIII. 2. mutuò petit vates. Jungetur vorax elementum voraci, aquæ ignis, à quo cumprimis præstolanda venit ultima illa ruptura terræ & exitialis subuersio. Qui Sacras Literas attentius introspiciunt, hunc aliaque Prophetica Loca intelligunt non figuratè duntaxat de ampliſſimorum Regnorum subuersione, sed quoque ad literam de tremendis terræ motibus, quibus conquassari debet terra scelcribus grauata. Et quemadmodum primæuus ille orbis non duntaxat aquis fuit undique obrutus, sed dissolutus prorsus, in liquamen redactus, & postmodum noua prorsus formâ indutus, ita quoque habitaculum hocce nostrum non collabetur sensim cespitis ad instar bituminosi igniti, sed horrendis comburetur fremitibus. Videbis passim Prouincias integras urbesque veluti ab accensis in imis visceribus cuniculis momento subuersas, collapsos muros, palatia, ædes, ignis flammantes ubique Pyramides. *In zelo meo, in igne iræ meæ loquutus sum, si non in die illa fuerit commotio magna in terra Israel. Commouebuntur enim à facie mea pisces maris, & volucres cœli, & bestiæ agri, & omne reptile, quod reptat super terram, omnes homines denique, qui sunt in superficie terræ, & subruentur montes, & cadent aggeres, & omnes muri in terra cadent.* Ita DEUS altipotens apud Ezech. XXXVIII. 19. 20. Memorat & Saluator noster σεισμὸς Matth. XXIV. 7. qui ante ultimum judicii diem concussuri erunt terram. Cujus Loci exegesis videatur.

TAB. DCX.

Jes. Cap. XXVII. vers. 1.

In die illa visitabit DOMINUS gladio suo duro, grandi & robusto, Leuiathan serpentem vectem, & Leuiathan serpentem contortum, & trucidabit Draconem, qui in mari est.

In die illa visitabit DOMINUS in gladio suo duro, & grandi & forti, super Leuiathan serpentem vectem, & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari est.

OCcurrunt heic nonnulla animalia aquatica, attentione nostra digna. לִוְיָתָן נָחָשׁ בָּרִיחַ *Liuiathan nachasch bariach; Leuiathan serpens vectis, Leuiathan die lange Schlang* nobis Tigurinis, ideam dant vagam duntaxat, non distinctam: frustra quæsieris animal hujus nominis apud Zoographos, frustra terra marique. Distinctum quid & notum dixeris, si cum *Bocharto* reddideris *Zygænam* piscem, quem cetis annumerant *Oppianus*, *Ælianus*, *Galenus*, *Ægineta*, *Basilius*, *Phile*, *Suidas*. *Zygæna* dicitur ἀπὸ τῦ ζυγῦ, à jugo, vel vecte transuerso libræ, propter longi capitis transuersum situm. Germanis *Schlegel-Fisch* Fig. 1. 2. à mallei figura, Italis *balista*, *pesce martello*, Gallis Massiliæ *barretella* & *peis jouziou*, i. e. Judaicus Piscis, quod olim Aueniones Judæi hujusmodi gestarint pileos, quò & referri queunt Argentoratenses illi sequioris sexus. Ad *Cetos* ipsos propriè non pertinet, sed quidem ad *cetaceos*, speciatim *Galeos*. Ex solo nomine נָחָשׁ בָּרִיחַ nemo facile hariolabitur hunc piscem, denotat quippe נָחָשׁ serpentem, intelligi autem debere piscem, constat ex prænomine לִוְיָתָן, quod *Ceti* תַּנִּין est synonymum. Lucem fœneratur huic interpretationi Amos IX. 3. ubi נָחָשׁ etiam piscibus adnumerari debet. *Si subduxerint se ab oculis meis in fundum maris, inde mandabo serpenti,* נָחָשׁ, *ut mordeat eos.* Et est hic, de quo nunc, piscis emphaticum seu diaboli, seu hostium quorumcunque Ecclesiæ symbolum, tum ratione indolis suæ, tum ratione figuræ, quæ horrorem incutit. *Oppianus Halieut.* L. I. v. 360.

Κήτεα δ' ὀβριμόγυια, πελώρια θαύματα πόντε,
Ἀλκῇ ἀμαιμακέτῳ βεβριθότα, δεῖμα μὲν ὅσσοις
Ἐισιδέειν· ἀιεὶ δ' ὀλοῇ κεκορύθμενα λύσσῃ,
Τῶν ἤτοι κρυόεις τε λέων, βλοσυρή τε ζύγαινα.

Vasta etiam Cete, Pontique immania monstra,
Viribus indomitis pollentia, lumine toruo
Horrida, continuam rabiem spirantia & iras,
In quibus est dirusque Leo, & truculenta Zygæna.

Lib. V. Halieut. v. 37.

— τίς δὲ λέοντος ἐνὶ Φρεσὶν αἴθεται ἀλκὴ,
Ὅσση ῥηγεδανῇσιν ἀνισώσαιτο ζυγαίναις;

— Quisue Leo est tanto, qui ferueat intus,
Robore, ut horribiles queat exæquare Zygænas?

Formidabilis namque eſt hic piſcis nautis oris hiatu latiſſimo, dentium acutorum quinque ſeriebus, quibus & homines & maximos piſces dilaniat furens. Sed Judæis interpretibus non longus ſatis eſt hic, confugiunt proin ad Cetos, imò horum maximos, qui ſeſe ad 500. ſtadiorum longitudinem extendunt, id eſt, ut illi ſomniant, ab uno maris extremo ad aliud oppoſitum. Fabulis ſi delecteris anilibus, lege in Talmudico Tractatu *Baua Bathra* f. 73. de naue quondam ſuper dorſum piſcis vecta, quæ triduanum iter confecerat ab una pinna ad aliam. Nihil ſunt tamen hæ Lugendæ Judæorum collatæ cum Mahometanis, quæ piſcem deſcribunt, cujus dorſo tota terra incumbit.

Sequuntur לִוְיָתָן נָחָשׁ עֲקַלָּתוֹן *Liuiathan nachaſch akallathon*, *ſerpens contortus*, *die viel gekrümmete Schlang*, LXX. δράκων ὄφις σκολιὸς, *Draco coluber tortuoſus*, tandemque תַּנִּין *thannin*, quibus vocabulis inſigniuntur haud dubiè diuerſa Cetorum genera.

Jeſ. Cap. XXVIII. verſ. 7. 8.

7. Et etiam illi in vino perplexi ſunt, & in ſicera aberrarunt, Sacerdos & Propheta perplexi ſunt ob ſiceram, obruti vino, errant ob ſiceram, perplexi ſunt in videndo, vacillant in decernendo.

8. Nam omnes menſæ ita impletæ ſunt vomitu & ſordibus, ut nullus locus (ſuperſit.)

7. Verum hi quoque præ vino neſcierunt, & præ ebrietate errauerunt. Sacerdos & Propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino, errauerunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignorauerunt judicium.

8. Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu ſordiumque, ita ut non eſſet ultra locus.

TUrpiſſimum eſt ebrietas vitium etiam in ſtatu abjectiſſimo plebis imæ, ſed dedecet cumprimis perſonas Eccleſiaſtici Politiciue ſtatus publicas, virusque ſuum diffundit latius. Peccat, & grauiter quidem, ebrioſus agricola vel opifex, in DEUM, proximum & ſeipſum. Sed redundat noxa primario in ſe ipſum, & familiam ſuam. Verùm enim verò ſi judici oculi animusque natent vino, ſi malè ſobrius ſedeat in Tribunali, ſi Sacerdos, Propheta, Profeſſor multo perfuſa habeat tempora Baccho, ebrius conſcendat Cathedram, noxam ſentit Respublica, Eccleſia, Schola. Quî quæſo de rebus ſtatus rectè judicabit ebrius, quî decidere in foro res controuerſas? Quî cultui vacare diuino Sacerdos, viſiones videre Propheta, reprehendere Pſeudo-Sacerdotes & Pſeudo-Prophetas, populo annuntiare ὑγιαινόντας λόγας? ſi ſanguinis maſſa exæſtuet vino, vaſa totius corporis, cerebri cumprimis, nimiùm ſint tenſa, ſi Spiritus & ideæ irregulari motu diſcurſent, machina integra tremat prona ad lapſum? Sunt hujusmodi homines *perplexi in videndo*, *vacillant in decernendo*, πλανῶντω in loquendo, docendo, ſententias ferendo, *vacillant* in omnibus animi corporisque functionibus. Corpus, pretioſum depoſitum, eneruant, animi vires exhauriunt & ſuffocant. Summo tandem ſcandalo eſt ventriculus oneratus nimis, & erga dominum ſuum rebellis, ſi *omnes menſæ ita impletæ ſunt vomitu & ſordibus, ut nullus locus ſuperſit.*

Ies. cap. XXVIII. v. 25-28.
Virga viciæ, cymino - baculus.

Jes. Cap. XXVIII. v. 25-28.
Wicken-Stab und Kümel-Ruthe.

I. G. Thelot sculps.

TAB. DCXI.

Jes. Cap. XXVIII. vers. 25-28.

25. Nonne, ut æquauit ſuperficiem ejus, vitiam ſpargit, ac cyminum diſſipat, & ponit triticum ſerie ſua, & hordeum ſignato (loco), tum far in ſuo termino?
26. Et, ut hæc ritè peragat, erudit ac dirigit eum DEUS ſuus.
27. Neque enim tribula dentata exteritur vitia, nec circumducitur rota plauſtri ſuper cyminum, ſed virga excutitur vitia, & cyminum baculo.
28. Panis comminuitur, quandoquidem non perpetua tritura exteritur, & ſtrepitus rotæ plauſtri ipſius, & ungulæ ipſius non comminuent eum.

25. Nonne, cum adæquauerit faciem ejus, ſeret gith, & cyminum ſparget, & ponet triticum per ordinem, & hordeum, & milium, & viciam in finibus ſuis?
26. Et erudiet illum in judicio, DEUS ſuus docebit illum.
27. Non enim in ſerris triturabitur gith, nec rota plauſtri ſuper cyminum circuibit: ſed in virga excutietur gith, & cyminum in baculo.
28. Panis autem comminuetur: verum non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plauſtri, nec ungulis ſuis comminuet eum.

DUcunt nos hi Textus ad agriculturam, imo veterum Judæorum. Ad laboris genus, quod cum Paſtoratu antiquitate certat. *Fuit Habel paſtor ouium, Cain verò agricola.* Gen. IV. 2. Ars vel propter inſignes, quos hominum ſocietati præſtat, uſus, maximi habita omni ævo, à Græcis Cereri Deæ inuentrici dicata: Exculta temporibus Moſis, id quod vel ex diuerſis ejus legibus agrariis conſtat. Deut. XV. 19. vetat *operari primogenito bouis*, eum nempe admouere aratro. XXII. 10. *arare cum boue & aſino ſimul.* XXI. 3. jubentur *ſeniores ciuitatis vitulam accipere ex armento, cum qua adhuc nihil operis factum eſt, quæque jugum non traxit. (Seniores ciuitatis illius tollent vitulam de armento, quæ non traxit jugum, nec terram ſcidit vomere.)* Jam ante Moſen poſſidebat Hiobus 500. *boum juga* ante aduerſam fortunam, 1000. poſt. I. 3. XLII. 12. Quin imo Inuentorem & Doctorem artis hujus DEUM ipſum ſtatuit Propheta noſter. *Ut hæc rite peragat* agricola, *erudit ac dirigit eum DEUS ſuus.* LXX. παιδευθήσῃ κρίματι ΘΕΟΥ σε, καὶ ἐυφρανθήσῃ. *Erudieris Judicio DEI tui, & lætaberis.* Ita & Siracides Eccleſiaſt. VII. 16. ἡ γεωργία ὑπὸ ὑψίστε ἐκτισμένη. Eſt labor hic ex abſolutè neceſſariis. Semen projectum neque aſſumit, neque nutrit terra denſa, ſolida, dura, compacta. Succus terræ mucilaginoſus, plantarum nutritius, motore & ductore aëre, per poros terræ circulare neceſſe habet. *Aranda* eſt tellus & occanda, *aperienda & proſcindenda ad ſeminandum.* Jeſ. XXVIII. 24.

Vers. 25. Recenſentur ordine ſemina, frumenta atque legumina, & ita quidem, uti debebant vi legis ceremonialis ſeri ſeparatim, ſingula *ſerie ſua*, קֶצַח *ketſach*, *vitia*, potius *vicia*, כַּמֹּן *cammon*, *cyminum*, חִטָּה *chittah*, *triticum*, שְׂעֹרָה *ſeorah*, *hordeum*, & כֻּסֶּמֶת *cyſſemeth*, *frumentum*.

Eſt קֶצַח *ketſach* ex monadicis vocibus ſacris, denotans certò leguminis vel aliud quoddam hortenſe genus. *Hieronymus Gith* reddit. De hoc *Plinius* L. XX. c. 17. *Gith ex Græcis, alii Melanthion alii melaſpermon vocant. Optimum, quam excitatiſſimi odoris, & quam nigerrimum. Auſonius:*

Eſt inter fruges, morſu piper æquiparans, Gith.

Citatus modò *Plinius*, poſtquam uſus hujus plantæ Medicos recenſuit, *ſemen etiam gratiſſimè condire* teſtatur. Et L. XIX. c. 8. *Gith piſtrinis — naſci.* Scilicet ut nos Cumino ſolemus panes atque placentas condire. LXX. reddunt μικρὸν μελάνθιον, i. e. *nigellam.* Placet *Melanthium R. Solomoni, Junio, Tremellio, Piſcatori, Ariæ Montano, Pagnino, Vatablo, Buxtorfio, Schmidio.* Quod ſi hanc plantam adoptare lubeat, intelligi debet non tam *nigella* vulgaris hortenſis, vel & aruenſis noſtrâs, quàm

Cretica latifolia odorata Park. alba simplici flore. Alpin. Exot. utpote quæ seminibus nigris, odoratis, *Melaspermo* Plinii, apprimè quadrat, vel & *nigella Cretica altera odorata tenuifolia Park. Nigella Cretica foliis fœniculi* C. B. cujus semina quoque sunt nigra, acria, angulosa, nonnihil odorata. Sed placet *vicia* Tigurinis, quam unde hauserint, mihi non constat. Subsidio nobis venire possunt Orientalium Gentium nomina quodammodo affinia, Persarum *kesene, küsene, kiisene, küsne, küsni*, Turcarum, *burciak*, Polonorum *Gesia wyka. Meninzk. Lex.* 756.913.3969. Hæc si placeat, posset in censum venire *Vicia vulgaris satiua semine nigro.* C.B. *Vicia vulgaris satiua.* I.B. vel *Vicia vulgaris sylvestris semine paruo & nigro frugum.* I.B. *Vicia semine rotundo nigro.* C.B. vel potius *Faba sylvestris fructu rotundo atro.* C. B. *Aracus Fabaceus & Faba Kairina, cui semina minora* I. B. quæ *Vicia* est *supina latissimo folio non serrato.* Tournef. *Vicia Narbonensis maxima fructu rotundo atro, foliis serratis & integris moris. Vicia maxima Romana folio serrato & integro.* Eid. in Iconib. Ut haberet, quod seligeret ipse Lector, exhibere volui Lit. A. *Nigellam Creticam folio fœniculi.* C. B. Lit. B. *Viciam Romanam* modò memoratam.

Est כֶּמֶס *camm* vel כַּמּוֹן *cammon* procul omni dubio *cuminum*, quod nomen seruarunt Nationes Europææ omnes. Quibus associamus Orientalium nomina, Turcarum *kemmun, kemnun*, Arabum *kimnun, kimmun*, Polonorum *kmin. Meninzk. Lex.* 2500. 4022. Sed non tam intelligi debet *cuminum pratense seu carui officinarum.* C. B. quàm *cuminum semine longiore.* C. B. de quo plura legas Matth. XXIII. 23.

De genuino vocis כֻּסֶּמֶת *cyssemeth*, quam heic reddimus *far*, *Korn*, significatu vide Exod. IX. 32. p. 189. hujus operis.

Commata 27. & 28. nos edocent diuersos semina præmemorata triturandi modos, ex quatuor mox commemorandis, qui in usu fuere apud Veteres.

1. Baculis, vel virgis, scilicet ut carminarii lanam. *Columella* L. II. c. 21. *Spicæ possunt per hyemem vel baculis excuti, vel exteri pecudibus. — Ipsæ autem spicæ melius fustibus tunduntur.* Ita nos excutimus frumenta tribulis, quæ fortè fortiores sunt baculis illis seu virgis, quarum mentionem facit Propheta, quando inquit, *virga excutitur vicia, & cyminum baculo,* ῥάβδῳ τινάσσεται τὸ μελάνθιον, τὸ δὲ κύμινον μετὰ ἄρτε βρωθήσεται. Ante Jesaiæ tempora excussa quoque videntur grana frumenti baculis, fustibus, Jud. VI. 11. *excutiebat Gedeon* חֹבֵט חִטִּים בַּגַּת *virga, vel baculo*, triticum, ubi LXX. significanter ῥαβδίζων σῖτον ἐν λήνῳ. Ruth. II. 17. *Collegit* Ruth *in agro usque ad vesperam, & extriuit* וַתַּחְבֹּט, *quod collegerat*, ubi iterum LXX. καὶ ἐράβδισεν ἃ συνέλεξε.

2. Excutiebatur frumentum tabula lignea ferro rudi obducta ac firmiter colligata, & lapidibus grauata, quam jumenta trahebant. Hinc machinam hanc *traham* vocat *Columella, traheam Virgilius* à trahendo. Fuit autem rotis destituta Jes. XLI. 15. מוֹרָג *morag. En ego faciam te plaustrum, & tribulam nouam dentatam, ut exteras montes atque comminuas, & colles in scobem redigas. (Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra ferrantia: triturabis montes, & comminues, & colles quasi puluerem pones.)* Ab Hebræo מוֹרָג descendit haud dubiè Arabum *naurag*, quod similem Trahæ denotat machinam *Alcamo.* In Lexico Copto-Arabico vocatur πιαχήειον, forsan πιεχήειον ἀπὸ τῦ πιέζειν, à premendo, pressorium instrumentum. Suidas: πιεχήειον, τὸ ἐκθλίβον. Forma ex loco modò citato Esaiæ commodè colligi potest, ubi nuncupatur חָרוּץ *charuts, incisum*, machina suis incisuris prædita fermè serræ ad instar, quâ e. gr. Lignum Brasilianum comminuitur in scobes. Ita & in Textu nostro: *Neque tribula dentata* בְּחָרוּץ *exteritur vitia.* Ducebant tribulas hasce boues. Constat id ex 2. Sam. XXIV. 22. ubi Arauna Dauidi Regi pro sacrificio offerebat *boues in holocaustum*, וְהַמֹּרָגִים *& trahas (& plaustrum)* (has omisit Latina nostra,) *& instrumenta boum in ligna, (& juga boum in usum lignorum,)* quibus nempe grana frumenti tunc excutiebat in area.

3. Adhibebatur tribula rotata, *Varroni Plostellum Pœnicum*, quia à *Pœnis*, origine Canaanitis, inuentum. Ducebantur hæ rotæ, eæque serratæ ab homine insidente plostello. Tale plostellum & heic loci intelligitur, expressa enim fit *rotarum* mentio, *neque circumducitur rota plaustri super cyminum*, v. 27. & v. 28. *non perpetua tritura exteritur, & strepitus rotæ plaustri ipsius, & ungulæ ipsius non comminuent eum.* ἀλλὰ τροχὸς ἁμάξης περιάξει ἐπὶ τὸ κύμινον. Hujusmodi plostella vocat *Cyrillus in Jes.* XLV. ἁμάξας καὶ τροχὰς πριστηροειδέας, *plaustra & rotas serratas.* Videtur sanè Propheta non solùm heic loci, sed etiam alibi hujusmodi plaustra indigitasse: XXV. 10. *Exteretur Moab sub ipso, quemadmodum exteritur collectio palearum in sterquilinium. (Triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in plaustro.)* Ubi LXX. καταπατηθήσεται ὁ Μωαβίτης, ὃν τρόπον πατεῖσιν ἄλωνα ἐν ἁμάξαις. Vulgata: *Triturabitur Moab sub eo, sicut teruntur paleæ in plaustro.* XLI. 15. *Ego faciam te plaustrum, & tribulam nouam dentatam. (Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum,)* ubi iterum LXX. ἐποίησά σε ὡς τροχὰς ἁμάξης ἁλοώντας.

4. Fiebat trituratio per boues, qui conculcare debebant frumenta pedibus. Huc facit Jer. L. 11. *Increuistis ut vitula exterens. (Effusi estis sicut vitulus super herbam.)* Hos. X. 11. *Ephraim est ceu vitula assueta, diligit triturare. (Ephraim vitula docta, diligere triturare.)* Lex Mosaica Deut. XXV. 4. *Ne obuincias os bouis in tritura sua. (Non ligabis os bouis, terentis in area fruges tuas.)* Mich. IV. 13. *Surge & extere, o filia Zion, quoniam faciam cornu tuum fer-*

ferreum, & ungulas tuas faciam chalybeas, ut conteras populos multos. In usu fuit hæc triturandi ratio non solùm apud Judæos, sed & Syros, Arabes, Ægyptios, vetustissimos quoque. Græcos, teste *Homero Iliad.* υ. v. 495.

Ὡς δ' ὅτε τις ζεύξῃ βόας ἀρσενας, εὐρυμετώπας,
Τριβέμεναι κρῖ λευκὸν ἐϋτροχάλῳ ἐν ἀλωῇ,
Ῥίμφα τε λέπτ' ἐγένοντο βοῶν ὑπὸ πόσσ' ἐριμύκων.

Ut cum boues mares latis frontibus jungit aliquis,
Ut in rotunda area album hordeum obterant,
Et sub mugientium boum pedibus grana statim tenuia fiant.

Cereri inuentum tribuit *Callimachus Hymno in Cererem.* v. 20. 21.

— ὡς καλάμην τε καὶ ἱερὰ δράγματα πρώτα
Ἀχαχύων ἀπέκοψε, καὶ ἐν βόας ἧκε πατῆσαι.

— *Quomodo calamum & spicarum sacros manipulos prima*
Absciderit, & boues calcatum immiserit.

Modum ostendit *Xenophon in Oeconomico,* quomodo nempe τὰ ὑποζύγια conculcauerint frumenta, adstantibus ἐπαλωσῶς, triturae moderatoribus, vel directoribus, & frumenta subinde vertentibus. Operi huic adhibebantur etiam asini, equi, jumenta varia, inprimis equi, tradente *Columella* L. II. c. 21. Quæ triturandi ratio adhuc usui venit diuersis gentibus Asiaticis, Tartaris in specie Volgæ accolis. Vid. *Olear. Pers. Reis.* L. IV.

Appendicis loco commemoranda venit *mola trituratoria,* qua tres homines quotidie eundem conficiunt triturationis laborem, quem vix 18. personæ tribulis seu fustibus. Machinam descriptam vide in *Miscell. Berol.* T. I. p. 325.

Jes. Cap. XXIX. vers. 3.

Nam castra contra te figam circunquaque, & angustum tibi faciam munitione: aggeres quoque contra te excitabo.

Et circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo, & jaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obsidionem tuam.

ALia est, quod alia occasione ostendi, antiqua hæc urbes & fortalitia oppugnandi ratio ab hodierna. Moderna Architectura progressus facit & adductus sub terra, per cuniculos agit & incisuras, dum illa valla erexit & fortalitia, vallis & fortalitiis opposita. Quæ heic vaticinatur Propheta de obsidione urbis sacræ, Hierosolymam puta, ad literam fuere impleta. Descriptio extat apud *Josephum de Bell.* L. VI. c. 11. 13. qui ipse coæuus & operum Romanorum αὐτόπτης testatur, Romanos non solùm erexisse vallum circa urbem, sed & περίβολον, 38. stadiorum murum. Quibus operibus adeò clausa fuit deuota Solymorum urbs, ut nemini Judæorum, licet extrema presso fame, fuerit relicta euadendi occasio. Nondum sufficiebant hæc utut stupendæ molis opera, sed, ut moderni lineas suas circumuallationum & contrauallationum muniunt fortalitiis campestribus, Romani extruxerant ad peribolum illum 13. Castella 10. stadiorum in circuitu, quæ inseruire debebant partim defendendo muro, partim locandis commodè in præsidio militibus. Et omnem penè fidem superat, quod *Josephus* tradit, tridui spatio finitum fuisse opus ingens adeò atque diffusum, quod ὁρμή τις δαιμόνιος, impetus quasi diuinus, animum addiderit Romanis. Id certè fuit, quod DEUS per Prophetam nostrum prædixerat, *castra contra te figam circunquaque, & angustum tibi faciam munitione, aggeres quoque contra te excitabo,* κυκλώσω ἐπί σε, καὶ βαλῶ περί σε χάρακα, καὶ θήσω περί σε πύργας. Et Saluator noster Luc. XIX. 43. περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σε χάρακά σοι, καὶ περικυκλώσουσί σε, καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν.

Jeſ. Cap. XXX. verſ. 6.

Bajularunt (a) jumenta onus per viam auſtralem, per terram diſcriminis & anguſtiæ (plenam), è quibus (prodeunt) Leones & Leænæ, regulus & preſter urens ac volitans: bajularunt, inquam, in humeris pulli facultates illorum, & in gibbis Cameli theſauros eorum, ad populum, qui prodeſſe non poterit.

(a) Al. legunt, onus jumentorum auſtri.

Onus jumentorum auſtri. In terra tribulationis & anguſtiæ, leæna & leo ex eis, vipera & regulus volans, portantes ſuper humeros jumentorum diuitias ſuas, & ſuper gibbum camelorum theſauros ſuos, ad populum, qui eis prodeſſe non poterit.

DIuerſi generis animalia heic recenſentur, quæ in deſerto Palæſtinam inter & Ægyptum viuunt, quà nempe eundum fuit Judæis theſauros ſuos Ægypto importantibus, & quorum ſymbolo Propheta repræſentare vult abominandam Iſraëlitarum à DEO Apoſtaſiam, לָבִיא *labbi*, *Leo*, לַיִשׁ *lajiſch*, *Leæna*, אֶפְעֶה *epheb*, *vipera*, vel *Baſiliſcus*, שְׂרָף מְעוֹפֵף *ſaraph meopheph*, *preſter urens ac volitans*. De quibus alibi paſſim.

Jeſ. Cap. XXX. verſ. 23. 24.

23. — Depaſcet pecus tuum in illa die campum paſcuum amplum.

24. Tauri quoque & pulli, qui terram colunt, farraginem ſapidiſſimam comedent, quæ vento & vanno ventilata eſt.

23. — Paſcetur in poſſeſſione tua in die illo agnus ſpaciosè.

24. Et tauri tui, & pulli aſinorum, qui operantur terram, commiſtum migma comedent, ſicut in area ventilatum eſt.

GAudet unumquodque animal, ordinante ita ſapientiſſimo DEO, pabulo, quod ſibi, corpori ſuo, hujusque nutritioni & conſeruationi eſt adæquatum. Deſcendit Hebræa vox בְּלִיל *belil*, quam reddimus *farraginem*, *futter*, à בָּלַל, *miſcere*, quoniam pabulum jumentorum & pecorum utplurimum commiſceri ſolet ex diuerſis rebus, auena, hordeo, frumento, fœno. Hinc LXX. φάγονται ἄχυρα ἀναπεποιημένα ἐν κριθῇ λελικμημένῃ, *comedent paleas commixtas hordeo ventilato*. Illæ ſolæ ut tenue nimis, hoc ut forte nimis darent nutrimentum, ita prodit ex utriusque mixtura pabulum optimum. Eſt בְּלִיל חָמִיץ *belil chamits* propriè *farrago ſubacida*, pecori offerri ſolita deficiente appetitu. Sunt ex Rabbinis, qui reddunt *pingue*, alii *fermento mixtum*, alii *benè compactum*, alii *purum*, *merum*, nos *ſapidiſſimum*, *ein ſtarckes*, *kräfftiges Futter*.

Jes. Cap. XXXI. vers. 1. 3.

1. Væ his, qui descendunt in Ægyptum pro auxilio, quique equis nituntur, & fiduciam habent in quadrigis, quod multæ sint, & in equitibus propter ingens robur eorum, sed ad sanctum Israelis non respiciunt, & ipsum DOMINUM non quærunt.
3. Quin & Ægyptius homo est, & non DEUS: & equi eorum caro sunt, & non spiritus. —

1. Væ, qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt: & super equitibus, quia prævalidi nimis: & non sunt confisi super Sanctum Israel, & DOMINUM non requisiuerunt.
3. Ægyptus, homo, & non DEUS: & equi eorum, caro, & non spiritus. —

DIfferunt admodùm ejusdem generis animalia, sic & homines & plantæ, pro diuersitate climatum, aëris, aquæ, ciborum, culturæ. Exemplo simus Heluetii nos, sint vaccæ nostræ, aliis fortè Europæis omnibus præferendæ, lacticinia nostra & ex iis casei, vegetabilia nostra. Par heic ratio est *equorum* Ægyptiacorum, alibi quoque in Sacris laudatorum. Fuere Pharaoni *sexcenti electi currus*, & *copiæ equitum*, Exod. XIV. 7. 9. *Josepho* si fides, *Ant.* L. II. c. 6. Equitatus dicti Regis fuit 50000. si Arabibus 100000. equitum. *Anno quinto Regis Rehabeam ascendit Sesak (Josepho Ant.* L. VIII. c. 4. Sesostris) *Rex Ægypti contra Jerusalem cum mille & ducentis curribus cumque sexaginta millibus equitum*, 2. Paral. XII. 3. Exercitum Pharaonis Necho, quem postea Nebucadnezar deleuit ad Euphratem, ita adloquitur Jeremias XLVI. 4. 9. *Ascendite, o equi, & insano quodam furore ferimini, o currus, — jungite equos, & conscendite, o equites. (Ascendite equos, & exultate in curribus, — jungite equos, & adscendite equites.)* Cant. I. 9. confertur pulchritudo Ecclesiæ *equitatui inter currus Pharaonis*. Ezechiæ improbrat improbus Rabsake fiduciam, quam ille fortè collocet *in Ægyptios propter currus & equites*, 2. Reg. XVIII. 24. Petebant ipsi Judæi equos præstantissimos, quos quidem habebant, ex Ægypto. Constat id vel ex Solomonis Historia, cui sapientissimo Regi *educti sunt equi ex Ægypto. — Ascendit autem & exiuit quadriga ex Ægypto sexcentis argenteis, & celes centum & quinquaginta. Atque in hunc modum cuncti reges Hethæorum & Syriæ equos venundabant*, 1. Reg. X. 28. 29. 2. Par. I. 16. 17. Centenis aliquot annis post parans se ad bellum contra Nebucadnezarem Zedekias *miserat nuntios suos in Ægyptum, ut illa daret ei equos, & populum multum*. Ezech. XVII. 15. Vidimus ex allegatis tot Sacræ Scripturæ locis elogia tributa equis Ægyptiis, quæ frustra quæras apud profanos Scriptores, eos etiam, quod mirari subit, qui ex professo indolem equorum variorum descripserunt, *Oppianum* puta, *Nemesium*, *Vegetium*, *Absyrtum*, qui illos ne quidem mentione aliqua dignantur. Est & hodie altum in Oriente de præeminenti Ægyptio equitatu silentium. Ut omnino conjectare liceat, defeciisse successu temporis equorum in Ægypto merces, ex rationibus mox adducendis. Constat quippe ex vetustis Scriptoribus aliis, abundasse olim Ægyptum equis. De Thebis en testimonium *Homeri Iliad. i.* v. 383.

Αἱ θ' ἑκατόμπυλοί εἰσι, διηκόσιοι δ' ἀν' ἑκάστην
Ἀνέρες ἐξοιχνεῦσι σὺν ἵπποισιν, καὶ ὄχεσφιν.

His solido portæ sunt centum ex ære, virosque
Currubus insignes, & equis, dat quæque ducenos.

Juxta hunc Homeri computum dabant solæ Thebæ exercitum 20000. equitum, vel & hominum currubus destinatorum. Congruit testimonium *Diodori* L. II. p. 30. aluisse florentissimam hanc urbem 20000. equos, scilicet in 100. stabulis, sed in singulis 200. in Tractu Nilotico Libyam versus. Hi si currules fuerunt, suppeditauit sola hæc urbs quadrigas 5000, vel bigas 10000. Quæ ipsa curruum copia fortè occasionem dedit urbi illi, olim *No amon, Diospolis*, dictæ, nomen commutandi in Thebas, nam ΘΒΑ. Coptica Lingua notat 10000. Memorat idem *Diodorus* expeditionem ab *Osymandya* Ægyptiorum Rege contra Bactrianos factam cum 400000. peditibus, & equitibus 20000. Sic & *Sesoosis*, *Herodoto Sesostris*, *Justino Martyri Sesonchosis*, *Sesac* in Sacris, eduxerat 600000. pedites, 24000. equites, bigas 27000. Quin imo equitandi ars *Oro*, ex vetustissimis Ægyptiorum Regibus, tribuitur tanquam inuentori apud *Plut.* in *Iside* & *Clementem*

L. V. *Stromat.* fuitque equus Ægyptiis σύμβολον ἀνδρείας τε καὶ παῤῥησίας. Sed id negari nequit, defeciſſe poſteris temporibus equorum culturam, binas præcipuè ob cauſas. Harum una eſt, quod ſubacti à Perſis & Macedonibus belli & rerum in bello agendarum curam neglexerint prorſus, id quod adhuc faciunt ſub Turcarum regimine, ut bellis fortè obortis vix partem copiarum ſibi adſignatam ſuppeditent. Alteram rationem ſubminiſtrat Ægypti totius fere mutatio notabilis facta ex ſicca in aquoſam; ſunt enim plerique Nili canales non natura facti, ſed arte, impenſis regiis, ne deficeret aqua remotioribus à Nilo, & ut merces commodè per totam Ægyptum vehi poſſent, itinera eſſent commodiora, & regio ipſa ſecurior tantò ab inſultibus bellicis. Quadrant hæc omnia ad amuſſim fere Belgio fœderato, ubi canales plerique arte ſunt excauati, itinera ab urbe ad aliam, imo à pago ad pagum commodiſſima, equorum curruumue uſus penè nullus. *Seſoſtri* tribuunt Ægypti hanc perfoſſionem *Herodotus* & *Diodorus*. Sed ſeculis aliquot poſt eidem operi manus admoueri juſſit *Nilus*, poſt Nilum *Sabacon* Æthiops, qui foſſarum excauationi admouit inprimis damnatos ad mortem. Manſit tamen equorum cultura ad *Ptolemæum* usque *Philadelphum*, cui fuere, teſtibus Hiſtoricis, equites 20000. currus 2000. Ita *Hieronym. in Dan.* XI. quem numerum duplat *Appian. Alexandrin. Præf. ad Libros ciuilium.*

Jes. Cap. XXXIII. vers. 4.

Et colligetur præda veſtra, ut ſi quis (a) brucos colligat, ut eſt diſcurſus locuſtarum in eo (loco) quo diſcurrunt.

(a) Alii gebim pro foueis exponunt, in quas & bruci & locuſtæ conjiciuntur, & tunc diſcurſus ad homines refertur.

Et congregabuntur ſpolia veſtra ſicut colligitur bruchus, velut cum foſſæ plenæ fuerint de eo.

AGitur heic de deuaſtatione Aſſyriæ, ſed oculi Interpretum conjiciendi ſunt in Regiones Orientales, ubi bruchi & locuſtæ turmatim & veluti per exercitus inuolant, & ubi ſe demittunt cunque, ſaltant absque metu, militum ad inſtar ouantium, neque ante diſcedunt, quàm deuorauerint cuncta. Tartaris ſimiles, quibus obuia quæque ſunt primi occupantis. Hoc ipſo ſenſu accipi poteſt אסף החסיל *oſeph hechaſil, collectio bruchi*, qui ſinguli obuia prima quæque deuorant auidè. Alio, & paſſiuo, ſenſu intelligunt Verſiones noſtræ, *colligetur præda veſtra, ut ſi quis brucos colligat, da wird euere Beut eingeſammlet werden, wie man die Käfer ſammlet.* Ut nempe bruchi & locuſtæ igne & fumo enectæ, & collectæ, conjiciuntur in amplas foueas, ſic fiet & vobis, atque bonis veſtris. De locuſtis plura vide in Ægyptiacarum plagarum Hiſtoria, & ad Joel. II. 1. 2.

Jes. Cap. XXXIII. vers. 12.

Et reddentur populi exuſti ſicut calx, & ſicut ſpinæ reciſæ igne exurentur.

Et erunt populi quaſi de incendio cinis: ſpinæ congregatæ igni comburentur.

REpræſentatur heic urentiſſimæ & terribilis iræ diuinæ executio ſub ſymbolo *calcinationis*, quæ operatio intenſiſſimum poſcit ignis gradum, flammam per horas vel dies continuam. Minori namque violentiâ ſolui nequit arctiſſimum inter lapidis partes vinculum, vel eò redigi corpus igni & malleo inuictum antea, ut à ſola aqua, imo aëre ſuperari queat, & in puluerem collabi. Quo ſymbolo egregiè declaratur ratio, quâ σιδηρόσκληροι DEI & Eccleſiæ hoſtes penetrati undique & perforati ab urentiſſimis iræ diuinæ flammis, atque collabuntur veluti in puluiſculos comminuti. Haud abs re fore judico proferre nonnulla ſpecialia de hac operatione chymica, ut tantò melior fieri poſſit & utilior applicatio.

Non eſt ejusdem bonitatis omnis *calx*, ſed inſignis pro varietate materiæ, ex qua uritur, diuerſitas. Inferior eſt, quam Belgæ urunt ex teſtaceis ſiue conchyliis, ſi conferas cum ea, quæ fit ex calcario lapide, ſaxo, ſilice, marmore. Lapides qualescunque calcinationi idonei tales eſſe debent, ut ab intenſo igne non li-

que-

queſcant, vel in majora diſſiliant fragmenta, ſed ejusdem in omnibus ſuis partibus reſiſtentiæ, ut ignis ſenſim & ubique penetrare queat, formâ externâ haud mutatâ, usque dum aquæ vel aëri, nempe vaporoſo, expoſitus concidat. Hinc eſt, quod calx aſſeruari debeat vel in loco ſicco, vel doliis ita claudi, ut aëri acceſſus nullus pateat. Imò non duntaxat permeare æqualiter debent igneæ particulæ poros lapidis, ſed plurimæ harum in poris leuis hujus & ſpongioſæ ſubſtantiæ manere, quarum præſentiam manifeſtat æſtus ab affuſa aqua excitari ſolitus, quo captiua hactenus vel ignea vel ſalina ſpicula nunc vinculis liberata bulliente ſæpeue fremente vi erumpunt, & ad totalem diſſolutionem ſymbolam quoque ſuam conferunt: peraptum συνειδήσεως κεκαυτηριωμένης ſiue calcinatæ ſymbolum, quæ aliquandiu quieta jacere videtur, ſed excitata tandem, & veluti ſui juris facta vehementiſſimè ebullit, ipſumque peccatorem deſperatione conſumit.

Jeſ. Cap. XXXIV. verſ. 4.

Contabeſcet quoque omnis exercitus cœlorum, & conuoluentur cœli ut codex, & omnis exercitus eorum defluet, ut defluunt folia vitis & ficus.

Et tabeſcet omnis militia cœlorum, & complicabuntur, ſicut liber, cœli: & omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea & de ficu.

Vid. Matth. Cap. XXIV. verſ. 29.

Jeſ. Cap. XXXIV. verſ. 7.

Et deſcendent unicornes cum eis, & tauri cum magnificis, & rigabitur terra eorum ſanguine, & puluis eorum adipe impinguabitur.
Abbirim quidam caballos intelligunt.

Et deſcendent unicornes cum eis, & tauri cum potentibus: inebriabitur terra eorum ſanguine, & humus eorum adipe pinguium.

DEpinguntur heic, ut alibi in Sacris, Principes atque Tyranni potentes atque feroces *unicornium* & *boum* ſymbolo. Heic Idumæi Principes, aliique Eccleſiæ hoſtes. Dauidem audi querulum in perſona CHRISTI, Pſ. XXII. 13. *Tauri multi circumdederunt me, prævalidi ex Baſan undique cinxerunt me. (Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obſederunt me.)* 22. *Serua me ab ore Leonis, & à cornibus unicornium eripe me. (Salua me ex ore leonis: & à cornibus unicornium humilitatem meam.)* Pſ. LXVIII. 31. *Increpa cœtum haſtatorum, cœtum validorum, cum vitulis populorum. (Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum.)* De רְאֵם *reem, unicornu*, egimus ad Num. XXIII. 22. Job. XXXIX. 9. אַבִּירִים *abbirim* ſunt heic & alibi *tauri*, imo *tauri fortes*. Et conjectant aliqui, Ægyptiorum Deum *Apin* idem ſignificare, quod אַבִּיר, leui mutatione literulæ. Ita judicaſſe videntur LXX. qui verba Jer. XLVI. 15. *cur proſtrati ſunt fortes tui? (quare computruit fortis tuus?)* אַבִּירֵךְ *abbirecha*, ſic reddunt, διατί ἔφυγεν ἀπό σε ὁ Ἄπις ὁ μόσχος ὁ ἐκλεκτός σε; ubi verò Ximeniana Editio ὀπίσω pro ἀπό σε ὁ Ἄπις. Sumitur aliàs vox hæc אַבִּירִים paſſim quoque pro equis, & in metaphorico ſenſu pro hominibus ſuperbis, elatis.

TAB. DCXII.

Jes. Cap. XXXIV. vers. 9. 10.

9. Et conuertentur torrentes ejus in picem, & puluis ejus in sulphur, & erit terra ejus pix ardens.

10. Neque noctu neque interdiu extinguetur, in æternum ascendet fumus ejus, à generatione ad generationem vastabitur, in perennem æternitatem non erit, qui per eam transeat.

9. Et conuertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in sulphur: & erit terra ejus in picem ardentem.

10. Nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus: à generatione in generationem desolabitur, in secula seculorum non erit transiens per eam.

COmma 4. hujus Capitis uti ex optimorum Interpretum mente referri debet ad ultimi judicii prænuntios, ita pertinent hi quoque Versiculi ad tempora illa, quæ *diem vindictæ diuinæ* extremum antecedunt proximè. Sensui literali si inhæreamus, neque ad Idumæos, neque ad alias Ecclesiæ Judaicæ finitimas gentes, & inimicas, applicatio fieri potest, quandoquidem inde à Jesaiæ æuo ad hæc usque tempora nullibi reperitur in Asia terra, cujus *torrentes conuersi fuerint in picem, & puluis in sulphur.* Propius si ad Ecclesiam Noui Testamenti accesseris, quadrat ex parte sensus literalis Regnis Neapolitano & Siciliæ, per quæ aliquando defluunt ex Vesuuio & Ætna, montibus igniuomis, torrentes picis ac sulphuris. Sed manent adhuc hæc ipsa regna totius Italiæ fertilissima. Ut omnino videatur loqui Propheta de totali, & tali terræ per ignem deuastatione, quæ eam reddat inhabitatam & inhabitabilem. Constat id inprimis ex v. 10. Id inficiari nollem, appropinquante finali terræ conflagratione igne deuastatum iri illas primùm regiones, quæ à subterraneis ignibus subeduntur in dies, antequam ultimæ perniciei ordo alias tangit. Illis autem temporibus tum præcedaneis, tum instantaneis, impleta videbant incolæ terræ vaticinia benè multa. Audi veterum Prophetarum ocellum Jes. LXVI. 15. 16. *Ecce*, DOMINUS *in igne veniet, & quadrigæ ejus turbini similes erunt, ad reddendum cum furore iram suam, & increpationem suam in flammis ignis. Quia in igne & gladio suo judicabit DOMINUS omnem carnem. (Ecce*, DOMINUS *in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ ejus, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis. Quia in igne DOMINUS dijudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem.)* Zeph. I. 18. *Nec argentum eorum, nec aurum eorum liberare eos poterit in die excandescentiæ DOMINI, quin in igne zeli ejus deuorabitur uniuersa terra, quoniam in uniuersum conficiet, idque illico, omnes habitatores terræ. (Sed & argentum eorum & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ DOMINI, in igne zeli ejus deuorabitur omnis terra: quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.)* Conf. Zeph. III. 8. Mal. IV. 1. *Ecce dies venit, ardens ut clibanus, tum erunt omnes arrogantes, & omnis, qui impietatem patrat, stipula, inflammabitque eos dies ventura, dicit DOMINUS Exercituum, adeò ut non relinquatur eis neque radix, neque ramus. (Ecce, dies veniet, succensa quasi caminus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit DOMINUS exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen.)* Adde ex Noui Fœderis Codice sequentia Loca. 2. Thess. I. 7. 8. ὑμῖν τοῖς θλιβομένοις ἄνεσιν μεθ' ἡμῶν, ἐν τῇ ἀποκαλύψει τοῦ ΚΥΡΙΟΥ ΙΗΣΟΥ ἀπ' οὐρανοῦ μετ' ἀγγέλων δυνάμεως αὐτοῦ, Ἐν πυρὶ φλογὸς, διδόντος ἐκδίκησιν τοῖς μὴ εἰδόσι ΘΕΟΝ. Apoc. XVIII. 8. ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἥξουσιν αἱ πληγαὶ αὐτῆς, (βαβυλῶνος,) θάνατος, καὶ πένθος, καὶ λιμός· καὶ ἐν πυρὶ κατακαυθήσεται. v. 18. Καὶ ἔκραζον, ὁρῶντες τὸν καπνὸν τῆς πυρώσεως αὐτῆς, λέγοντες· τίς ὁμοία τῇ πόλει τῇ μεγάλῃ; XIX. 3. ὁ καπνὸς αὐτῆς ἀναβαίνει εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Explicent ea ad mysticam Babylonem, quibus id est vel officii, vel studii.

TAB.

Ies. Cap. XXXIV. v. 9. 10.
Terra pix ardens.

Jes. Cap. XXXIV. v. 9. 10.
Das Land wird brennend Pech.

G. D. Heümañ sculps.

Ies. Cap. XXXIV. v. 11-15.
Asur et Edom ferarum domicilium.

Jes. Cap. XXXIV. v. 11-15.
Assur und Edom von Thieren bewohnt.

G. D. Heumann sculps.

TAB. DCXIII.

Jeſ. Cap. XXXIV. verſ. 11. 13. 14. 15.

11. Quin poſſidebunt eam Ibis, (a) & Caſtor, Bubo & Coruus habitabunt in ea. Et extendet ſuper eam regulam inanitatis, & (b) lapides vacuitatis.

(a) Ubi nos Ibis, alii Onocrotalus habent, alii Pelecanus.

(b) Lapides intelligit, quibus in bilance utimur.

13. Succreſcent in palatiis ejus ſpinæ, urtica & carduus in munitionibus ejus, eritque habitaculum Draconum, & atrium pullorum Struthionum.

14. Occurrent ſpiritus horrendi ululis, & ſatyrus ad comparem ſuum clamabit. Quin & Lamia iſthic requiem ſibi quæret, & inueniet ſibi requiem.

15. Ibi nidificabit Vultur, atque pariet. In umbra ipſius fouebit oua, & exculpet. Milui quoque ibidem congregabuntur, quisque cum ſodali ſuo.

11. Et poſſidebunt illam Onocrotalus & ericius, & ibis & coruus habitabunt in ea: & extendetur ſuper eam menſura, ut redigatur ad nihilum, & perpendiculum in deſolationem.

13. Et orientur in domibus ejus ſpinæ & urticæ, & paliurus in munitionibus ejus: & erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum.

14. Et occurrent dæmonia, onocentaurus, & piloſus clamabit alter ad alterum: ibi cubauit lamia, & inuenit ſibi requiem.

15. Ibi habuit foueam ericius, & enutriuit catulos, & circumfodit, & fouit in umbra ejus: illuc congregati ſunt milui, alter ad alterum.

SIſtunt ſe heic, in ruderibus deuaſtandæ Idumææ & Aſſyriæ, animalia ex maximè feris atque deſertis.

1. קָאַת, nobis *Ibis*, *Rohrdommel*, de qua aue vid. Pſal. CII. 7.

2. קִפּוֹד *Kippod*, *Caſtor*, de quo, & miris ejus actionibus Jeſ. XIV. 23.

3. יַנְשׁוּף *janſchoph*, ſcribitur & יַנְשׁוּפָה *janſchuph*, Samaritanis *barbari* q. d. barbarica auis, ex Barbaria. De hac aue quatuor inprimis aperiuntur ſententiæ ab Interpretibus.

1. Eſt τῶν LXX. & Hieronymi, qui reddunt ἴβιν, *Ibin*. Sed hæc auis, delineata TAB. CCXLVII. non eſt Idumæa, verùm Ægyptia, auis, quod conſtat ex *Herodoto*, *Strabone*, *Plinio*, *Solino*, *Ammiano*. Imo prætendit *Ælianus Hiſt. Anim.* L. III. c. 38. deductam aliorſum, extra Ægyptum, hanc auem ſpontaneâ fame perire, Noſtalgiâ fortè. 2. Interpretis Syri, utriusque Chaldæi, Jonathanis & Onkeloſi, qui vocant hanc auem קִפּוֹפָא *Kiphupha*, *Bubonem*: Chaldææ huic voci affinis eſt Perſarum *kiif*, *kuf*. *Meninzk. Lex.* 3976. 3. Arabum, qui *accipitrem* volunt vel *Niſum baſak*, vel *bazi* dictum. 4. Arabicæ Verſionis Jeſaiæ, quæ habet *al hubara*, qua voce non tam cum *Gabriele Sionita* intelligendus venit *Bubo* quàm *Otis* ſiue *Tarda*, quæ hodienum Arabibus vocatur *hubara*, *hubarig*, *abiire*, Perſis *hubere*. *Men. Lex.* p. 1718. 5511. 5650. Placet *Bocharto Bubo*, pollicem premunt ambæ Tigurinæ. Vult ipſa Etymologia auem nocturnam. יַנְשׁוּף à נֶשֶׁף *neſcheph tenebræ*, *caligo*. Quadrant Textui noſtro, quæ *Plinius* ſcribit de hac aue: *Deſerta incolit, nec tantùm deſolata, ſed dira etiam & inacceſſa, noctis monſtrum.* Feſtus: *Buteo vaſtitatis eſt cauſa his locis, quæ intrauerit, ut Bubo.* Locat Propheta auem hanc in eadem ſocietate cum coruo, aues binas ominoſas, vel *Plinio* teſte capite *de inauſpicatis auibus, cornice, coruo, bubone.* Apud Veteres occurrunt paſſim ominoſi clamoris teſtimonia. *Plinius: Bubo funebris, & maximè abominatus publicis auſpiciis. — Nec cantu aliquo vocalis, ſed gemitu. Itaque in urbibus, aut omnino in luce viſus dirum oſtentum eſt. Ouid. Met.* L. V. *Fab.* 8.

Fœdaque fit volucris, venturi nuntia luctus,
Ignauus bubo, dirum mortalibus omen.

L. X. *Fab.* 10.

- - - - - ter omen
Funereus bubo lethali carmine fecit.

L. XV. *Fab.* 51.

Tristia mille locis stygius dedit omina bubo.

Virgil. L. IV. *Æneid.*

Solaque culminibus ferali carmine bubo
Visa queri, & longas in fletum ducere voces.

Statius Thebaid. L. III. v. 511.

Nocturnæque gemunt striges, & feralia bubo
Damna canunt —

Seneca Herc. Fur. v. 686.

Hic vultur, illic luctifer bubo gemit.

Magno satis numero allegaui hæc ex Gentilibus Scriptoribus testimonia, quia hodienum in Christiano orbe supersunt augurii reliquiæ. Inuisa hæc auis rusticis, qui audito ululatu magno terrore affecti vel sibi, vel aliis, præsagire solent tristia; imo, si vel circumuolitet duntaxat ædes. Odiosa adeò innocens hæc auis, ut infelix augur pro mercede affigi soleat domuum vel horreorum portis. Non noua hæc est, ursis aliàs, lupis, aliisque rapacibus animalibus indicta pœna. Audite *Apulejum Metam.* L. III. de bubonibus nostris. *Quid? quod istas nocturnas aues, cum penetrauerint larem quempiam, sollicitè prehensas foribus videmus affigi, ut quod infaustis volatibus familiæ minantur exitium, suis luant cruciatibus.* Exemplum suppeditant Annales nostri ad A. 1652. quo docti pariter ac indocti miserandos noctuarum saxatilium, quæ in turri capraria nidificabant, ululatus pro præsagiis habebant maximi illius infortunii, quo illa fulmine icta, puluere pyrio accenso, funditus fuit destructa. Ac si ferales illæ aues hunc, vel similem huic formassent syllogismum: Proximis diebus fulmine disrumpetur turris, maximo urbis totius periculo, terrore, ac damno, ea propter monituræ ciues nidos heic construemus, clamoribus propheticis omnia impleturæ. Qua de re plura in *Schweitz. Natur-Gesch.* T. II. p. 69. Ita legimus in Annalibus Romanorum, noctuam insedisse Curiæ breui ante *Augusti* mortem, Capitolio aliam insecutâ morte *Commodi*, narrante *Dione*. Memorat *Josephus* L. XVIII. c. 8. L. XIX. c. 7. casum notabilem, qui contigerat *Herodi* illi *Agrippæ*, quem Cæsareenses viuum deificabant. Act. XII. 22. Adligatus hic Caji Caligulæ jussu arbori, nescius, quò fata eum traherent, militem Germanum habebat adstantem, qui ex noctua arbori fortè insidente prognosticabatur fortunæ volubilis meliores aspectus, & summos, quos consecuturus erat, honores, addito monitorio, ut sibi caueret Rex in posterum ab hac ferali aue, visam quippe altera vice prænuntiam fore mortis quatriduo elapso secuturæ; nec caruisse hæc prognostica suo euentu.

4. עוֹרֵב *orebb*, *Coruus.*

5. תַּנִּים *thannim*, *Dracones.*

6. בְּנוֹת יַעֲנָה *benoth jaanah*, *filiæ struthionum*, nobis *pulli struthionum*, *junge Strauſſen.*

7. צִיִּים *tsijim*, sunt *feles syluestres.* Vid. Jes. XIII. 22.

8. אִיִּים *Ijim* reddimus *ululas*, sed sunt potius *Thoes.* Vide iterum Jes. l. c.

9. שָׂעִיר *sair*, *Satyrus*, *Feld-Teufel.* Jes. l. c.

10. לִילִית *lilith*, vocabulum est multis contestationibus obnoxium. *Auem nocturnam* ex eo facit *Aben Ezra*, est enim לַיְלָה *lail*, *nox.* Sed veteres communiter sumsere pro spectro nocturno. Reddunt LXX. per ὀνοκενταύρους, monstrum ex asino & homine compositum, ut Hippocentaurus ex equo & homine. Habet Chaldæus לִילִין *lilin* pro לִילִית *lilith*, *Lemures.* Syrus *lelitho.* Vulgata ex Symmacho *lamiam*, ita & nostra Latina, atque Vulgata, *Nacht-Frau.* Judæi nonnulli apud Hieronymum ἐριννὺν, *furiam.* R. *Kimchi* nunc auem nocte volantem, nunc *chamæleonta* volantem, nunc *Cupidinem.* Rabbini alii volunt, esse unam ex matribus illis, ex quibus Adamo patre diaboli fuere geniti, 130. annorum spatio, quibus abstinuit ab Euæ commercio. Fabulis si delecteris, iisque ridiculis, adi *Ben Sira*, Scriptorem Judæum ex vetustissimis, quem sub Nebucadnezare vixisse ferunt. Concordant ferme Veteres, esse spectrum formâ fœminæ. Et sunt, qui huc referunt Ps. XCI. 5. 6. *Neque nocte metuendum sit tibi à terroribus — non à peste, quæ in obscuro grassatur, (non timebis à timore nocturno, — à negotio perambulante in tenebris.)* Sic & Poëtis *furiæ* audiunt *noctis filiæ.* *Festo strix* νυκτινόμα, νυκτιβόα, *Hesychio* σφίγλος. Scire si cupias fontem erroneæ, quæ adhuc viget, opinionis de strigibus, sagis noctu euolantibus, lege, quæ veteres Poëtæ narrant de strigibus alatis, noctiuolis, tenellis infantibus sanguinem exsugentibus, vel & eos abducentibus:

Nocte volant, puerosque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur lactantia viscera rostris,
Et plenum poto sanguine guttur habent.

Serenus Sammonicus:

Præterea si fortè premat strix atra puellas,
Virosa immulgens exertis ubera labris.

De *lamia* legas, τὰ παιδία ἁναρπάζουσαν διαφθείρειν, *infantes rapere & occidere. Horatius de Arte:*

Neu pransæ lamiæ viuum puerum extrahat aluo.

Fabu-

Fabulas redolent hæc omnia, & tutius omnino judico iis accedere, qui per *lilith* intelligunt auem ex nocturnis, ſpeciatim ex *bubonum* vel *ululârum* genere. Omnia quippe in Textu occurrentia vocabula deſignant animalia. Judicatu eſt facile, cur Judæi, ad fabulas credendas & fingendas aliàs faciles, vota dederint ſpectris nocturnis; cur pientiſſimis aliàs priſcæ Eccleſiæ Patribus, in medio Gentiliſmo fabularum pleno natis, & à Philoſophia ſana remotis, perdifficile fuerit eradicare ideas, quas in pueritia hauſerant. Quum adhuc ſit plenus difficultatis labor, aniles Gentilesue fabulas doctis & vulgo eximere. Tanta eſt præjudiciorum vis! Unicum hoc addo, buboni fauere *tæiriil leil* nomen Turcis uſitatum apud *Meninzk. Lex.* 3161. Imo ipſa Latinorum *ulula*, Germanorum *Eul.*

11. קִפּוֹד *Kippoz* iterum eſt animal, quod tricas mouet, & δοκιμασίαν poſcit, difficiliorem tantò, quod vox ſit ex ἅπαξ λεγομένοις, neque occurrat in Talmude, neque apud Syros & Chaldæos. Græci, Chaldæus, Syrus, Arabs, Vulgata, *Hieronymus*, *Pomarius*, *Schindler* קִפּוֹד ſumunt pro קִפּוֹר *Kippod*, de quo ſupra ad v. 11. *Santes* reddit *hericium*, *Caſtalio bubonem*, *Junius merulam*, *Deodatus il gufo*, id eſt, *ſcopem*, Angli *the great Owl*, Galli *le Martinet*, *Arias* ſeruat Hebræum *Kippoz*, & ingenuè fatetur, ignotam ſibi eſſe hanc auem. Certum id eſt, teſte etiam *AbenEzra*, differre *Kippoz* & *Kippod*, hujus ſit mentio v. 11. illius v. 15. Non immorabor examinandis fusè & refutandis opinionibus variis. Id operis ſibi ſumſit magnus *Bochartus*, qui *Kippoz* neque inter aues quærit, neque inter quadrupes, ſed *ſerpentum* generi adſcribit, & ſpeciatim *acontiam*, *jaculum*, vult, ita dictum ſerpentem, διὰ τὸ ὁρμᾶν ὥσπερ τὰ ἀκόντια, quoniam ſagittæ ad inſtar inſilit, reſpondens ita radici קָפַץ *Kaphaz*, *occluſit*, in Pihel קִפֵּץ *Kippez*, *ſubſilire*, unde & *Auicenna* teſte T. II. p. 139. Arabibus vocetur *Kipphaza*, *tipphara*, *aſſultrix*, *deſultrix*, quæ vox *Kipphaza* prorſus congruit cum *Kippoz*. Hujus ſerpentis morſum venenoſiſſimum omnium totius Africæ, imo ἀνίατον, ἀνήκεστον, immediabilem, teſtantur *Agatharchides*, *Diodorus*, *Strabo*; periculoſior tantò, quod fugæ non ſit locus. *Miſſili volat tormento. Plinius. Lucanus* L. IX. v. 822.

Ecce! procul ſæuus ſterilis ſe robore trunci
Torſit, & immiſit (jaculum vocat Africa) ſerpens,
Perque caput Pauli transactaque tempora fugit.
Nil ibi virus agit, rapuit cum vulnere fatum:
Deprenſum eſt, quæ funda rotat, quam lenta volarent,
Quàm ſegnis Scythicæ ſtrideret arundinis aër.

Hujusmodi terrificæ beſtiæ tolerari facilè haud poſſunt locis cultis, quapropter inter φιλέρημα reponit Propheta, quæ degant in vaſtatis Idumææ Regionibus. Sed non eſt ſolius Africæ inquilinus hic ſerpens, verùm Ægypti quoque incola, teſte *Marcellino* L. XXII. Arabiæ apud *Lucanum* L. VI. v. 677.

Non Arabum volucer ſerpens —

v. 720.

Et natrix violator aquæ, jaculique volucres.

Arabiæ Sabææ, teſtibus *Agatharchide*, *Diodoro*, *Strabone*. Eſt autem Idumæa Arabiæ pars Ægypto contermina. Apud modernos Arabes non occurrit vox noſtræ *Kippoz* affinis, niſi huc aduoces *Kæzaz*, *Kuzzaz*, quæ ſerpentem breuem denotant, *Meninzk. Lex.* 3688. vel & *hyfz* Turcarum pro ſerpente, Id. p. 1772.

Ibi, inquit Propheta, *nidificabit Kippoz*, in Latina noſtra *vultur*. Ubi notandum, Hebræam vocem, quam Latini reddunt *nidificare*, ſic & Germanicam *niſten*, *Neſt*, non propriam eſſe auibus, ſed in Sacris æquè Literis ac profanis tribui quoque hominibus, leonibus, porcis, hyſtrici, erinaceo, crocodilo, vermibus, muſcis, veſpis, formicis, muribus, locuſtis, etiam ſerpentibus. *Ibi*, pergit Eſaias, *pariet. In umbra ipſius fouebit oua, & exculpet.* Congrua ſunt, quæ *Ariſtoteles* habet de ſerpentibus *Hiſt.* L. V. ad finem. ὠοτοκοῦσιν ἔξω. ὅταν δὲ τέκῃ, εἰς τὴν γῆν ἐπωάζει. ἐκλέπτεται δὲ καὶ ταῦτα τῷ ὑσέρῳ ἔτει. Ita prorſus *Plinius* L. X. c. 62. *Oua pariunt ſerpentes. — Et contenta in terra incubant, & fœtum ſequente excludunt anno.* Eſt proin Jeſaiæ מָלַט *malat* idem quod ὠοτοκεῖν, *oua parere*, דָּגַר *dagar*, ἐπωάζειν, *fouere*, *incubare*, בָּקַע *baka*, ἐκλέπειν, *excludere*. Quadrat inprimis vox דָּגַר *dagar*, *congregare*, ſerpentibus, quorum oua collecta videas, vel ſeriatim diſpoſita, ut in corollis globuli. *Ariſtoteles*: τὰ δ' ὠὰ ἀλλήλοις συνεχῆ ἐστιν ὥσπερ αἱ τῶν γυναικῶν ὑποδερίδες, *oua connexa inuicem ſunt ut fœminarum corollæ ex margaritis conſtantes.* Denotat tandem vox בְּצִלָּה *betſillah*, *ſub umbra*, curam, quâ animalia hæc oua ſua excludunt. Adeò mihi videtur hæc *Bocharti* explicatio naturæ rei, de qua loquitur Propheta, & acontiæ congrua, ut non religioni ducerem, ſerpentem hunc *vulturi* ſubſtituere, quem Latina noſtra habet, vel *Miluio*, *Wey*, quem Germanica.

12. Reſtant דָּיוֹת *dajoth*, Latinæ noſtræ *milui*, Vernaculæ *Geiren*, *vultures*. Ubi ὡς ἐν παροδῷ notandum, miluos in Latina debere prævultures poſtponi. De hac aue דַּיָּה *dajah* egi ad Deut. XIV. 13. Sed obſeruandum heic, vultures non, ut aliæ aues rapaces, ſolitarias viuere, ſed in ſocietate. Ita Propheta, *milui (vultures) quoque ibidem congregabuntur, quisque cum ſodali ſuo.* De his vulturum ſocietatibus nil nobis conſtat in regionibus noſtris, mox enim atque obſeruant venatores hanc auem ex

rapaciſſimis, perſequi eam non deſinunt. In Oriente verò ſunt illæ obuiæ. Vidit in Ægypto *Bellonius* 50. congregatos in unum. Et memorat *Ariſtoteles Hiſt.* L. VI. c. 5. & IX. c. 11. ſequi vultures exercituum copias. Memorabile cumprimis eſt, quod poſt *Varronem Cenſorinus* ſcripſit c. 14. vidiſſe Romulum in fundatione urbis 12. vultures, & vaticinatum fuiſſe Vectium, duraturum eſſe Imperium Romanum totidem ſecula, nec malè. Annis quippe 1200. ab urbe condita elapſis deſiit Occidentale Imperium in Auguſtulo, translatum ad Orientem. Id ſaltem conſtat ex his, eſſe vultures gregarios: ſed nigri intelligi heic debent, quorum paſſim fit mentio apud Scriptores, ſpeciatim Poëtas, ubi de inferni cruciatibus agunt. *Juuenalis Sat.* 13.

\- - - *nec ſaxum, aut vulturis atri*
Pœna —

Seneca in Thyeſte de Tithyo:

Viſceribus atras paſcit effoſſis aues.

Imo verò eſt *vultur diabolus* ipſe. Onomatologia id vult. Eſt *vultur* Hebræis דיה *dajab*, *diabolus* Syris & Perſis *dajaua*, *deua*, nempe à colore nigro, quem ei tribuunt; inde forſitan Germanorum venit *Deuel*, *Deufel*, *Teufel*. Quam nominum piſcaturam aliis linquo.

Jes. Cap. XXXV. vers. 6. 7.

6. Tunc claudus ſaliet tanquam ceruus, & jubilabit lingua muti, quia excindentur aquæ in deſerto, & torrentes in terra arida.
7. Redigeturque torrida terra in ſtagnum, & terra ſiticuloſa in ſcaturiginem aquarum. In eo domicilio, ubi Dracones cubabant, erit herba virens calami & junci.

6. Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum: quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine.
7. Et quæ erat arida, erit in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & junci.

PArum exercitatos in Sacris ſenſus habeat oportet, qui neſcit in Textu noſtro ſub typo *claudi ſalientis inſtar cerui*, *linguæ mutæ*, & tamen *jubilantis*, *aquarum in deſerto*, *torrentium in terra arida*, *torridæ terræ redactæ in ſtagnum*, & *terræ ſiticuloſæ in ſcaturiginem aquarum*, pratorum tandem *herbis virentibus* conſitorum repræſentari feliciſſimum Eccleſiæ Noui Teſtamenti ſtatum, abundantiſſimum gratiæ Spiritus Sancti effluxum in uniuerſum orbem, tenebricoſi Gentiliſmi illuminationem, veteris Oeconomiæ conuerſionem in nouam. Sed alius fori eſt amplior palmariæ hujus & Euangelicæ veritatis dilucidatio.

Claudus, inquit Propheta, *ſaliet tanquam ceruus*, ἁλεῖται ὡς ἔλαφος ὁ χωλός. Paradoxum id eſt, imo miraculum, ſi cujus membra reſoluta, nerui vel obſtructi, vel ἄτονοι, qui neque ſtare pedibus, neque incedere poteſt, ſaliet ut ceruus. Miraculum etiam ad literam viſum in primis Noui Fœderis temporibus, quoties nempe à CHRISTO & Apoſtolis θαυματέργοις fuere ſanati claudi & paralytici. Ceruo comparatur homo naturâ claudus, ſed animatus à Spiritu DEI, imo CHRISTUS ipſe Cant. II. 8. 9. *Ecce ipſe venit ſaliens per montes, & raptim accurrens per colles. Eſtque dilectus meus ſimilis capreæ, aut hinnulo ceruorum. (Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles. Similis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum.)* Sunt nempe ceruus, capreolus, rupicapra animalia ἁλτικώτατα. Prope Francofurtum locus extat *cerui ſaltus*, *Hirtzen-Sprung* dictus, ubi 60. pedum interuallo duo lapides viſuntur erecti in memoriam cerui à venatoribus agitati, qui mirum hunc fecerat ſaltum. Et forte eandem nominis originem habet κλεισέρα Baronatum inter Altoſaxenſem & Vallem Rheguſcam, *der Hirtzen-Sprung* dicta. Apud *Varronem Ruſt.* L. II. c. 3. legas, in Sauracti fiſcello capras ſylueſtres ſaltus facere plurium quàm 60. pedum. Frequentiſſimi ſunt hujusmodi ſaltus rupicapris noſtris. Sed non tam conſideranda heic venit amplitudo ſaltuum ceruinorum, quàm velocitas. Nunquam & nullibi quieſcit anima fidelis Spiritu DEI acta, calcar additur calcari, usque dum DEI præſentia fruitur in Sione. En ultimum vale, quo Canticum claudit Solomon! VIII. 14. *Fugito, dilecte mi, & ſimilis ſis tibi capreæ, hinnuloque ceruorum in montibus aromatum.* Nos Germani de curſore veloci ſolemus dicere, *er ſeye ſo geſchwind als ein Hirſch, ſo behend als ein Rehe. Plautus in Pœnulo Actu* 3.

At ſi ad prandium me in ædem vos dixiſſem ducere,
Vinceretis ceruum curſu, & grallatorem gradu.

Catul-

Catullus de Achille in *Nuptiis Pelii & Thetidis.*

Flammea præuortet celeris veſtigia ceruæ.

Virgil. Æn. L. IV.

- - - - alia de parte patentes
Transmittunt curſu campos, atque agmina cerui.
Puluerulenta fuga glomerant —

Ita is de curſoribus velocibus. In Græca Lingua ἔλαφος, ceruus, deſcendit ab ἐλαφρὸς, leuis, vel hæc potius vox ab illa, ceruus enim eſt animal κουφότατον καὶ ἐυκίνητον, definiente Etymologo.

Conſtat iterum ex Textu, eſſe dracones, id eſt, ſerpentes magnos, φιλερήμους. *Succreſcent in palatiis* (Babylonis) *ſpinæ, urtica & carduus in munitionibus ejus, eritque habitaculum draconum, & atrium pullorum ſtruthionum. (Et orientur in domibus ejus ſpinæ & urticæ, & paliurus in munitionibus ejus: & erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum.)* Jeſ. XXXIV. 13. Sed nunc rerum ſtatus inuertitur. *In eo domicilio, ubi dracones cubabant, erit herba virens calami & junci.* LXX. ἐκεῖ εὐφροσύνη ὀρνέων, ἐπαύλεις καλάμου καὶ ἕλη, *ibi lætitia auium, & caulæ arundinis & paludes.* Diſtingue hoc Regiones Orientales, ubi magni uſus & pretioſæ ſuccreſcunt arundines juxta cum pingui pabulo, à noſtris, qui arundinifera & juncifera prata viliora æſtimamus & macriora aliis, quoniam noſtri calami & junci non alii veniunt uſui, quàm ſternendis jumentorum lectis. Pari ratione ſi *aquas* videre cupias, ſenſu myſtico *in deſerto, & torrentes in terra arida*, oculos conjicias oportet in arenoſa Arabiæ deſerta.

Jeſ. Cap. XXXVII. verſ. 30.

Et hoc ſit tibi, o Ezechia, ſignum: Hoc anno comedes repoſita, proximo anno, quæ ſponte naſcentur, tertio verò anno ſeminabitis & metetis, vineas quoque plantabitis, & fructum earum edetis.

Tibi autem hoc erit ſignum: Comede hoc anno, quæ ſponte naſcuntur, & in anno ſecundo pomis veſcere: in anno autem tertio ſeminate & metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum.

Vid. 2. Reg. Cap. XIX. verſ. 29.

Jeſ. Cap. XXXVIII. verſ. 8.

Ecce ego reducam umbram gradibus, quibus deſcendit in hora Achas cum Sole retrorſum decem gradibus. Reuerſus eſt ergò Sol decem gradibus, quibus gradibus ſcilicet deſcenderat.

Ecce ego reuerti faciam umbram linearum, per quas deſcenderat in horologio Achaz in ſole, retrorſum decem lineis. Et reuerſus eſt Sol decem lineis, per gradus, quos deſcenderat.

Vid. 2. Reg. Cap. XX. verſ. 9. &c.

TAB. DCXIV.

Jes. Cap. XXXVIII. vers. 13. 14.

13. Supputabam usque ad auroram, ut Leo contriuit omnia ossa mea, à prima luce in noctem conficies me.
14. Garriebam non aliter quàm grus, aut hirundo, gemebam ut columba. —

13. Sperabam usque ad mane, quasi leo sic contriuit omnia ossa mea: de manè usque ad vesperam finies me.
14. Sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba —

COmparari DEUM passim in Sacris leoni, dum vel castigat pios, vel pœna affligit impios, vidimus ad Job. X. 16. Querulus heic exclamat pessimi patris natus sanctissimus, pessimique nati pater optimus Ezechias, *ut leo contriuit omnia ossa mea*, ὡς λέοντι (παρεδόθην) ἔτως συνέτριψε πάντα τὰ ὀςᾶ μου.

Pergo, properante pede, ad *garrientem gruem, aut hirundinem, columbamque gementem.* Prima, quæ heic memoratur, auis est סוּס *sus*, quod vocabulum aliàs notat *equum.* Gen. XLIX. 17. In hodiernis Linguarum Orientalium promptuariis non inuenio affinia equi synonyma, nisi huc referas Turcarum *sukk*, Plurale *tè esækk*, vel Arabum *zæizan*, quo equam non parientem fœmellas significant. *Meninzk. Lex.* 2832. 3059. Legunt Hebraici idiomatis periti unanimiter fere סִיס *sis*, & interpretantur *Pagninus, Münsterus, Buxtorfius, Schindlerus, Junius, Tremellius*, Itali, Angli, Tigurina utraque *gruem, Kramich.* Subscribunt doctissimi Judæorum *Kimchi, Pomarius, Jarchi, Jonathan* in Chaldaica Paraphrasi, qui pro סִיס ponit כורכיא *kurkæja*, cui affinia videntur Arabum *ghurnuk, ghyrnæwk, ghyrneik*, pro aui aquatica longo collo, grue, aut ei simili. *Meninzk. Lex.* 3396. Sed est סִיס *Bocharto* judice neque *grus*, neque *cicada*, quam *Symmachus* vult, sed, uti Vernacula nostra reddit, *hirundo.* Rationes dat magnus Zoographus sequentes. Vertunt ita LXX. χελιδὼν, *Theodotion*, *Hieronymus*, *Symmachus* ipse in Jesaia, Arabes *Sununa.* Hodie Turcis & Persis *Sünunu, Sünunüwet, Sünunijet. Men. Lex.* 2691. Accedit, quod ipsa hæc vox סִיס hirundinis vocem aptè exprimat, unde & Veneti auem hanc vocant *zisilla*, & *zisillare*, hirundinis more τιτυβίζειν vel ψιθυρίζειν. Auctor *Philomelæ Zinzilulare.*

Regulus atque Merops, & rubro pectore Progne
Consimili modulo Zinzilulare sciunt.

Neque omittenda est Ægyptiorum fabula de *Iside* in *hirundinem* mutata, de qua *Plutarchus* in *Iside.* Est autem *Isis* cognata τῷ סִיס *sis. Garriebat* igitur Ezechias *ut hirundo*, cujus vox etiam profanis Scriptoribus est tristis, querula. *Hesiodus Oper.* v. 366.

Τὸν δὲ μετ' ὀρθογόη Πανδιονὶς ὦρτο χελιδών.

Post hunc manè lugens Pandionis filia prodiit hirundo.

Est autem ὀρθογόη in *Etymologico* idem, quod ἡ μεγάλως θρηνῆσα, lamentans valde. Threnos canit hirundo apud *Aristophanem in Ranis:*

Κελαδεῖ δ' ἐπίλυπτον ἀηδόνιον νόμον.

Canit autem luctuosam stridulam cantilenam.

Ouid. Trist. L. V. *Eleg.* 1.

Est aliquid fatale malum per verba leuare,
Hoc querulam prognen halcyonasque facit.

Alia hujus generis testimonia omitto, id duntaxat addens, cantum hirundinis naturâ sua non esse vel gemebundum vel querulum; in auribus quidem nostris resonat voci, quam dolore vel angore pressi homines emittere solent, similis, sed in se ipso talis est, qualis esse debet, structuræ corporis & organorum vocalium conformis.

Secunda auis, cui non est tenuis, sibilans, submissaue vox, sed alta θρηνητικὴ est עָגוּר *agur*, *grus*, auis alticrura, & longi colli, quinque pedum, clangosa præ aliis, quoniam sonus valde augetur transiens per tracheam, ante introitum in pulmones in labyrintheos & spirales ductus dilatatam. Videatur *Bellonius de Auib.* L. IV. c. 1. *Willoughby Ichthyol.* p. 200. Ezechiæ proin gemitus non fuere taciti, submissi, sed clangosi, alti. Ita comparat *Homerus* querulas

Ies. Cap. XXXVIII. v. 13. 14.
Grus hirundove garrientes.

Jer. Cap. XXXVIII. v. 13. 14.
Der Kranich und Schwalbe.

G. D. Heumann sculps.

rulas illas Nereidum de morte Achillis voces gruum voci tempestatum prognosticæ:

- - - - ταὶ δ' ἐφέροντο
Κλαγγηδὸν κραιπνῇσιν ἐεισόμεναι γεράνοισιν,
Ὀσσόμεναι μέγα χεῖμα.

- - - *Illæ verò ferebantur*
Cum clangore citis gruibus similes,
Quæ magnam tempestatem præsentiscunt.

Idem alibi, ubi de desolatione Trojæ:

- - ὀιμωγὴ δὲ πέλεν ϛονόεσσα γυναικῶν,
Ἐισομένων γεράνοισιν, ὅτ' αἰετὸν ἀθρήσωσιν.

— *Et tristissimus erat mulierum ejulatus*
Gruibus similium, cum aquilam vident ex alto per æthera irruentem.

Idem (ut præcedentia) *Iliad.* L. III. de clamore militum Trojanorum:

Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν ὄρνιθες ὡς,
Ἦυτ' ἔπερ κλαγγὴ γεράνων πέλει ἠρανόθι πρὸ.

Trojani quidem cum clangore & clamore ibant ut aues,
Qualis est gruum clangor ad cœlum usque.

Quæ ita reddit *Virgilius Æneid.* L. X.

- - - *clamorem ad sidera tollunt*
Dardanidæ è muris, quales sub nubibus atris
Strymoniæ dant signa grues, atque æthera tranant
Cum sonitu, fugiuntque Notos clamore secundo.

Claudianus de Bello Gildonico.

Ingenti clamore grues æstiua relinquunt
Thracia, cum tepido permutant Strymona Nilo.

Hinc auis hæc Eustathio φωνητική, *vocalis.* Et obseruant Philologi, ejus nomen in plerisque linguis conuenire clamori, in Hebraica עגור, in Chaldaica *Kurkeja*, in Arabica *Kurki*, *Gurnuk*, in Græca γέρανος, in Anglica *Garan*, *crane*, in Germanica *Kranich*, in Latina *grus*. *Grues nomen de propria voce sumserunt, tali enim voce susurrant. Isidorus*, & *Festus: Gruere dicuntur grues, ut sues grunnire.* Notandum porrò, grues non semper clangosam edere vocem, sed submissa susurrare eas in specie, quæ in excubiis sunt, teste *Damire*, id quod etiam quadrat in Ezechiam nostrum viribus languentem. His omnibus addi potest, respexisse forsitan Regem, μακροβιότητος desiderio flagrantem, ad ipsam gruum longæuitatem, propter quam à Chinensibus ali solent in ædibus, ut, expirato harum auium aëre, vitam protrahere, aut dudum anxiè quæsitum immortalitatis obtinendæ medium inuenire queant. *Neuhof. Sin. Reise.* p. 139.

In Tabula præsenti sistuntur
A. Grus.
B. Grus Balearica.
C. Asperæ arteriæ labyrinthei ductus in sternum ingredientes in a. & ex eo reflexi in b.
D. Gruis sceleton.
E. Hirundo domestica.

Jes. Cap. XXXVIII. vers. 21.

Et ait Jesaias: Accipiant massam carycarum, & conficiant emplastrum super ulcus, & conualescet.

Et jussit Esaias, ut tollerent massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus, & sanaretur.

Vid. 2. Reg. Cap. XX. vers. 7.

Jes. Cap. XL. vers. II.

Pascet gregem suum ut pastor, & brachio suo congregabit agnos, inque gremio suo feret, fœtas autem suauiter ducet.

Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit.

PRoprietates en boni pastoris, quæ CHRISTO tribuuntur ἀρχιποιμένι! *Calphurnius:*

Te quoque non pudeat, cum serus ouilia vises,
Si qua jacebit ouis partu resoluta recenti,
Hanc humeris portare tuis, natosque tepenti
Ferre sinu tremulos, & nondum stare paratos.

Hebræum יְנַהֵל *jenahel*, *suauiter ducet*, reddunt aliàs Latini *minabit*, cui voci respondet, natum fortè hic, nostratium *mennen*, *männen*, quò utimur de omni pecore, quod ducit pastor. *Festus: Agasones equos agentes, id est, minantes. Agere modo significat ante se pellere, id est, minare. Virgilius:*

- - Et potum pastas age, Tityre.

Ausonius Epigr. 66.

Ageret iuuencas cum domum pastor suas,
Suam relinquens me minabat ut suam.

TAB. DCXV.

Jes. Cap. XL. vers. 12.

Quis mensus est vola sua aquas, & cœlos palmo (quis) æstimauit? quis comprehendit tribus (digitis) puluerem terræ, & appendit montes in statera, & colles in bilance?

Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera?

EN quàm altè volet aquila, Archi-Prophetam Jesaiam volo! quàm bellè glorioſissimam DEI Majestatem ex consideratione uniuersi describat μετεωρίζων! quàm sancta celeritate ex hac terra se euehat in cœlos, iterumque ex cœlis altissimis reuolet ad terram! quam εἰδωλοφάγες & εἰδωλολάτρας prosternat non syllogismis qualibuscunque cornutis, sed ex idea DEI, & operibus ejus! Ostensis à Propheta veluti in theatro idolis mutis, cœcis, claudis, vanis, impotentibus, conclusionem format Jehoua ipse. v. 25. *Cui ergo me similabitis? aut cui similis ero? ait Sanctus. (Cui assimilastis me, & adæquastis? dicit Sanctus.)* Non simpliciter quærit Propheta, quis creauit aquas? sed ἐμφατικῶς magis, *quis mensus est*, & quidem *volâ suâ, aquas?* τίς ἐμέτρησε τῇ χειρὶ τὸ ὕδωρ; Idem namque, qui aquas, superiores, inferiores, nubes, rorem, pluuiam, niuem, nebulas, maria, flumina, fontes creauit, eas quoque est mensus, exactissimè dimensus, eas ordinatissimè dispertiuit, ita, ut in constantissimo essent æquilibrio, & perenni tamen mutatione: indicio manifestissimo infinitæ tum potentiæ, tum sapientiæ. Qua de re plura ad Job. XXXVIII. *Mensus est* eas *vola manus*. Dimetiri illas, immensam & amplitudinem, & profunditatem maris, thesauros inexhaustos aquarum in nubibus, & has omnes dispertire exquisitissimè, non plus constat supremo Numini, quàm si quis aquæ guttulas paucas metiatur volâ manus, imo infinities minus.

Quis cœlos palmo æstimauit? τίς ἐμέτρησε τὸν οὐρανὸν σπιθαμῇ; Cœlum Fixarum, spatium illud inter Fixas & Planetas immensum, fluidissimum, cœlum aëreum, ad quod inprimis digitum intendit Propheta? Quàm sollicitè, obsecro, sunt commensuranda omnia pro fornice artificioso elaborando! Et ecce fornix hic infiniti artificii fluidus aëris terræ toti circumjectus fuit solo omnipotenti atque omnisapienti FIAT, quod ipsum est *palmus* DEI. Dixit, & facta sunt. Quinimò palmus DEO est infinita cœlorum amplitudo, latitudo, altitudo. Quo eodem palmo mensurata fuit uti totius mundi fabrica, ita unica aëris particula, quam 400000.es subtiliorem pilo æstimant moderni.

Quis comprehendit tribus digitis puluerem terræ? τίς ἐμέτρησε πᾶσαν τὴν γῆν δρακί; *pugillo?* totam terram, quæ ex meris puluisculis constat, &, quanta quanta est, puluisculi rationem habet vel ad solum Vorticem Solis. Est puluerulenta hæc terræ moles opus DEI in sua longitudine, latitudine, profunditate, toto & partibus exquisitissimè mensuratum & ponderatum, certè non productum alicujus casus. In manu DEI est hæc fabrica, ut globulus exiguus in manu hominis. בְּשָׁלִישׁ *baschalisch* redditur communiter *tribus digitis*, uti in Latina nostra, *mit dreyen Fingern*, nos, *mit einem Dreyling*, Luth. Posset & hæc vox reddi per *triangulum*, quod basin constituit totius Geometriæ. *Arias* habet *mensuram ternariam.*

Quis appendit montes in statera, & colles in bilance? τίς ἔζησε τὰ ὄρη ςαθμῷ, καὶ τὰς νάπας ζυγῷ; *Quis statuit montes pondere, & rupes statera?* DEUM en non solùm ἀεὶ γεωμετρέντα, sed & Mechanicum! In exemplum Geometriæ hujus Diuinæ, Mechanicæ & Staticæ sistuntur montes & colles, vel rupes, adeò artificiosè inter se & cum terra integra compaginata atque commensurata, & conponderata, ut semper maneant in perfectissimo æquilibrio. *Omnia mensura, numero, pondereue temperauisti. Etenim ampla penes te potestas semper est, & quis robori brachii tui resistat? Quoniam instar momenti stateræ totus coram*

IES. Cap. XL. v. 12.
Montes in ſtatera appensi.

Jeſ. Cap. XL. v. 12.
Die abgewogene Berge.

G. D. Heüman sculp.

ram te mundus est, & veluti gutta matutini roris humi delapsa. (Omnia in mensura & numero & pondere disposuisti. Multum enim valere tibi soli supererat semper: & virtuti brachii tui quis resistet? Quoniam tanquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quae descendit in terram.) Sap. XI. 22. 23.

Jes. Cap. XL. vers. 15. 17.

15. Ecce, Gentes (ad ipsum comparatæ) tanquam gutta situlæ, & ut momentum, quod bilancem (propendet,) reputantur; ecce, Insulas quasi minutissimum puluerem projiciet.

17. Omnes Gentes coram eo tanquam nihil sunt, & res inanes atque friuolæ reputantur, illi (comparatæ.)

15. Ecce, gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce, Insulæ quasi puluis exiguus.

17. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.

NOn comparantur inter sese Populi, Reges, Principes, Potentes hujus terræ, qui certè in expeditionibus suis bellicis, machinationibus politicis, attentione ad proprium commodum, ostentatione suorum affectuum non sunt ut *gutta situlæ*, sed rapidi sæpe torrentes. Sed ratio exhibetur populorum, imo omnium totius terræ gentium ad DEUM, quæ Zero est ad immensum numerum. Demonstratio est facilis. Est DEUS ens æternum, per se existens, ex se actuosissimum, infinitè sapiens, potens, bonum. Sunt populi omnes Entis hujus summi κτίσεις, & ab eo dependent omni momento in esse, & operari suo. Solus DEUS est aliquid, imo omnia in omnibus, hi Nihil. Perpende, quæso, si tota terra 2662560000. cubicorum Milliarium Germanicorum ad Solis corpus rationem habet ut 1. ad millionem circa, & ad Vorticem Solis vix puluisculi rationem habet, quamnam habituri sint terræ illi puluisculi, Reges atque Principes, & Populi, imo *omnes Gentes.* v. 17. Si quid est, quod horum puluisculorum superbiam domare valet, sunt certè verba illa *Senecæ Præf. in Nat. Quæst. Hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro & igne diuiditur. O quàm ridiculi mortalium termini! Ultra Istrum Dacus non exeat: Strymo Thracas includat: Parthis obstet Euphrates: Danubius Sarmatica ac Romana disterminet, Rhenus Germaniæ modum faciat, Pyrenæus medium inter Gallias & Hispanias jugum extollat: inter Ægyptum & Æthiopiam harenarum inculta vastitas jaceat. Si quis formicis det intellectum hominis, nonne & illæ unam aream in multas Prouincias diuident? Quid illis & nobis interest, nisi exigui mensura corpusculi? Punctum est istud, in quo nauigatis, in quo bellatis, in quo Regna disponitis, minima, etiam cum illis utrinque Oceanus intercurrit.*

Jes. Cap. XL. vers. 21. 22.

21. An (horum) rudes estis? An (hæc) non audiuistis? Annon à rerum primordio hoc nuntiatum est vobis? Annon docti estis à jactis terræ fundamentis?

22. Qui sedet supra globum terræ, & qui habitant in ea, sunt veluti locustæ. Qui extendit cœlos ut cortinam, & expandit eos instar tentorii, quod ad inhabitandum (figitur.)

21. Nunquid non scitis? nunquid non audistis? nunquid non annunciatum est vobis ab initio? nunquid non intellexistis fundamenta terræ?

22. Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores ejus sunt quasi locustæ: qui extendit velut nihilum cœlos, & expandit eos sicut tabernaculum, ad inhabitandum.

EX commate 21. collato potius cum proximè sequente 22. quàm cum præcedentibus, eluceſcunt Theologiæ Naturalis ſcintillæ, imo flammæ, in mente noſtra tenebricoſa deliteſcentes, inde reſuſcitandæ. Cujus nobiliſſimæ ſcientiæ contemptores adloquitur Propheta: *An horum rudes eſtis? An hæc non audiuiſtis? Annon à rerum primordio hoc nuntiatum eſt vobis? Annon docti eſtis à jactis terræ fundamentis?* LXX. οὐ γνώσεσθε; οὐκ ἀκήκοατε; οὐκ ἀνηγγέλη ἐξ ἀρχῆς ὑμῖν; οὐκ ἔγνωτε τὰ θεμέλια τῆς γῆς; Prædicat hanc veritatem tota natura, præſentemque refert quælibet herba DEUM. Nonne illam decantant aues? Nonne menti tuæ ipſi inſunt ἀναμφισβήτητα teſtimonia, eſſe DEUM omniſapientem, omnipotentem, infinitè perfectum, per ſe exiſtentem, Creatorem & Gubernatorem omnium rerum?

Qui ſedet ſupra globum terræ, & qui habitant in ea, ſunt veluti locuſtæ. ὁ κατέχων τὸν γῦρον τῆς γῆς, καὶ οἱ ἐνοικοῦντες ἐν αὐτῇ ὡς ἀκρίδες. *Qui tenet gyrum terræ, & habitatores ejus quaſi locuſtæ.* Inſidet heic excelſus DEUS, ὡς ὑπέρτατα δώματα ναίει, non monti Sionis, ſed toti globo terræ, non ſolùm ut caput Eccleſiæ, ſed tanquam Dominus Uniuerſi, cui jure creationis parent omnes creaturæ in cœlo & terra. Notamus ὡς ἐν παροδῷ, eſſe *terram globum*, חוּג הָאָרֶץ, quam figuram mathematicè demonſtratam dedimus alibi. Sed incolæ terræ ad hunc ſuum terræ mundique DOMINUM rationem habent non Elephanti, Tigridis aut Pardi, ſunt *veluti Locuſtæ.* Loquendi hic eſt modus, qui contemptus ideam inuoluit, adhibitus in proportione Iſraelitarum ad Enakitas. Ita exploratores: *Vidimus quoque illic Nephilim, poſteros Anak de Nephilim, fuimusque noſtro quidem judicio veluti locuſtæ, quin ſic quoque fuimus illorum judicio. (Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac, de genere giganteo, quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur.)* Num. XIII. 34. Conſimilis fere formula uſitata fuit *Luciano* in *Hermotimo*, ὅιον μύρμηκας ἀπὸ τῦ ὕψες ἐπισκοπεῦντάς τινας τὰς ἄλλας. Muſcæ ratio ad Elephantem in communi eſt prouerbio. Eſt in ſe conſiderata creatura quæuis, ſic & homo, magna, imo ſuo ſenſu immenſa, quia opus DEI, cujus infinitæ perfectiones exinde prolucent, ſed relata ad Conditorem Nihili rationem habet.

Qui extendit cœlos ut cortinam, & expandit eos inſtar tentorii, quod ad inhabitandum figitur. ὁ τήσας ὡς καμάραν τὸν ἀρανὸν, καὶ διατείνας ὡς σκηνὴν κατοικεῖν. *Cœlorum* nomine intelligi heic, ut alibi, poſſunt immenſa illa fluidiſſimi ætheris ſpatia Fixis atque Planetis interjecta, ſed ſpeciatim רָקִיעַ illud ſiue expanſum aëreum terræ circumfluum, ſubtile adeò, ut aptè conferri queat *cortinæ*, ſed quoque propter ineuitabilem neceſſitatem & uſum, quem terricolis præſtat, *tentorio*, dotatum propterea ſuis, quæ nobis præcisè ſunt adæquatæ, qualitatibus, elaſticitate, grauitate, tenuitate, raritate, aliis, de quibus alibi. Ad laudes Creatoris concinit Hieropſaltes Pſ. CIV. 2. 3. *Cœlos ut cortinam extendit, cœnacula ſua contignauit in aquis. (Extendens cœlum ſicut pellem: qui tegis aquis ſuperiora ejus.)*

Jes. Cap. XL. vers. 26.

Attollite in ſublime oculos veſtros, & contemplamini, quis creauerit iſta, producens in numero exercitum eorum, ſingula ſuis nominibus vocans, à multitudine virium & robore virtutis, ut ne unum quidem deeſſet.

Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte, quis creauit hæc: qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat: præ multitudine fortitudinis, & roboris, virtutisque ejus, neque unum reliquum fuit.

VIuere diſcant commonefacti εἰδωλολάτραι, ambitioſi, auari, voluptuoſi, qui *oculos* non *attollunt in ſublime* ad cœlum ſidereum, ſed demittunt ad terram, cœlum in terra, hujusue theſauris quærunt, mentes ſuas & omnes affectus à DEO auertunt. Qui ex Aſtronomia Phyſica edoctus terram conſiderat tanquam puluiſculum, ratione habita non dico ad cœlos ſtelliferos, ſed vel ad vorticem ſolum Solis, ei faſtidium adferat neceſſe eſt, non dico auriferum Peru, margaritifera & gemmifera India, ſed integer, qua latè patet, telluris orbis, tot mutationibus obnoxius in momenta, imo fatali tandem per ignem deſtructioni, ad quam magnis properat paſſibus, contignationi ſimilis, cujus cantherios jam obſidet ignis doloſus. Demonſtratiua diuinæ exiſtentiæ argumenta uti occurrunt in tota natura, ita cumprimis in cœlo ſtellifero, ſiderum conſtantiſſimo ordine, regulariſſimis motibus, immenſa diſtantia, imperſcrutabili magnitudine, ſumma pulchritudine, neceſſario & ampliſſimo uſu. Ad Fixas, quibus & Solem adnumeramus, non duntaxat *attollendi ſunt oculi*, ſed ſunt ſidera accuratiſſimè *contemplanda*: ἀναβλέψατε εἰς ὕψος τὰς

τὰς ὀφθαλμὰς ὑμῶν, καὶ ἴδετε. Sit *viſus* hic non brutorum, ſed hominum; conſideranda probè, & attentiſſimè, eſt ſapientia, bonitas, atque potentia ejus, qui *creauit iſta*, qui *producit in numero exercitum* numeroſiſſimum, qui *ſingula ſuis nominibus vocat*, τίς κατέδειξε ταῦτα πάντα, ὁ ἐκφέρων κατ' ἀριθμὸν τὸν κόσμον αὐτῶ, πάντας ἐπ' ὀνόματι καλέσει, omnia & ſingula perfectiſſimè nouit, abſolutum in omnia dominium exercet, Monarchæ comparandus, vel Imperatori, qui non ſolùm officiarios omnes cujuscunque dignitatis, ſed quoque gregarios milites nominetenus & facietenus cognoſcit: qui ea ex Nihili abyſſo produxit, & potentiſſimè conſeruat, *multitudine virium & robore virtutis, ut ne unum quidem deeſſet*, ἀπὸ πολλῆς δόξης, καὶ ἐν κράτει ἰσχύος αὐτῶ ἐδέν σε ἔλαθε, ut inde à creatione ne defecerit quidem puluiſculus, nulla in legibus facta fuerit mutatio. *Stellas in numerato habet, ac uniuerſas vocat nominibus. Magnus eſt DOMINUS noſter, & ingentis potentiæ, cujus intelligentia innumerabilis eſt. (Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocans: Magnus DOMINUS noſter, & magna virtus ejus: & ſapientiæ ejus non eſt numerus.)* Pſ. CXLVII. 4. 5.

Jeſ. Cap. XL. verſ. 28.

An non ſcis? An non audiſti, quod ſempiternus DEUS, & DOMINUS ille, qui extremitates orbis condidit, non laborat, nec laſſitudine fatigatur, nec prudentia ejus perueſtigari poteſt?

Nunquid neſcis, aut non audiſti? DEUS ſempiternus, DOMINUS, qui creauit terminos terræ, & non deficiet, neque laborauit, nec eſt inueſtigatio ſapientiæ ejus.

Vid. Job. Cap. XI. verſ. 7.

Jeſ. Cap. XL. verſ. 31.

Qui DOMINUM expectant, nouas ſubinde vires recipiunt, ſuſtollent alas ut aquilæ: current, nec fatigabuntur; ambulabunt, & non feſſi erunt.

Qui autem ſperant in DOMINO, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ: current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.

Jaalu ebber canneſcharim, יַעֲלוּ אֵבֶר כַּנְשָׁרִים propriè ſignificat, *aſcendent ala ſicut aquilæ*, plumæ aſcendent, vel ſuccreſcent ipſis, ut ſolent aquilis. Digitum proin intendit Propheta ad renouationem aquilæ, quæ fit ſuccreſcentibus nouis plumis loco elapſarum. Hinc egregiè LXX. πτεροφυήσεσιν ὡς ἀετοὶ. Hoc ſenſu Hieropſaltes Pſ. CIII. 5. *Recuperas juuentam tuam ſicut aquila. (Renouabitur ut aquilæ juuentus tua.)* Miraculum auget Syriaca Verſio, quæ *aquilam* mutat in *columbam*. De hac aquilæ renouatione alibi egi pluribus. Aquilam nouis plumis nouas acquirere vires conceptu facile eſt; ſic & applicatio facilis ad aquilas myſticas, pios à Spiritu DEI animatos. *Qui DOMINUM expectant, nouas ſubinde vires recipiunt, ſuſtollent alas ut aquilæ: current, nec fatigabuntur; ambulabunt, & non feſſi erunt.* οἱ δὲ ὑπομένοντες τὸν ΘΕΟΝ ἀλλάξεσιν ἰσχὺν, πτεροφυήσεσιν ὡς ἀετοὶ, δραμοῦνται καὶ ὐ κοπιάσεσι, βαδιοῦνται καὶ ὐ πεινάσεσιν.

Jes. Cap. XLI. vers. 15.

En ego faciam te plaustrum, & tribulam nouam dentatam, ut exteras montes atque comminuas, & colles in scobem redigas.

Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia: triturabis montes, & comminues, & colles quasi puluerem pones.

SUbiges, & conteres Reges & Principes Medorum, veluti *tribula noua dentata*, & gloriam eorum vertes in *glumam*, rem leuiculam, quæ nullius est ponderis. Dicitur *gluma* hæc vel *palea* Hebræis מוץ *mots*, Græcis ἄχνη, Arabibus & Persis *cah*. Constat integra vel tritici vel hordei spica *grano*, intimo ac solido, *gluma* ejus folliculo, & *arista*, quæ acus ad instar tenuis eminet è gluma. *Hiller. Hieroph.* P. II. p. 158. In re herbaria locum habet subtilior distinctio *glumæ* à *folliculo*. *Gluma unica est squamula seu valua, ut ita dicam, locustarum partes coefficiens. Folliculus autem seu utriculus est coagmentatio duarum, rarò etiam trium quatuorue glumarum, receptaculum tam floris seu staminum, quàm seminum, constituens; quod tamen vasculum quandoque unica constat gluma, ex qua tamen, cum stamina floris prodeant, & in ea postmodum contineatur semen, folliculi hæc etiam nomine insignitur, addito uniglumis cognomine. J. Scheuchzer Apostograph.* p. 1.

TAB. DCXVI.

Jes. Cap. XLI. vers. 18. 19. 20.

18. Aperio in editissimis verticibus flumina, & in mediis campis fontes: desertum verto in stagnum aquarum, & terram torridam in scaturigines aquarum.
19. Dabo in deserto Cedrum, Spinum, Myrtum & Oleam: ponam in solitudine abietem, Ulmum & populum simul.
20. Ut videant, cognoscant, & alta mente reponant, & perpendant simul, quod manus DOMINI fecerit hoc, & Sanctus Israelis ipsum creauerit.

18. Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.
19. Dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum oliuæ, ponam in deserto abietem, ulmum, & buxum simul.
20. Ut videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus DOMINI fecit hoc, & Sanctus Israel creauit illud.

REgio, si quæ est, in qua DOMINUS *aperit in editissimis verticibus flumina, & in mediis campis fontes*, ἀνοίγει ἐπὶ τῶν ὀρέων ποταμὸς, καὶ ἐν μέσῳ πεδίων πηγὰς, est certè Heluetia nostra. Heic ubi fodias cunque, in montibus & vallibus, viui scaturiunt fontes, imo thesauri aquarum adeò diuites, qui profluunt sponte, ut ne quidem fodere habeamus necesse. Est hoc singulare prorsus DEI Ter Optimi Ter Maximi erga nos Helueticolas beneficium, quo si careremus, viuere haud possemus. *Ego*, inquit Altissimus, *aperio in editissimis verticibus flumina*, non natura, non idolum quodcunque, non casus.

Quodsi è contra quæsiueris terram siti torridam, ἄνυδρον, adi Arabiam desertam, ubi si fortè aquam inuenerint itinerantes, & hoc solamen acceptum referunt DEO. Numerosissimus Israelitarum exercitus, armatis 600000. constans si in transitu τεσσαρακονταετῆ per desertum inuenerit, quo sitim leniret, si torrentes videat aquarum ex petris profluos: si in mystico

Jes. Cap. XLI. v. 18. 19. 20.
Fontes Deserti, Ulmus, Buxus.

Jes. Cap. XLI. v. 18. 19. 20.
Wüsten Quellen: Ulmen und Buchs.

I. G. Pintz sculps.

stico sensu Ecclesia Noui Fœderis *redigitur* veluti *torrida terra in stagnum*, & *terra siticulosa in scaturiginem aquarum*, Jes. XXXV. 7. erunt hæc iterum singularia DEI optimi beneficia. *Ego*, inquit DEUS per internuntium, *desertum verto in stagnum aquarum*, & *terram torridam in scaturigines aquarum.* ποιήσω τὴν ἔρημον εἰς ἕλη ὑδάτων, καὶ τὴν διψῶσαν γῆν ἐν ὑδραγωγοῖς.

Sed non est aqua sola in terra siticulosa beneficium singulare DEI, verùm & ex terra surgentes arbores & plantæ, ex quibus numerat quasdam & nominat Propheta. Sunt eæ אֶרֶז *erez*, *Cedrus*, שִׁטָּה *schittah*, quam pro *Spina Arabica* agnouimus ad Exod. XXV. 5. LXX. habent πύξον, *Buxum*, Hieronymus ex Theodotione *Spinam*, Latina nostra *Spinum*, quæ vox *Oxyacanthæ* est synonyma, Vernacula *Forben*, malè *Spinum* vertens in *Pinum*. הֲדַס *hadas*, Μυρσίνη, *myrtus*. עֵץ שָׁמֶן *ets schamen*, *lignum oliuæ*, *olea*. בְּרוֹשׁ *beroschh*, *abies*, LXX. κυπάρισσος, *Cupressus*, arbor abieti affinis. תִּדְהָר *thidhar* non uno sensu sumitur ab Interpretibus. Neque mirum, differre eos, quia in Sacris non exprimitur nisi locus, Libani mons, qui solus fert non Cedros solos, sed alias quoque syluestres arbores, quæ minus notæ esse solent aliis, Talmudici autem Doctores in rebus naturalibus describendis ut plurimùm sunt valde jejuni. *Didar Serapio* ita describit: *Arabes eam nominant arborem cimicum, in Persia vocatur* Luzach: *estque arbor habens in ramis suis camerulas, folliculos puta*, θυλάκια *dixit Galenus, similes scroto humano, in quibus est humiditas, quæ siccata generat animalcula similia cimicibus.* Quadrat hæc descriptio *Ulmo*, quæ multis hèic placet. Fulcit hanc opinionem Turcarum, Arabum & Persarum modernorum *derdar*, Turcarum *liedar*. *Meninzk. Lex.* 2053. 4220. Subscribunt *Aquila*, *Symmachus*, *Vulgata*. *Lutherus fago* suffragium dat. Pollicem fere premit *Ursinus Arbor. Bibl.* c. 8. p. 140. *Nam & nomen congruit, à tremore & strepitu foliorum, quæ leuissimo quouis ventulo, vel aurula mouentur: siue à pedum crebro calcatu, & inde strepitu, quem Hebræi* דָּהָרָה *dahara vocant*, Jud. V. 22. *Nulla quippe inter siluestres arbores forte est, quæ sæpius calcetur, fructu ejus à feris & hominibus expetito.* Sed sunt argumenta ex Etymologia petita ut plurimùm parui momenti. *Fagus* si placeret, eligi posset *Orientalis ampliore folio*, *Tourn. coroll.* p. 41. *Pinum* vel *Tædam* interpretantur alii, ut *Pagninus*. LXX. πεύκην, *Sapinum Arias*. Sed non est *Sapinus* peculiaris arboris species, verùm abietis inferior pars & enodis. Restat תְּאַשּׁוּר *Theaschur*, arbor felix, si Etymologiæ aliquod pondus, אָשַׁר *aschar* quippe in Pihel est, *felicitauit*, *beauit*. πύξον interpretantur Aquila & Symmachus; fauet quoque *Buxo* Vernacula nostra, *Bux-Baum*, *Ursinus Arboret. Biblic.* c. 9. p. 147. 153. qui ipse tamen p. 88. c. 4. non tam Buxum vulgarem intelligi vult, sed *Pyxacantham*, *arborem spinosam foliis Buxo assimilem, ex qua fit Lycium.* LXX. habent λεύκην, *Vatablus*, *Pagninus*, Latina nostra *populum*: *Hillerus Hieroph.* P. I. p. 401. *acerem*, quod arbor hæc crispo macularum discursu, operumque elegantia & subtilitate cedro sit secunda. Ansam dat Arabum *atsaron*, cujus Plurale *otsouron* crispantis materiæ nitorem denotat. Sed desunt affinia in Oriente vel Buxi vel aceris synonyma.

Exhibet v. 20. scalam cognitionis DEI ex natura, *ut simul*, inquit Propheta, omnes omninò mortales, Judæi & Gentiles, *videant*, contemplentur mundum, omniaque & singula in eo corpora, & *alta mente reponant*, adeò viuidas de illis forment ideas, quæ quàm proximè respondeant pulchritudini & artificio κτίσεων, & *perpendant, quod manus DOMINI fecerit hoc*, & *sanctus Israelis ipsum creauerit.* ἵνα ἴδωσι, καὶ γνῶσι, καὶ ἐννοηθῶσι, καὶ ἐπιγνῶνται ἅμα, ὅτι χεὶρ ΚΥΡΙΟΥ ἐποίησε ταῦτα, καὶ ὁ ἅγιος τοῦ Ἰσραὴλ κατέδειξεν. Sit nempe Philosophia hæc non theoretica duntaxat, sed & Practica, transire debent formatæ in cerebro ideæ ad cor, idque commouere, excitare affectus omnes, & accendere ad amorem erga optimum DEUM, ad ardentissimum Ens hoc supremum & sanctissimum colendi & venerandi desiderium, ad Timorem DEI, ad Religionis officia quæuis. Sic Schola erit totus mundus, Professores & Præceptores corpora quæuis, discipulus homo, objectum DEUS.

A. *Ulmus campestris & Theophrasti* C. B. *Ulmus* I. B.

B. *Buxus arborescens* C. B. *Buxus* I. B.

Characteres expressi ad marginem c c c. DDD.

Jes. Cap. XLII. vers. 5.

Sic dicit DOMINUS DEUS, Creator cœlorum, & qui extendit eos, qui expandit terram & germina ejus, qui respirandi vim tribuit populo eam (inhabitanti,) & spiritum his, qui versantur in ea.

Hæc dicit DOMINUS DEUS, creans cœlos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex ea; dans flatum populo, qui est super eam, & spiritum calcantibus eam.

ADorari vult ſolus Ter Maximus DEUS, contradiſtinctè ad Gentilium Deaſtros, tanquam Creator potentiſſimus, Conſeruator & Director ſapientiſſimus, optimus bonorum Diſpenſator. Creator cœlorum, terræ, vitæ Author. Portam ſic aperit ipſe ad cultum ſibi debitum, ad Theologiam Naturalem, ut heic, ita in innumeris aliis Sacræ Scripturæ Locis. Attendant, rogo, illi ex eruditis, qui ſtudii hujus utilitatem haud commendant, neceſſitatem haud agnoſcunt, ad grauem illam exprobrationem, quæ extat v. 19. *Quis cœcus, niſi ſeruus meus? & ſurdus æquè ac nuntius meus, quem miſſurus ſum? Quis inquam tam cœcus eſt ac perfectus, & cœcus perinde ac ſeruus DOMINI? (Quis cœcus, niſi ſeruus meus? & ſurdus, niſi ad quem nuncios meos miſi? quis cœcus, niſi qui venundatus eſt? & quis cœcus, niſi ſeruus DOMINI?)* Profundam facit impreſſionem idea de DEO Creatore totius Uniuerſi, ſed profundiorem adhuc, quando ſe characterizat ipſum ut noſter DEUS, noſtrûm Creator omnium, meus. *Et nunc ſic dicit* DOMINUS, *Creator tuus, o Jacob, & formator tuus, o Iſrael. Ne timeas, ego enim redemi te*, Jeſ. XLIII. 1. *Nunc ergo audi, o Jacob, ſerue meus, & Iſrael, quem elegi. Sic dicit DOMINUS, factor tuus, & qui te finxit, quique ab utero auxilio tibi fuit*, XLIV. 1. 2.

TAB. DCXVII.

Jeſ. Cap. XLIV. verſ. 12-16.

12. Faber ferrarius forcipe (correpta) operatur in prunis, & ſcalpris fingit illud, agit robuſto brachio ſuo, quin eſurit interim, ut vires deficiant, neque aquas bibens, ut laſſus concidat.

13. Faber lignarius regulam extendit, deſignat illud rubrica, & format illud normis, & definit illud circino, & dat ei formam viri, atque ſpeciem hominis, ut in æde ſedeat.

14. Accingit ſe ad incidendum (a) Cedros, ut aduehat Ilicem & Quercum, & corroborat ſe in lignis ſaltus, plantat Cedrum, atque imbre auget.

(a) Pro Cedro alii Pinum legunt.

15. Fit (hæc) homini ad incendendum (ignem), accipit enim ex his (lignis), & calefit, quin & incenſo (furno) panem coquit, deinde & Deum (ex his) facit, & adorat, ſculptile illud facit, & coram illo procumbit.

16. Partem ejus incendit igni, parte ejus carnes (aſſas) edit: aſſat aſſaturam, & ſatur fit, calefit etiam, & dicit: Euge, caleo, & ignem vidi.

12. Faber ferrarius lima operatus eſt: in prunis, & in malleis formauit illud, & operatus eſt in brachio fortitudinis ſuæ: eſuriet & deficiet, non bibet aquam, & laſſeſcet.

13. Artifex lignarius extendit normam, formauit illud in runcina: fecit illud in angularibus, & in circino tornauit illud: & fecit imaginem viri, quaſi ſpecioſum hominem, habitantem in domo.

14. Succidit cedros, tulit ilicem, & quercum, quæ ſteterat inter ligna ſaltus: plantauit pinum, quam pluuia nutriuit.

15. Et facta eſt hominibus in focum: ſumſit ex eis, & calefactus eſt: & ſuccendit, & coxit panes: de reliquo autem operatus eſt Deum, & adorauit: fecit ſculptile, & curuatus eſt ante illud.

16. Medium ejus combuſſit igni, & de medio ejus carnes comedit: coxit pulmentum, & ſaturatus eſt, & calefactus eſt, & dixit: Vah, calefactus ſum, vidi focum.

Prophe-

IES. Cap. XLIV. v. 12-16.
Dii factitii.

Jes. Cap. XLIV. v. 12-16.
Gemachte Götter.

I. G. Pintz sculps.

PRopheta noster, postquam commatibus prægressis 9. 10. 11. cultus idololatrici ostenderat vanitatem, eam ulterius & ita demonstraturus, ut veritas omnium oculis illucesceret, argumenta, eaque solidissima, petit nunc ex ipsa εἰδωλοποιήσει, ducit veluti manu nos ad ipsas illas, ubi formari solent hi Dii factitii, officinas. Eunti adero comes, solitus aliàs attendere ad operariorum quorumcunque labores, ex Phænomenis obuiis non formaturus Idola, sed Philosophemata.

Vers. 12. *Faber ferrarius forcipe correpta operatur in prunis.* LXX. ὤξυνε τέκτων σίδηρον, *acuit faber ferrum*, asciam nempe pro fabro lignario. Igne nempe domari, & ductile reddi debet metallum durissimum, compactum valde, & inuictum aliàs; prunis ardentibus immittitur in ustrina, ut penetretur undique à spiculis acutissimis, celerrimo motu agitatis, quæ nexum particularum arctissimum soluant, eas ab inuicem diuellant, imo & mole apparenter augeant: Hoc peracto incudi imponit faber ferrum ignitum, & *scalpris fingit illud, agit robusto brachio suo*, σκεπάρνῳ εἰργάσατο αὐτὸ, καὶ ἐν τερέτρῳ ἔξησεν αὐτὸ, καὶ εἰργάσατο αὐτὸ ἐν τῷ βραχίονι τῆς ἰσχύος αὐτοῦ, *lima operatus est illud, & in terebro statuit illud, & operatus est illud in brachio fortitudinis suæ.* Ubi, si rectè philosophemur, ἰσχὺς hæc τοῦ βραχίονος minimè attribuenda venit fabro ipsi, sed DEO, Auctori & structuræ, & vitæ & halitus, id quod demonstratum dedimus alibi. *Interim esurit* faber, *ut vires deficiant, neque aquas bibit, ut lassus concidat*, πεινάσει, καὶ ἀσθενήσει, καὶ ἐὰν μὴ πίῃ ὕδωρ. Ubi notandum, sacrum adeò laborem ab εἰδωλοποιηταῖς peragi debuisse jejunis, ut non ausus ante fuerit operarius vel aquâ sitim lenire, vel cibo famem pellere, quàm opus fuerit absolutum. Notum enim, labore adeò duro, qualis est fabrorum, trudi sudorem, augeri cutaneam transpirationem, defatigari musculorum & aliarum partium fibras, ut omnino necesse habeat artifex jacturam absumptarum partium resarcire cibo & potu.

Faber lignarius regulam extendit, designat illud rubrica, ut solent nostrates regulâ simul & rubricâ, quam secum gerunt, ducere lineas rectas. Verùm enim verò videtur Propheta respexisse potius alium lineas rectas ducendi modum, quo iidem nostrates fabri lignarii utuntur, quo tereti arboris trunco formam prismatis daturi funem liquido rubro (nostrates atramento) intinctum tendunt, qui dehinc addita elasticitate in ligno designat tractum, quem lignicida sequi debet. LXX. simpliciter, ἐκλεξάμενος τέκτων ξύλον, ἔξησεν αὐτὸ ἐν μέτρῳ, *eligens faber lignum, statuit illud in mensura;* in aliis hæc adjunguntur, καὶ ἐμόρφωσεν αὐτὸ ἐν παραγραφίδι, ἐποίησεν αὐτὸ ἐν παραγωνίσκοις, al. περιγωνίοις, aut, περιγωνίσκοις, quæ Vulgata ita videtur reddere, *formauit illud in runcina, fecit illud in angularibus.* Rubricam Ægyptiam & Africanam ad hanc operationem commendat *Plinius* L. XXXV. c. 6. *Ex rubricæ generibus fabris utilissima Ægyptia & Africana, quoniam maximè sorbentur picturis.* Fuit autem hæc veterum rubrica *Cinnabaris* potius vel *Minii* species, usualis jam temporibus Belli Trojani. *Plinius* L. XXXIII. c. 7. *Jam enim Trojanis temporibus rubrica in honore erat, Homero teste, qui naueis ea commendat, alias circa picturas pigmentaque rarus.* Μίλτον *vocant Græci Minium, quidam Cinnabari.* Quadrant huc, quæ *Salmasius in Solin.* p. 813. affert ex veteri Epigrammate ἀπὸ τεκτόνων.

- - - - - μιλτοφυῆ τε
Σχοῖνον ὑπ' ἀκρονύχῳ ψαλλομένην κανόνι.

Et ex alio, quo recensentur omnia fabrilia instrumenta:

Στάθμαι, καὶ μιλτεῖα, καὶ αἱ σχεδὸν ἀμφιπλῆγες
Σφῦραι, καὶ μίλτῳ φυρόμενοι κανόνες.

Intellexisse Jesaiam quoque hujusmodi colorem rubrum, constat ex voce שָׁנִי *sered*, quæ propriè denotat *filum phœniceum. Et format illud normis, & definit illud circino, & dat ei formam viri, atque speciem hominis, ut in æde sedeat.* Καὶ ἐν κόλλῃ ἐρρύθμισεν αὐτὸ, καὶ ἐποίησεν αὐτὸ ὡς μορφὴν ἀνδρὸς, καὶ ὡς ὡραιότητα ἀνθρώπου, στῆσαι αὐτὸ ἐν οἴκῳ. *Et in glutine composuit illud, & fecit ipsum quasi formam viri, & tanquam speciem hominis, ad statuendum illud in domo.* Ubi Complutensis Editio & Cyrillus, ἐν κύκλῳ, *in circino.* Notum ex antiquitate, etiam ædes priuatas suos habuisse lares. Notandum ὡς ἐν παρόδῳ, laborandum esse cuiuis fabro lignario ad normam & circinum, speciatim in delineatione columnarum, & commendandas esse ad hunc finem scientias mathematicas fabris illis, uti & artificibus aliis, sculptoribus, pictoribus.

Vers. 14. Recensetur materia, ex qua idola fuere formata seu sculpta, & nominantur quatuor genera *lignorum saltus*, עֲצֵי יָעַר,

אַרְזִים *arazim*, κέδροι, *Cedri.*

תִּרְזָה *thirzah* dubia mouet Interpretibus. Certum id, eligendam esse arborem siluaticam, ex cujus ligno formari queant Deorum simulacra. Placet *Ilex, Ilmen*, Vulgatæ & Tigurinis, aliis *Fagus, Bocharto Pinus*, sacra Deûm matri, ex qua θύρσοι, (vox *thirza* affinis, inde fortè nata) κλάδοι, λάμπαδες, *thyrsi, tædæ, baculi Bacchici* fieri solebant. *Euripides* in *Bacchabus:*

Ὁ βακχεὺς δ' ἔχων
Θυρσώδη φλόγα πεύκης.

Ouidius:

Illic accendit geminas pro lampade pinus,
Hinc Cereris Sacris nunc quoque tæda datur.

Ursino in Arbor. Bibl. c. 7. p. 123. *Cedrus Phœnicia, Oxycedrus, Junipero perquam similis.* Erit hæc *Juniperus major*, *bacca rufescente* C. B. *Cedrus major bacca nigra rubra* I. B. vel & *Cedrus baccifera major folio Cupressi fructu flauescente* C. B. Fauet idem *Ursinus* p. 128. *Cupresso*, adeò, ut *si ea non sit thirza, nesciat an uspiam dicta sit.* Ex hac arbore facti quoque fuere Thyrsi, hastæ hederâ & pampinis vestitæ. Et sanè est arbor hæc fingendis simulacris aptior quàm pinus. Quærebant hi *thirza* inter arbores coniferas maximè & resiniferas, vel & glandiferas, ut ἀγριοβάλανον habent nonnulli Codices τῶν LXX. Ab his omnibus in diuersa abit Cl. *Hiller. Hierophyt.* P. I. p. 432. qui *Tiliæ* mari suffragium dat. In Oriente si quæras nominis *thirza* vestigia, seliges *Juniperum*, quæ *rasen* & *ares* Persis, *ær-ær* Turcis, *erz, ürz* Arabibus, *Meninzk. Lex.* 2258. 5704. 5705. Quodsi præter arbores cedrinas vel juniperinas seligere lubeat alias, inprimis ex Oriente, in censum venire poterit *Juniperus Cretica ligno odoratissimo*, *Græcorum recentiorum. Tournef. Cor.* item *Juniperus Orientalis vulgari similis*, *magno fructu nigro.* Id.

אלון *allon. Quercus*, de qua alibi. Habent & nonnulli Codices τῶν LXX. δρῦν.

אֹרֶן *oren* est ex arboribus iis, quæ crucem figunt Interpretibus. Si pugnandum est authoritatibus, prævalebit *pinus*, quam habent Versiones, LXX. πίτυς, Chaldaica, Syriaca, *Hieronymi*, R. *Kimchi*, *Pagninus*, *Schindlerus*, Vernacula *Tigurina*, quæ *Forhen* habet, *Hiller. Hieroph.* P. I. p. 367. Piniferam esse Palæstinam constat ex *Adamnani* L. II. *de Locis Sanctis. Egredientibus de Hebron, in campi latitudine sita, ad aquilonarem plagam, haud procul à margine viæ, ad sinistram occurrit pinosus non grandis mons, tribus millibus à Chebron distans, à cujus pineto pinea ad Hierosolymam usque in Camelis vehuntur ligna ad focos nutriendos.* Hæc si *Oren* est, seligi debet non tam ex sylvestribus Europæis una, sed vel *Pinus satiua* C. B. *Pinus ossiculis duris foliis longis* I. B. vel Orientalis quædam, qualis foret *Pinus Orientalis foliis durioribus amaris fructu paruo peracuto*, *Tourn. Coroll.* p. 41. Satiuæ fauent verba, quæ extant in Textu, נָטַע אֹרֶן, *plantauit Oren.* De hoc inter satiuam & sylvestrem discrimine *Virgil. Eclog.* 7.

Fraxinus in sylvis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluuiis, abies in montibus altis;
Sæpius at si me, Lycida formose, reuisas,
Fraxinus in sylvis cedet tibi, pinus in hortis.

De Pinus usibus sacris nonnulla attulimus supra. Plura legas in *Spanhemii Diss. de Præst. Numism.* p. 267. &c. *Cuperi Harpocrate* p. 43. Obuii sunt Strobili in Nummis Mamertinorum, Syracusanorum, Coloniæ Augusti, cum Inscriptione TI. SEMPRONI TI. F. GRACCUS LEG. PPO. COS. Thyrsum, κίσσινον βέλος *hederaceum telum Euripidi* in *Baccharum* prologo, gestat *Bacchus Bœoticus* in Onyche exciso, & nuces pineas colligunt in Cameo Cupidines in *Thesauro Begeri Brandenb.* p. 13. 186. Si tantæ fuere famæ Strobili, quidni & sacrum fuerit lignum? Sed desunt nobis Pinus nomina affinia τῷ אֹרֶן *oren* in Orientalibus Linguis. Hac prærogatiua gaudet *Ornus*, quam *Arias* habet. Hæc iterum suos patitur manes. *Ruellium*, *Gesnerum*, *Dodonæum* si audias, seliges *sorbum siluestrem domesticæ similem* C. B. si *Bellonium*, placebit *Fraxinus humilior*, *siue altera Theophrasti, minore & tenuiore folio*, C. B. si *Pandectarium*, arridebit *Fagus* C. B. si *Tragum* & *Lonicerum*, *Ostrya Ulmo similis fructu in umbilicis foliaceis* C. B. Has arbores, ut & *acerem*, in scenam producit *Ursin. Arbor. Bibl.* c. 6. *Cedro* tandem fauet Latina nostra. Inter has omnes hæreo dubius.

Haud debebant sacræ hujusmodi sacris usibus destinatæ arbores irrigari hominum manibus, sed *imbre* de cœlo *augeri.* ὑετὸς ἐμήκυνεν, *pluuia produxit in longitudinem.* Obseruari meretur heic paralleliſmus inter idololatriam Judæorum & Romanorum. Hi quoque, ut illi, idola sua fingebant non ex arboribus domesticis, sed ex syluaticis, e. g. ficu sponte nascente. Audi irridentem ipsos idololatras *Horatium:*

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cum faber, incertus scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum. Deus inde ego, furum auiumque
Maxima formido.

Est hoc argumentum ant-idololatricum ad hominem, cui, nisi stipes sit aut ipse truncus, absonum utique videbitur, ex eodem ligni trunco fabricare scamnum, ex alia parte Deum, vel, ut verbis Prophetæ utar, v. 15. ex parte *incendere ignem, & calefacere, & panem coquere*, ex alia *Deum facere, & adorare, sculptile facere, & coram illo procumbere;* vel, *partem incendere igni, parte assare carnem, assare assaturam, & saturare, calefieri etiam, & dicere: Euge, caleo, & ignem vidi*, v. 16. & v. 17. *Reliquum ejus simulacrum sibi facere, cui procumbit, quod adorat, & ante quod precatur dicens: Libera me, Deus enim meus es tu. (Reliquum autem ejus Deum fecit & sculptile sibi: curuatur ante illud, & adorat illud, & obsecrat, dicens: Libera me, quia Deus meus es tu.)* LXX. ita: ἵνα ᾖ ἀνθρώποις εἰς καῦσιν, καὶ λαβὼν ἀπ' αὐτῶν ἐθερμάνθη, καὶ καύσαντες ἔπεψαν ἄρτους ἐπ' αὐτῶν, τὸ δὲ λοιπὸν εἰργάσαντο

Ies. Cap. XLIV. v. 19.
Idololatrarum ſtultitia.

Jeſ. Cap. XLIV. v. 19.
Götzen-Diener ſind Narren.

P. G. Harder ſculps.

σαντο Θεὸς, καὶ προσκυνῆσιν αὐτοῖς. Οὐ τὸ ἥμισυ αὐτῆ κατέκαυσεν ἐν πυρὶ, καὶ ἐπὶ τῆ ἡμίσει αὐτῆ ἔπεψεν ἐν τοῖς ἄνθρακιν ἄρτες, καὶ ἐπ' αὐτῆ κρέας ὀπτήσας ἔφαγε, καὶ ἐνεπλήσθη, καὶ θερμανθεὶς εἶπεν· ἡδὺ μοι, ὅτι ἐθερμάνθην, καὶ εἶδον πῦρ. τὸ δὲ λοιπὸν ἐποίησεν εἰς Θεὸν γλυπτὸν, καὶ προσκυνεῖ, καὶ προσεύχεται λέγων· ἔξελαῖ με, ὅτι Θεός με εἶ σύ. En quomodo prosternat hanc εἰδωλομανίαν ipsa Theologia Naturalis!

Ex recensitis supra arboribus sistitur

A. Pinus domestica.

B. Sorbus sylvestris domesticæ similis.

TAB. DCXVIII.

Jes. Cap. XLIV. vers. 19.

Nullus ad cor suum reuocat (neque enim sensu pollent aut intellectu) ut diceret: Partem ejus igne combussi, quin ad prunas ejus panem coxi, assaui carnem, & comedi, & ex reliquo ejus abominandum idolum facerem? & ante truncum ligneum procumberem?

Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt, neque sentiunt, ut dicant: Medietatem ejus combussi igni, & coxi super carbones ejus panes: coxi carnes, & comedi: & de reliquo ejus idolum faciam: ante truncum ligni procidam.

EN quò ducat nos usque sana, quam DEUS nobis concessit, ratio! quàm vel sola hæc idola ex aris suis præcipitet, Templis excludat! Ducit Propheta, imo DEUS ipse, Judæos hac vice non ad Libros Mosis, ubi quidem idololatriæ abominandum vitium viuis depingitur coloribus, ne eo allectus DEI populus sese contaminet, sed peculium suum, imo mortales quosuis, propriæ, qua præditi sumus, adducit rationi, tristes voluens querelas de humani cordis corruptione, ut nemo sit, qui *sensu polleat, aut intellectu*, nemo, qui *ad cor suum reuocet.* Οὐκ ἐλογίσατο τῇ ψυχῇ αὐτῆ, οὐδὲ ἔγνω τῇ Φρονήσει. Et sanè, qui semel genuinum de materia formauit conceptum, de materia omni, seu magna sit, seu parua, siue subtilis, siue crassa, destitutam eam esse omni intellectu, passiuum quid, actuositate carens, & vi non dicam sese producendi, sed mouendi, figurandi; Solem, Lunam, Stellas, producta esse Entis infinitè actuosi & perfecti; infiniti quidem esse artificii structuram arboris, sed dependere eam ab Ente summo spirituali, infinitè potenti & sapienti: qui, inquam, oculos vel tantillum aperit, is formabit illicò conclusionem in Textu expressam: *Partem ejus igne combussi, quin ad prunas ejus panem coxi, assaui carnem, & comedi, & ex reliquo ejus abominandum idolum facerem? & ante truncum ligneum procumberem?* LXX. ὅτι τὸ ἥμισυ αὐτῆ κατέκαυσεν ἐν πυρὶ, καὶ ἔπεψεν ἐπὶ τῶν ἀνθράκων αὐτῆ ἄρτες, καὶ ὀπτήσας κρέα ἔφαγε, καὶ τὸ λοιπὸν αὐτῆ εἰς βδέλυγμα ἐποίησε, καὶ προσκυνῆσιν αὐτῷ. Notamus ὡς ἐν παρόδῳ, & ad testimonium totius Sacri Codicis prouocamus, cognitionem DEI ex operibus creationis non tantùm non vel noxiam esse, vel suspectam, sed commendatam ubique, & seueriſſimè injunctam. Confer Jes. XLII. 5. Sunt ejus efficaciæ hujusmodi exercitia Physico-Theologica, ut & Gentilem à semita vitiorum reducere valeant ad viam virtutum regiam. Syllogizet ita secum auarus, voluptuosus: Deificarem ego aurum & argentum, metalla, quæ non plus habent vel realitatis, vel actiuitatis, quàm lapides viliſſimi, & quæ nulli prorsus sunt mihi usui in altera vita, relinquenda in hoc mundo?

Sanitatem meam destruerem luxu,
crapula, nimiâ cibi potusue copiâ?

Jes. Cap. XLIV. vers. 22. 23. 24.

22. Ego deleui transgressiones tuas ut densas nebulas, & ut nubem peccata tua; reuertere ad me, quia redemi te.
23. Jubilate, cœli, quia DOMINUS fecit, jubilum edite, profundissima terræ, prorumpite in lætas voces, o montes, sylua & omnia ligna ejus, quia redemit DOMINUS Jacob, & in Israele gloriam suam amplificabit.
24. Sic enim loquutus est DOMINUS, redemptor tuus, & qui te ab utero finxit. Ego DOMINUS, faciens omnia, cœlos extendo solus, & mea virtute terram expando.

22. Deleui ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: reuertere ad me, quoniam redemi te.
23. Laudate, cœli, quoniam misericordiam fecit DOMINUS: jubilate, extrema terræ: resonate, montes, laudationem, saltus & omne lignum ejus: quoniam redemit DOMINUS Jacob, & Israel gloriabitur.
24. Hæc dicit DOMINUS, redemtor tuus, & formator tuus ex utero: Ego sum DOMINUS, faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.

VIdimus haud unâ occasione, esse *nebulas* atque *nubes* bullulas siue vesiculas tenuissimas, infinitâ arte tornatas, surgentes ex globo terr-aqueo juxta cum aliis halitibus sulphureis, salinis, collectas hinc inde, eò quidem usque, ut & Solem obtegant, hujusque fulgorem nobis eripiant, sed quæ vel ab ipso hoc Solis jubare dispulsæ serenitatem reddant aëri. His nunc comparat DEUS ipse peccata, quæ etiam nubium & nebularum ad instar surgunt ex corrupto nostro intellectu, & voluntate deprauata, nos ipsos tenebris obuoluunt, Solis Justitiæ fulgentissimos atque penetrantissimos radios nobis eripiunt. Has quidem, quia nostræ sunt, nos ipsi propria nostra virtute dispellere haud possumus, sed DEUS per CHRISTUM *delet transgressiones* nostras, *ut densas nebulas, & ut nubem peccata nostra.* ἰδὲ γὰρ ἀπήλειψα ὡς νεφέλην τὰς ἀνομίας σε, καὶ ὡς γνόφον τὴν ἁμαρτίαν σε. Est hoc efficax iterum contra idololatriam remedium. Nulli nobis usui venit vel Parhelius, vel Sol pictus, visui nostro post dispulsas nebulas nubesque obuius, utpote neque caloris neque luminis beneficium nobis præbens; ita neque quærendi sunt ψευδοήλιοι in spiritualibus, idola vana, illecebræ mundi; sed summum quærendum est bonum. *Reuertere ad me, quia redemi te.* ἐπιστράφηθι πρός με, καὶ λυτρώσωμαί σε.

Propheta porrò, dum Jubilæo veluti indicto totam eamque elegantissimam mundi διακόσμησιν inuitat & excitat ad communia cum liberandis ex Babele gaudia, non ad literam est intelligendus, ut Hieropsaltes, & alii Scriptores sacri innumeris in locis. *Jubilate cœli, quia DOMINUS fecit, jubilum edite, profundissima terræ, prorumpite in lætas voces, o montes, sylua & omnia ligna ejus, quia redemit DOMINUS Jacob, & in Israele gloriam suam amplificabit.* εὐφράνθητε οὐρανοί, ὅτι ἐλέησεν ὁ ΘΕΟΣ τὸν Ἰσραὴλ, σαλπίσατε τὰ θεμέλια τῆς γῆς, βοήσατε ὄρη εὐφροσύνην, οἱ βενοὶ καὶ πάντα τὰ ξύλα ἐν αὐτοῖς, ὅτι ἐλυτρώσατο ὁ ΘΕΟΣ τὸν Ἰακὼβ, καὶ Ἰσραὴλ δοξασθήσεται. Laudare DEUM in sensu proprio creaturarum est ratione præditarum, angelorum & hominum.

Vers. 24. *Sic loquutus est DOMINUS, redemptor tuus, & qui te ab utero finxit: Ego DOMINUS, faciens omnia, cœlos extendo solus, & mea virtute terram expando.* οὕτω λέγει ΚΥΡΙΟΣ ὁ λυτρούμενός σε, καὶ πλάσσων σε ἐκ κοιλίας. ἐγὼ ΚΥΡΙΟΣ ὁ συντελῶν πάντα, ἐξέτεινα τὸν οὐρανὸν μόνος, καὶ ἐστερέωσα τὴν γῆν. Argumento sunt summi hi, quos sibi jure summo vendicat glorioſissimus DEUS, characteres, quod coli velit à nobis non solùm ut Redemptor ex corruptione spirituali, sed & ut Creator & Conseruator potentissimus & sapientissimus. Ita gloriatur DEUS de suis operibus Jes. XLV. 7. *Ego DOMINUS, & nullus ultra. Formans lucem, & creans tenebras.* 12. *Ego feci terram, & hominem super eam creaui. Ego, manus meæ tetenderunt cœlos, & omni militiæ eorum mandaui.* 18. *Sic dixit DOMINUS, creans cœlos, DEUS ille, qui finxit terram, qui fecit eam, qui & parauit eam. Non creaui eam, ut vasta esset, sed finxi eam, ut inhabitaretur. Ego DOMINUS, & nullus alius. (Hæc dicit DOMINUS, creans cœlos, ipse DEUS formans terram, & faciens eam, ipse plastes ejus: non in vanum creauit eam: ut habitaretur, formauit eam; ego DOMINUS, & non est alius.)*

Jes.

Jes. Cap. XLV. vers. 15.

Omnino tu DEUS es absconditus, DEUS & Saluator Israelis.

Verè tu es DEUS absconditus, DEUS Israel, Saluator.

EST DEUS noster manifestatus ubique, & tamen occultatus; Lux totum illuminans mundum, sed inaccessibilis, quam oculi mentis nostræ ferre nequeunt. Concreatæ sunt omni homini Entis hujus infinitè perfecti ideæ, sed non sunt hæ exemplari suo adæquatæ, eruendæ summo studio ex profundo tenebricosi nostri intellectus puteo. Non ignorabant hanc veritatem Gentiles. *Xenophon* apud *Cyrillum Alexandrinum* aduersus *Julianum*: ὁ γὲν πάντα σείων, καὶ ἀτρεμίζων, ὥσπερ μέγας τις καὶ δυνατὸς, φανερὸς, ὁποῖος δέ τις μορφὴν, ἀφανὴς, ἔτι μὲν παμφαὴς δοκῶν εἶναι ἥλιος, ἐδὲ ἔτος ἔοικεν ὁρᾶν ἑαυτὸν ἐπιτρέπειν, ἀλλ' ἄν τις ἀναιδῶς αὐτὸν θεάσηται, τὴν ὄψιν ἀφαιρεῖται. *Est is, cujus nutu omnia vel mouentur, vel quiescunt, manifestus quidem, utpote magnus & potens; sed forma Soli similis, qui omnibus illucet, sed visum ejus debilitat, qui attentè eum adspexerit, vel oculis immotis.* De DEO similes conceptus fouet *Plato in Cratylo*, nihil nobis constare de illius nominibus, licet certum sit, nomina illi competere. De unitate & simplicitate DEI *Damascius*, Platonicus. τὸ ἓν ὥσπερ ἥλιος πόῤῥωθεν ἀμυδρῶς πως ὁρᾶται, ἐγγὺς δὲ ἀμυδρότερον, ἔπειτα καὶ τῶν ἄλλων ἀφαιρεῖται ἀντίληψιν. *Est unitas Soli similis, quem è longinquo duntaxat adspectare licet. Quò propius ei accesseris, eò redditur obscurior, ut tandem omnes aliæ res reddantur inconspicuæ.* Addit autem, τὸ ἓν τετιμεῖσθω σιγῇ, *silentio colendum est hoc Unicum*, id est, DEUS. DEUS hic proin est מִסְתַּתֵּר, *absconditus*, LXX. ὂν οὐκ εἴδομεν. Lucem fœnerantur fortè hæc inscriptioni illi Athenienſium, τῷ ἀγνώστῳ ΘΕΩ. Act. XVII. 23. quæ integra sic legitur apud *Oecumenium* in *Acta Apostol.*

ΘΕΟΙΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΡΩΠΗΣ,
ΚΑΙ ΛΙΒΥΗΣ
ΘΕΩ ΑΓΝΩΣΤΩ
ΚΑΙ
ΞΕΝΩ.

Jes. Cap. XLV. vers. 18.

Sic dixit DOMINUS, creans cœlos, DEUS ille, qui finxit terram, qui (a) fecit eam, qui & parauit eam. Non creaui eam, ut vasta esset, sed finxi eam, ut inhabitaretur, ego DOMINUS, & nullus (b) alius.

(a) Vel, firmauit eam.
(b) Ebr. & non ultra.

Quia hæc dicit DOMINUS, (creans cœlos, ipse DEUS, formans terram, & faciens eam, ipse plastes ejus: non in vanum creauit eam: ut habitaretur, formauit eam,) ego DOMINUS, & non est alius.

Vid. Jes. Cap. XLIV. vers. 24.

Jes. Cap. XLVII. vers. 13.

— Stent quæso, & seruent te contemplatores cœlorum, stellarum inspectores, (a) quique noua prædicunt, undenam super te hæc veniant.

(a) Vel, ut alii legunt: nuntient, unde hæc noua veniant; alii sic: & qui ex lunationibus aut neomeniis vaticinantur.

— Stent, & saluent te augures cœli, qui contemplabantur sydera, & supputabant menses, ut ex eis annunciarent ventura tibi.

FUit celebratissima illa & superba Babylon ut Monarchiæ Assyriacæ sedes, ita & scientiarum & artium : floruerant hæ ibi ab antiquissimis temporibus ad tempora usque magni Nebucadnezaris, & Prophetæ Danielis, imo ad regimen usque Persarum. *Chaldæi* cluebant viri eruditi & sapientes, & ante Persarum tempora *Magi*, teste *Hieronymo ad Dan.* XI. Daniel ipse fuit *creatus princeps inter duces, & omnes sapientes Babylonis.* Dan. II. 48. *Antistes Magorum, Sophorum, (incantatorum) Chaldæorum, fatidicorum (aruspicum.)* V. 11. Stylo moderno Præsidem dixeris Academiæ Regiæ Scientiarum.

Sed quemadmodum uno eodemque tempore Judæi sacrificia sua offerebant vero DEO in Templo Hierosolymitano, atque incensa idolis in collibus & montibus, ita apud Babylonios floruit simul genuina & spuria Mathesis, Astronomia juxta Astrologiam ; ut hodienum in eodem regno, eadem urbe, Parisiis, Londini, reperias Astronomos omni encomio dignissimos, qui in observatoriis vel suis, vel regiis, maximâ attentione, ingentibus sumptibus impendendis in machinas, considerant atque determinant siderum situm, figuram, magnitudinem, distantiam, & omnia hæc in laudes summi Creatoris : simul & ἀστρομανέας, qui ex situ & motu siderum fata Regum, Regnorum, Rerumpublicarum, bella, pacem, fœdera, quin imò priuati cujusque prosperam atque aduersam fortunam vano ausu prognosticari sibi præsumunt. Apud *Strabonem* L. XVI. legas, habuisse Babylonios Chaldæos observatorium, ad quod Astrologis nullus concessus fuerat aditus: Ἀφώρισο δ' ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ κατοικία τοῖς ἐπιχωρίοις φιλοσόφοις, τοῖς Χαλδαίοις προσαγορευομένοις, οἱ περὶ τὴν Ἀστρονομίαν εἰσὶ τὸ πλέον. προσποιοῦνται δέ τινες καὶ γενεθλιαλογεῖν, ἃς ἀ καταδέχονται οἱ ἕτεροι. *Diodoro* teste L. II. in Metropoli ipsa in Templo Jouis Beli fuere octo turres, una superimposita alteri, quæ inseruiebant Obseruationibus Astronomicis. Extruxerat eas Semiramis, quæ octo seculis florebat ante Bellum Trojanum. Certum autem est, Græcos Astronomiam suam in Babele fuisse edoctos. Horum studiorum gratia Babylonem contenderat Epigenes, qui floruisse dicitur temporibus Alexandri, & ibi offenderat obseruationes laterculis inscriptas annorum 720. *Plin.* L. VII. c. 56. *Epigenes apud Babylonios* DCCXX. *annorum obseruationes syderum coctilibus laterculis inscriptas docet, grauis author imprimis. Qui minimum, Berosus & Critodemus,* CCCCLXXX. *annorum.* Illuc quoque Pythagoras venerat *ad perdiscendos siderum motus, originemque mundi spectandam. Justin.* L. XX. c. 4. Suntque ex eruditis haud pauci, qui ex Turri illa Babelica in Sacris Literis celebrata, Obseruatorium faciunt Astronomicum. Sed non defuere unquam nasuti Astrologi, ex siderum statu & motu futura prædicentes, imò vero ex infausta illa Babylonia matre nata numerosissima soboles, quæ hodienum non Persiam solam, sed totum penè inundat Orientem, honorata non solùm plebi, sed quoque in Aulis Principum maxima pollens authoritate. Sunt hi ipsi, quos nuncupat Propheta noster הַבֹּרֵי שָׁמַיִם, ἀστρολόγοι τὸ ἀφανῆ, *cœlos speculantes,* חֹזֵי בַכּוֹכָבִים, οἱ ὁρῶντες τὰς ἀστέρας, *contemplantes in stellas, stellarum inspectores, qui noua prædicunt, undenam super te hæc veniant,* ἀναγγείλαντες τί μέλλει ἐπὶ σὲ ἔρχεσθαι, & XLVIII. 14. כַּשְׂדִּים, Χαλδαῖοι, *Chaldæi.*

Jes. Cap. XLVIII. vers. 12. 13.

12. Audi me, Jacob, & Israel, vocatus meus, Ego idem ipse, Ego primus, Ego quoque nouissimus.
13. Et manus mea fundauit terram, & dextera mea palmo mensa est cœlos : Ego quum ea vocarem, protinus constiterunt simul.

12. Audi me, Jacob, & Israel, quem ego voco, ego ipse, ego primus, & ego nouissimus.
13. Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea mensa est cœlos : ego vocabo eos, & stabunt simul.

ALtipotens DEUS, æternus æternitatis possessor, quando in Verbo suo reuelato Jacobum suum & Israelem adloquitur ita : *Ego idem ipse, Ego primus, Ego quoque nouissimus,* ἐγώ εἰμι πρῶτος, ἐγώ εἰμι εἰς τὸν αἰῶνα. XLI. 4. *Ego* DOMINUS *primus, & cum nouissimis ego ipse. (Ego* DOMINUS, *primus & nouissimus ego sum.)* XLIII. 10. *Ego sum ille ipse, ante me non est formatus DEUS, neque post me erit.* XLIV. 6. *Ego sum primus, & ego sum nouissimus, & præter (absque) me non est* DEUS : idem illud est, quod Philosophi vocant *Ens à se ipso*, necessariò & per se existens, contradistinctè ad alia entia, aliunde, imo à DEO dependentia, absque cujus nutu & voluntate subsistere nequeunt. Dictitat ratio ipsa, esse hoc Ens æternum, infinitum, unicum, simplicissimum, immutabile, infinitè perfectum, sapientissimum, potentissimum, optimum : cujus virtute omnia alia consistunt, principium

cipium & finem habent, finita quoad vires, composita, mutationibus obnoxia. Quum contra DEUS sit nullibi incluſus, nullibi excluſus, omnia in omnibus, Creator, Conſeruator, Gubernator. Cujus *manus fundauit terram, & dextera palmo menſa eſt cœlos*, ἡ χείρ μου ἐθεμελίωσε τὴν γῆν, καὶ ἡ δεξιά μου ἐστερέωσε τὸν οὐρανὸν. *Quum ea vocaret, protinus conſtiterunt ſimul.* συναχθήσονται πάντες, καὶ ἀκέσονται. En breue promptumque reſponſum ad quæſtionem de origine mundi! *Dixit, & factum eſt.* Noſtrum autem eſt, quoties vel cœlos ſuſpicimus, vel terram aſpicimus cunque, aperire oculos non corporis duntaxat, ſed mentis, neque *obliuiſci* DOMINI, *factoris noſtri, qui cœlos extendit, & terræ fundamenta jecit.* Jeſ. LI. 13.

Jeſ. Cap. XLVIII. verſ. 22.

Et non ſitierunt (quum) per ſolitudines duceret, aquam enim eis de petra promanare fecit, ſcidit petram, ut latices effluerent.

Non ſitierunt in deſerto, cum duceret eos, aquam de petra produxit eis, & ſcidit petram, & fluxerunt aquæ.

Vid. Exod. Cap. XVII.

Jeſ. Cap. L. verſ. 2. 3.

2. — Ecce ſola increpatione mea exſicco pelagus, flumina in deſertum conuerto, ut piſces eorum aut aquæ penuria putreſcant, aut ſiti pereant.

3. Ego triſti caligine cœlos veſtio, & ſacco operio eos.

2. — Ecce in increpatione mea deſertum faciam mare, ponam flumina in ſiccum: computreſcent piſces ſine aqua, & morientur in ſiti.

3. Induam cœlos tenebris, & ſaccum ponam operimentum eorum.

DEpendent omnia in Uniuerſo à DEO in eſſe ſuo, durare, & operari, quidnî ergo ſupremum illud Ens ſibi tribueret ut creationem, ita conſeruationem, mutationesque omnes? ut heic *exſiccationem pelagi, fluminum in deſertum conuerſionem, triſtem cœlorum caliginem*, effectus item, qui redundant in *piſces?* Qui quia viuunt in elemento ſuæ ſtructuræ analogo, dulci, ſalſoue, ut aues in aëre, *aquæ penuria putreſcunt, & ſiti pereunt:* id quod vel exemplo fluminum Ægypti in ſanguinem conuerſorum conſtat, ad quod miraculum alludere videtur Propheta.

Jeſ. Cap. L. verſ. 9.

— Ecce omnes iſti ſicut veſtimentum veteraſcent, tinea corrodet eos.

— Ecce omnes quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos.

Vid. Job. Cap. XIII. verſ. 28.

Jeſ. Cap. LI. verſ. 6.

Attollite oculos veſtros in cœlum, & terram ſubtus inſpicite, quoniam cœli ut fumus (a) corrumpentur, & terra ut veſtis vetuſtate peri-

Leuate in cœlum oculos veſtros, & videte ſub terra deorſum: quia cœli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur,

bit, & qui in ea habitant, ad eundem modum peribunt, salus autem mea in æternum durabit, & justitia mea non concidet.

(a) Nimlachu, ut sal liquefient, ut micæ salis dissipabuntur.

& habitatores ejus sicut hæc interibunt: salus autem mea in sempiternum erit, & justitia mea non deficiet.

ANimus mihi non est, socios licet haberem & Duces *Ambrosium* & *Basilium*, ex hac finalis excidii Prophetia demonstrare contra veteres Aristotelicos, non esse cœlos solidos, crystallinos, densos, sed potius subtilissimos, fluidissimos; id quod hodie ex certissimis indiciis adeò certi scimus ex observationibus, ut non opus habeamus in auxilium vocare Scripturæ hocce testimonium, quod non minus illi Scholasticorum opinioni fauet, quàm nostræ modernorum sententiæ; quandoquidem densissimum quodque corpus in fumum abire potest, *ut fumus corrumpi*. Aquila & Symmachus, μειωθήσεται, ἀλιώσονται, *comminuetur, in salis modum conterentur*. Sed LXX. ὁ οὐρανὸς ὡς καπνὸς ἐστερεώθη, *cœlum ut fumus firmatum est*. Obscuro sensu. Parallelus est nostro locus Jes. XXXIV. 4. *Contabescet omnis exercitus cœlorum, & conuoluentur cœli ut Codex, & omnis exercitus eorum defluet, ut defluunt folia vitis & ficus. (Et tabescet omnis militia cœlorum, & complicabuntur, sicut liber, cœli: & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea & de ficu.)* Digito veluti monstrant hæc aliaue hujus generis loca Veteris Nouique Codicis finalem conflagrationem mundi, si non solaris totius, certè terræ, quæ ex mente plurium modernorum effectui dabitur per Cometam, quo appropinquante ad nos, vel prætereunte, *cœli*, speciatim aërei, *ut fumus corrumpentur, & terra ut vestis vetustate peribit, & qui in ea habitant, ad eundem modum peribunt*, ἡ δὲ γῆ ὡς ἱμάτιον παλαιωθήσεται, οἱ δὲ κατοικοῦντες ὥσπερ ταῦτα ἀποθανοῦνται, præ nimio æstu, quem sufferre nequeunt, præ nimia aëris rarefactione, quæ respirationi haud sufficit. Suffocabitur, quod non comburetur. Singularis emphaseos est vox נִמְלָחוּ *nimlachu*, quod propriè significat, ut Latinæ nostræ Glossa habet, *ut sal liquefient, ut salis micæ dissipabuntur*. Sal nempe in ignem conjectum aut liquefit, aut crepitando dissilit. Sic in finali illa Catastrophe omnia vel liquescent, vel cum crepitu, fremitu, fragore consumentur. Conf. quæ annotauimus ad Ps. CII. 26. 27. 28.

Jes. Cap. LI. vers. 8.

Nam veluti vestimentum, sic eos corrodet tinea, & sicut lanam comedet eos vermiculus.

Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea:

Vid. Job. Cap. XIII. vers. 28.

Jes. Cap. LI. vers. 13.

Obliuiscaris autem DOMINI, factoris tui, qui cœlos extendit, & terræ fundamenta jecit. —

Et oblitus es DOMINI, factoris tui, qui tetendit cœlos, & fundauit terram. —

Vid. Jes. Cap. XLVIII. vers. 12. 13.

Jeſ. Cap. LI. verſ. 20.

Filii tui defatigati jacent in compitis omnium platearum, ſicut ibex (a) reti implexus. —

(a) Alii Oryx legunt, alii Bos ſilueſtris.

Filii tui projecti ſunt, dormierunt in capite omnium viarum, ſicut beſtia illaqueata. —

OStenſum eſt Deut. XIV. 5. תֵּאוֹ, *theo* vel תוֹא *tho*, non tam eſſe *bouem ſylueſtrem*, quàm *Orygem*, *Caprarum* ſylueſtrium vel *Rupicaprarum* genus. Id comprobat ſpeciatim hic locus, in quo כְּתוֹא מִכְמָר *cetho micmar* Aquila reddit, ὡς ὄρυξ ἀμφιβληςρευμένος, Theodotion, ὡς ὄρυξ συνειλημμένος, Symmachus, ὡς ὄρυξ ἐν ἀμφιβλήςρῳ, Vulgata, *ſicut oryx illaqueatus*, Latina noſtra, *ſicut ibex reti implexus*, Vernacula, *wie ein geſeiletes Wildpret*, rectiùs verteres, *wie ein im Netz verſtricktes oder gefangenes Gems*, oder, *wilde Geiß*. De boue autem nullibi legitur, capi laqueis vel retibus, ſed in foſſis, alioue modo.

Jeſ. Cap. LIII. verſ. 6.

Nos omnes tanquam oues errauimus, quisque ſuam viam ſectatus. —

Omnes nos quaſi oues errauimus, unusquisque in viam ſuam declinauit. —

ERrare igitur poſſunt bruta, quarum actiones aliàs regulares magis ſunt actionibus hominum. Errant heic oues, errant homines: ſed illæ alio, quàm hi, ſenſu, imo & eodem. Ouium eſt, manere apud gregem, intra certos limites: ſed errant, & absque ratione ſequuntur in paſcuis odorem herbarum ſibi proficuarum. Eſt hoc errare ouium mere mechanicum, à ratiocinio omni remotum: ſic errat horologium. Sed in philoſophico ſenſu neque ouis errat, neque horologium, reſpondent utriusque motus Legibus Naturæ, etiam tunc, quando errant. Natura ipſa non errat unquam. Alia longè ratio eſt hominis errantis; eſt hoc errare peccaminoſum. Nouit is viam, quam terere debet, præſcriptas ſibi leges; eſt error hic ἀνομία voluntaria, vitioſa deflexio à lege, quæ pœnam meretur. Corpus non peccat, ſed anima illi dominans. Hinc corpus ſi peccet inſciâ vel inuitâ animâ, ex Legibus ciuilibus nullis eſt obnoxium pœnis. Ouis igitur errat erroris commiſſi neſcia, ſed homo ſciens & volens. Nil præjudicat hoc ratiocinium comparationi, quæ elegans eſt, errantem inter ouem & hominem, obuiæ alibi in Sacris. Pſ. CXIX. 176. *Erraui ut ouis, quæ it perditum.* 1. Pet. II. 25. ἦτε ὡς πρόβατα πλανώμενα. Rationem addit Propheta noſter, *nos omnes tanquam oues errauimus, quisque ſuam viam ſectatus*; πάντες ὡς πρόβατα ἐπλανήθημεν, ἄνθρωπος τῇ ὁδῷ αὐτοῦ ἐπλανήθη. Sicuti nempe oues grato plantarum odore allectæ hac illac errantes in auia deflectunt, ſic homines à virtutis via regia deſciſcentes, hic horſum, alius illorſum, quilibet vitia ſua ſequuntur, imo laxatis frenis currunt, quo ducunt cunque vel voluptates, vel deprauati affectus, ambitio, auaritia, odium, ira, inuidia, verbo, *quisque ſuam viam ſectatur*. Ouem errantem Arabes ſuo idiomate vocant *canuph*, & *thſawal* morbum illum vertiginoſum, quo correptæ circum gregem currunt.

TAB. DCXIX.

Jeſ. Cap. LIII. verſ. 7.

Mulctatus eſt & adflictus, nec tamen os ſuum aperuit. Sicut pecus ad mactationem ducetur, & ſicut agnus coram tonſoribus ſuis mutus fit, (ſic) is non aperuit os ſuum.

Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum. Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.

Nil præjudicat prorſus Prot-Euangelio huic, & gratioſiſſimæ Prophetiæ, quâ CHRISTUS comparatur agno, ſi dixerimus, eſſe bruti hujus patientiam ſeu manſuetudinem virtutes merè mechanicas, ratione omni deſtitutas. Singularem ſanè attentionem meretur, quod ſummus θεάνθρωπος comparari ſe potius vult cum corporibus purè materialibus, agno, leone, viti, quàm creaturis ratione præditis, quoniam illorum actiones ſunt regulariſſimæ, ordini à DEO in naturam introducto congruæ, ſed hominum actiones & paſſiones peccaminoſæ, ἄνομοι. Hoc ſenſu effari utique licet, eſſe ouis manſuetudinem, licet machinalem, puriorem & præſtantiorem ipſa Jobi patientiâ. Confertur CHRISTUS oui alibi quoque in ſacris. Joh. I. 29. Ἴδε ὁ ἀμνὸς τῦ ΘΕΟΥ ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τῦ κόσμε. 1. Petr. I. 19. ἐλυτρώθητε — τιμίῳ αἵματι ὡς ἀμνῦ ἀμώμε καὶ ἀσπίλε ΧΡΙΣΤΟΥ. Jer. XI. 19. inquit Propheta, pro ſe, vel in Perſona CHRISTI: *Ego ſicut agnus aſſuefactus, ductus ad lanienam. (Ego quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.)* In Ethica Zoologica, ſi ejus ſyſtema condendum foret, tribuenda veniet oui manſuetudo, celebrata quoque Scriptoribus profanis. *Varro Ruſtic.* L. II. c. 1. *In queis* (animalibus) *primum non ſine cauſa putant oues aſſumptas, & propter placiditatem. Maximè enim hæ naturâ quietæ. Feſtus: Maximam hoſtiam ouilli pecoris appellabant, non ab amplitudine corporis, ſed ab animo placidiore.* Trinepotes illi *Herculis*, *Euryſthenes* & *Procleas*, moniti ab Oraculo, ut ibi contraherent matrimonia, ubi τὸ ἀγελιώτατον ἀπαντήσῃ ζῶον, φέρον τὸ πρόβατον. *Ælian. Hiſt.* L. XII. c. 31. explicarunt hoc conſilium de lupo, quem offenderant in Cleonæorum Regione, ouem ore geſtanti. Notanda in Textu vox רָחֵל *rachel*, quæ pro oue etiam ſumitur. Gen. XXXI. 38. XXXII. 14. Cant. VI. 6.

Jeſ. Cap. LIV. verſ. 9.

Nam iſtud erit mihi ſicut aquæ Noæ. Ut enim juraueram, ne porrò aquæ Noæ pertranſirent terram, ſic juraui, ne iraſcar tibi, aut te objurgem.

Sicut in diebus Noë iſtud mihi eſt, cui juraui, ne inducerem aquas Noë ultra ſupra terram: ſic juraui, ut non iraſcar tibi, & non increpem te.

Vid. Gen. Cap. VIII. verſ. 21.

Jeſ. Cap. LIV. verſ. 11. 12.

11. En, o paupercula tempeſtatibus acta, & conſolatione deſtituta! ego ſternam ordine lapides tuos in (a) fuco, & fundabo te ſapphiris.

(a) Fucus apud Plinium ſanies purpuræ vel purpuriſſa, ceruſſa vel gemma aliqua.

11. Paupercula tempeſtate conuulſa, absque ulla conſolatione: ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris.

12. Fe-

IES. Cap. LIII. v. 7.
Agnus coram tonsore mutus.

Jes. Cap. LIII. v. 7.
Das vor seinem Scheerer erstummende Lamm.

G. D. Heümann sculps.

12. Fenestras tuas è Crystallo faciam, & portas tuas ex lapide Carbunculo, & omnes fines tuos lapidibus expetibilibus.

12. Et ponam jaspidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.

EXtra dubium vertitur, non intelligendum heic esse materiale ædificium, cujus fundamentum sit sapphirinum, muri ex gemmis pretiosis, sed sanguinem & infiniti pretii meritum CHRISTI, qui θεμέλιος est & fundamen *pauperculæ tempestatibus actæ*, & *consolatione destitutæ*, ταπεινὴ καὶ ἀκατασάτε, cui solatio est unico CHRISTUS, verus *angularis lapis*. Huc tendunt quoque οἱ θεμέλιοι τὰ τείχες τὴς πόλεως παντὶ λίθῳ τιμίῳ κεκοσμημένοι, nouæ nempe Hierosolymæ. Apoc. XXI. 19.

פוך *Puch, Phuch*, reddit Latina nostra *Fucum*, Vernacula *Edle Gesteine*, diuersò planè significatu. Sumit Jarchi hoc פוך pro נופך *nophech*, quarto Pectoralis Aharonici lapide. LXX. habent ἄνθρακα, *Carbunculum*, quos sequitur *Arias*. Sed ex 2. Reg. IX. 30. constat, esse *Phuch*, *fucum*, atri coloris ex stibio siue antimonio paratum, quo adhuc Turcæ utuntur ad denigrandum cilia & supercilia. Habent & in nostro Textu Symmachus, Theodotion, Græci omnes, præter LXX. σίμμι. Suffragatur *Ludolfus Comm. Hist. Æthiop.* p. 108. ubi verba Textus הִנֵּה אָנֹכִי מַרְבִּיץ בַּפּוּךְ אֲבָנָיִךְ ita reddit: *Ecce, ego consternens (consternam tanquam lapide) fuc pauimentum tuum.* Eleganti sanè specie sese commendat stibium puluerisatum pauimentis superstratum. Sed plerique Lexicographi פוך nomine intellexere *Alabastrum* siue *Marmor* coloris atri, antimonii instar splendens. Quæ interpretatio sua specie haud careret, si certi essemus, intelligi Marmor. Suffragia dant alii gemmis, sed hi illis, alii aliis, Syrus *Beryllo*, Arabs *Hyacintho*. Antimonio quidem etiam fauet Cl. *Conr. Mel* in *Bibl. Brem.* Cl. VIII. p. 791. Sed tamen פוך non pro fossili seu lapide ipso sumit, verùm pro ornamento lapidum pretiosorum, tanto nitore applicatorum in fundulis suis, ac si gemmæ diadematis pretiosi essent, firmatæ, ut non moueantur, depuratæ, ut niteant, sicut oculi stibio purgati ac colorati, ut splendeant sicut Sol aurora cinctus, dum oritur. Et hunc sensum egregiè ad statum Ecclesiæ Noui Testamenti applicat.

De סַפִּיר egimus in Historia Pectoralis. כַּרְכֹּד reddunt LXX. ἴασπιν, nos Tigurini *Crystallum*, *Crystall*. אִקְדָּח LXX. κύσαλλος, nobis *Carbunculus*, *durchsichtige Steine*. In Sacris nihil fere est obscurius lapidibus pretiosis fulgentibus.

Jes. Cap. LV. vers. 10.

Et perinde atque imber aut nix de cœlo descendit, & illò non redit, sed irrigat terram, & parere atque germinare eam facit, ut det serenti semen, & panem ad edendum.

Et quomodo descendit imber & nix de cœlo, & illuc ultra non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti.

PRæstantissima haud semel prædicauimus bona, pluuiam atque niuem, terram fœcundam, parentem, germinantem, satorem, semen, panem ad edendum, omnia terricolis summè necessaria, à DEI bonitate & potentia pendentia. Ipse sanè est, qui *imbrem aut niuem de cœlo descendere* facit, suo tempore, certâ mensurâ, ad certum finem, ut terra fructus *pariat atque germinet*; qui *dat serenti semen*, & *panem ad edendum*, ad humani generis conseruationem. Id autem singulare, quod Propheta dicit, *non redire* pluuiam aut *niuem illò*, unde venerat; quum tamen constet, easdem aquas, quæ ex aëre sunt deciduæ, iterum formâ bullularum tenuissimarum eleuari, eòque, unde venerant, redire. Sensus proin verborum Textus hic est, pluuiam & niuem non creata esse propter cœlum aëreum, sed propter terram. Eleuantur vapores, non ut hæreant in alto, sed recidant. *Ita erit verbum meum, quod exit de ore meo; non redibit ad me vacuum, sed faciet quæcunque volo, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.* v. 11.

TAB. DCXX.

Jeſ. Cap. LV. verſ. 13.

Pro rubo ſpinoſo aſcendet abies, & pro urtica myrtus, & erit DOMINO in nomen, in ſignum perpetuum, & quod nunquam excindetur.

Pro ſaliunca aſcendet abies, & pro vertice creſcet myrtus, & erit DOMINUS nominatus in ſignum æternum, quod non auferetur.

Naatſuts נַעֲצוּץ vertunt LXX. per ϛοιβὴν, *Stoebam*, id eſt, Hieronymo interprete, *viliſſimum ſtipitem*, Aquila & Theodotion per κόνυζαν, *Conyzam*, Arias per *albam ſpinam*, nos *rubum ſpinoſum*, in Vernacula *Dörne*. Placet *Hillero Hieroph.* P. I. p. 76. ex fruticum ſpinoſorum genere *rhamnus*, anſam dat Chaldæa radix נָעַץ *neats*, *infigere*, *fruticat quippe in ſepibus, ramos ferens rectos*, & *aculeos in acutæ ſpinæ modum*. Alludit quodammodo Arabica vox *chæziz*, *quæ rhamnum aridum ſignificat*, *quo muniri ſolent muri*. *Meninzk. Lex.* 1894. Quicquid horum omnium ſit, intelligi debet vel *vepretum*, *virgultum* in genere, quod Lexicographi habent, vel frutex nullius vel pauci uſus, imo noxii, ſpinoſus; vel herba quædam vilis aridis locis ſponte naſcens; cujus loco aſſurgere debet *Abies*, vel *Cupreſſus*, κυπάρισσος, LXX.

Non minus ambigua eſt vox סִרְפָּד *Sirpad*, utpote quæ à variis variè vertitur. LXX. habent κόνυζαν, *Conyzam*, Latina noſtra *urticam*, ſecuta Symmachum, qui ἀκαλήφην habet, *Aria* conſentiente. Affinis quodammodo Turcarum *ſſurghan* in *Meninzk. Lex.* 254. pro *urtica*, quæ eadem abjecta & viliſſima planta Perſis vocatur *kezene*, *gezene*, Turcis *kikiz*, *kikin*, vocibus Conyzæ affinibus. Id. 3944. 4120. ut hæc ipſa Conyzæ vox ex Oriente nata videatur. *Junio* & *Tremellio* placet *Paliurus*, qui Japonibus *Naatsme*, voce ſupra excuſſæ *naatſuts* affini vocatur. Vid. *Kæmpfer. Japon.* p. 117. Arabs ſeligit *Ebulum*, Syrus *Hyſſopum*. *Hiller. Hieroph.* P. I. p. 486. *Ruſcum*, qui florem & fructum in medio folio producit, cætera *Myrto*, cui opponitur in Textu, ſimillimus. Habet hæc interpretatio magnam veri ſpeciem. Dicitur quippe *Ruſcus Dioſcoridi* L. IV. c. 146. μυρσίνη ἀγρία, *Myrtus ſilueſtris*, aliis ὀξυμυρσίνη, *acuta Myrtus*, *Myrtacantha*, *murina ſpina*. *Lobel. Icon.* κεντρομυρσίνη, *Theophr.* III. Hiſt. 17.

A. Conyza major vulgaris C. B.
B. Ruſcus.

Jeſ. Cap. LVI. verſ. 10. 11.

10. (a) Speculatores ejus omnes cœci ſunt, omnes ſunt ignaui, canes muti, latrare non poſſunt, torpent, (b) jacent, ſomno indulgent.
(a) Vel, Epiſcopi, Præſides.
(b) Vel, dormituriunt.

11. Et canes illi vehementer auidi (c) ſatiari non poſſunt. Et paſtores ipſi nihil norunt intelligere, quisque viam ſuam ſpectat, quisque à termino ſuo ad emolumentum ſuum (propenſus eſt.)
(c) Fortes anima. Ebr.

10. Speculatores ejus cœci omnes, neſcierunt uniuerſi: canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia.

11. Et canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem: ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam ſuam declinauerunt, unusquisque ad auaritiam ſuam, à ſummo usque ad nouiſſimum.

Ies. Cap. LV. v. 13.
Abies pro Rubo, Myrtus pro Urtica.

Jes. Cap. LV. v. 13.
Tannen vor Dornen, Myrten vor Hecken.

G. D. Heumañ sculps.

Viuis depingit coloribus Propheta Sacerdotes sui temporis ignauos, auaros, voluptuosos, ebriosos, & corruptum ministerium *canibus* comparat, nauci æstimans odium, quod in se traxerat, Theologicum. Meum non est, characteres citatos omnes explicare, vel & ad Seculi nostri mores applicare. Aliis, & piis quidem vigilantibusque Verbi Diuini præconibus hanc Spartam linquo, inhærens solis canis vitiis.

Omnes, inquit Propheta, *sunt ignaui*, *canes muti*, *latrare non possunt*, κύνες ἐνεοὶ ἐ δυνήσονται ὑλακτεῖν. Homini proprium est loqui, ridere, leoni rugire, boui mugire, sic *cani latrare*. Ad hunc finem largitus est Creator optimus singulis animantibus adæquatam totidem linguis structuram, capitis & linguæ cumprimis, ac faucium. *Latrare* heic exprimitur per נָבַח *nabhach*, vocem ἅπαξ in Sacro Codice λεγομένην, sed passim apud Judæos Scriptores obuiam. Deriuant hinc eruditi Ægyptiorum latrantem Deum *Anubin*, quasi foret הַנּוֹבֵחַ *hannobheach*; & forsan huc pertinet Auæorum illud Idolum נִבְחַז *nibhchaz*. 2. Reg. XVII. 31. siquidem id, si Talmudistis fides, caninæ fuerit formæ.

Torpent omnes, *jacent*, *somno indulgent*, ἐνυπνιαζόμενοι κοίτην, φιλοῦντες νυςάξαι. Inferunt inde Doctores Judæi, esse canem naturâ somniculosum, utpote quocum conferantur pastores ignaui. Contrarium nemo non nouit, esse canem animal ex vigilantissimis, propterea quoque custodiis adhibitum. *Lucret.* L. V. v. 862.

Et leui somno canum fido sub pectore corda.

Ouid. L. IV. v. 488.

— jam vigiles conticuere canes.

Fastor. L. V. v. 142.

Peruigilantque lares, peruigilantque canes.

Columella de Canib. L. VIII. c. 12. *Quis fidelior comes? Quis custos incorruptior? Quis inueniri potest vigilantior?* Miraculum cluet apud *Liuium* L. V. quod Gallorum canes in expugnatione Capitolii obmutuerint. *Tanto silentio in summum euasere, ut non custodes solùm fallerent, sed ne canes quidem, sollicitum animal ad nocturnos strepitus, excitarent.* Lege & *Plutarchum de Fortit. Romanor.* Clarum hinc, somnolentiam canibus haud tribui ut proprietatem iis naturalem, sed tanquam vitium. Qui naturâ vigilare deberent & latrare, dormiunt. Sed latiorem habet Hebræa vox הוֹזִים *hozim* quàm *somni* significatum. In *Kimchii Lex.* hi quoque sunt *hozim*, qui in somno loquuntur, aut latrant, vel in morbis delira proferunt. Id vult Arabum *hadsa*, Hebræorum הָזָה *hazah*. Hoc sensu *hozim* dixeris illos canes, qui dormientes latrant, vel venatici illi, qui latratum edunt, etiam ubi non adsunt ferarum vestigia: Mystico sensu, qui altum clamant iis temporum circumstantiis, quibus silendum foret, vel, quibus loquendum, sunt muti. Confer ideam, quæ dormienti somniantiue obuenit vel homini, vel cani, cum zelo prædicatoris indiscreto, præcipiti, inordinato cuiuis affectui, peccaminosæ indulgentiæ. Hinc LXX. viris sunt הוֹזִים ἐνυπνιαζόμενοι, *somniantes*, Aquilæ φανταζόμενοι, *phantasiis & variis imaginationibus acti*, Symmacho ὁραματισταὶ, Hieronymo *videntes vana*. Quadrant omnia hæc canibus, si non latrantibus, murmurantibus saltem, quod Græci dixerunt σκύζειν, σκυζᾶν, apud *Hesychium* & *Pollucem*. *Lucret.* L. IV. v. 988.

Venantumque canes in molli sæpe quiete
Jactant crura tamen subitò, vocesque repente
Mittunt, & crebras reducunt naribus auras,
Ut vestigia si teneant inuenta ferarum.

Æschylus in Diris ad venatorem in somno venantem:

Ὅναρ διώκεις θῆρα, κλαγγάνεις δ' ἅπερ
Κύων, μέριμναν οὔποτ' ἐκλιπὼν πόνου.

Feram per somnium persequeris, & latras ut
Canis, laboris sollicitudinem nunquam deponens.

Canum, Molossorum, ouium inprimis tutelæ destinatorum, est gregem custodire, & luporum aduentum latratu prodere. Est hæc canum custodia antiquissima. Meminit Jobus XXX. 1. *canum gregis sui*. *Homerus Iliad.* κ'. v. 183.

Ὡς δὲ κύνες περὶ μῆλα δυσωρήσονται ἐν αὐλῇ,
Θηρὸς ἀκούσαντες κρατερόφρονος —

Ut autem canes circum oues molestam custodiam agunt in caula,
Auditâ feroce ferâ —

Iliad. μ'. v. 302.

- - - - βώτορας ἄνδρας,
Σὺν κυσὶ καὶ δούρεσσι φυλάσσοντας περὶ μῆλα.

- - - - *Pastores viros,*
Cum canibus & hastis custodiam agentes circa oues.

R. *Elieseri* si fides cap. 21. custodiit Molossus Abelis interfecti cadauer, ne fortè deuoraretur à feris, aut auibus rapacibus in prædam cederet. Ægyptii, ut omnia hieroglyphicis expresserant figuris, canis symbolo pinxere ἱερογραμματέα, *sacrum scribam*, siue sacri cœtus Protocolli-

tocolliſtam. Vide *Horum Apoll.* L. I. *Hieroglyph.* c. 37. Conſtat ex hactenus dictis, mutos canes apud Prophetam eſſe illos ex Sacerdotibus, quibus gregis cuſtodia non eſt curæ, qui officio ſuo haud defunguntur, ſocordes, ventrem potius ſuum, quàm gregem, curant, graphicè depicti in monito illo Apoſtoli. Phil. III. 2. βλέπετε τὲς κύνας, βλέπετε τὲς κακὲς ἐργάτας.

Memorat porrò Propheta *canes vehementer auidos, qui ſatiari non poſſunt*, κύνες ἀναιδεῖς τῇ ψυχῇ, ἐκ εἰδότες πλησμονήν. Eſt adeò nota canum impudentia, ut abierit in prouerbium. כְּלָבִים עַזֵּי נָפֶשׁ ſunt propriè *canes fortes, firmi animâ*, Hieronymo, *canes impudentiſſimi*, aliis, *canes auidi animâ*. Conſentiunt hæc omnia. Qui vorax, eſt quoque impudens. Hinc & apud Græcos & Romanos impudentes cluent canes. *Heſychius:* Κύναιδος, λίαν ἀναιδὴς, item, Κυναῖος, ἀναιδὴς. Κυνεῖς, ἀναιδεῖς. Κυνώη, ἀναιδεςάτη. Κύντερον, ἀναιδέςερον, ἀναιδέςατον, id eſt, κυνότερον, κυνότατον, *caninior, caniniſſimus.*

TAB. DCXXI.

Jes. Cap. LIX. vers. 5. 6.

5. Oua Reguli excludunt, & Araneæ telas texunt: Qui de ouis eorum ederit, morietur: ſi verò quis conculcauerit, (a) excludetur vipera.

(a) Al. legunt, haſure, ventilatum.

6. E telis eorum non conſit veſtis, ut operibus ſuis ſeſe tegant: opera enim eorum opera ſunt vana, & opus violentiæ in manibus eorum.

5. Oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt: qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod confotum eſt, erumpet in regulum.

6. Telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis: opera eorum inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.

HAbent heic, quo ſeſe intueantur veluti in ſpeculo, quorum *manus pollutæ ſunt ſanguine, & digiti iniquitate:* quorum *labia loquuntur mendacium, & lingua peruerſitatem concinnat, (fatur,)* v. 3. qui *concipiunt laborem, & parturiunt vanitatem*, (iniquitatem,) v. 4. quorum *opera ſunt vana, & opus violentiæ in manibus eorum*, v. 6. quorum *pedes ad malum currunt, & properant ad effundendum ſanguinem innocentum, cogitationes ſunt vanæ, vaſtitas & contritio in viis eorum. (Pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant, ut effundant ſanguinem innocentem: cogitationes eorum cogitationes inutiles: vaſtitas & contritio in viis eorum.)* v. 7. *Reguli* ſunt & *viperæ* hi omnes, & ejusmodi commatis homines.

De *regulo*, צֶפַע, צִפְעוֹנִי, egimus ad Prov. XXIII. 32. Jeſ. XI. 8. XIV. 29. Nunc Propheta de impiis, injuſtis: *Oua reguli excludunt*; LXX. ὠὰ ἀσπίδων ἔῤῥηξαν, *oua aſpidum fregerunt.* Sunt nempe *reguli oua* heic omnis generis ſcelera, quæ concipit in mente ſua impius, & concepta dat effectui. Frangitur ouum, & ex fracto prodit ſerpens. *Qui de ouis eorum ederit, morietur: ſi verò quis conculcauerit, excludetur vipera;* LXX. ὁ μέλλων τῶν ὠῶν αὐτῶν φαγεῖν, συντρίψας ἄριον, ἔυρε καὶ ἐν αὐτῷ βασιλίσκον, *qui de ouis eorum comedere voluerit, frangens putridum, reperiit etiam in eo regulum*, אֶפְעֶה. Depinguntur deteſtabilia crimina, turpe nefas, venenatorum duorum ſerpentum, צִפְעוֹנִי & אֶפְעֶה, *reguli & viperæ*, ſymbolo. Parallela ſunt Loca Deut. XXXII. 33. *Virus Draconum vinum eorum, & fel Aſpidum ſæuum. (Fel Draconum, vinum eorum: & venenum aſpidum inſanabile.)* Job. XX. 16. *Venenum (caput) aſpidum fugebit, eumque occidet lingua viperæ.* Alia prætereo. Notandum heic venit παρόιμια *Gregorii Nazianzeni*, qui in *Irenico ſecundo* verba Textus intelligit ita, quod ex viperæ ouo naſcatur Baſiliſcus, ut fabulæ adhuc de Galli ouo ferunt. Fabulæ, dico, quoduis enim animal ſui ſimile progenerat. Jeſaiæ contraire videtur experientia, & unanime Zoologorum teſtimonium, qui viperas non ὠοτόκοις, ſed ζωοτόκοις accenſent; ſed in ventre gerunt hæ oua 20. 25. veluti in corolla diſpoſita, è quibus ante prodeunt viperulæ, quàm in dias prodeunt luminis auras. *Charas Anat. Viper.* p. 150. Notandum porrò, ut prorſus tollatur ἐναντιοφάνεια Scripturæ cum natura, ſignificare quidem אֶפְעֶה ſtricto ſenſu *viperam*, ſed latiori quoque alios *ſerpentes*, quorum morſus curari poſſunt emeticis, & cibis ſalſis,



IES. Cap. LIX. v. 5. 6.
Araneæ telas texunt impii.

Jes. Cap. LIX. v. 5. 6.
Gottlose machen Spinneweben.

I. A. Fridrich sculps.

ſalſis, & demum tertio die interficiunt, quod de *Ephe* Arabum ex *Auicenna* docet *Bochartus*. Eſt proin *Ephe* genericum nomen, ut ſerpentis, imo & viperæ. Sanè apud Græcos Scriptores *Dipſas vipera* cluet. *Nazianz. Jamb.* 22.

Διψάς τις ἐϛὶ τῶν ἐχιδνάων γενῶν.

Dipſas quædam eſt ex viperarum genere.

Sic & ſerpentes alii, iique ὠοτόκοι, quales intellexerat forſan Propheta.

De iisdem impiis Propheta porrò, *texere araneæ telas*, — *è telis* autem *eorum non confici veſtes*, ἰϛὸν ἀράχνης ὑφαίνεσιν — ὁ ἰϛὸς ἐκ ἔϛαι εἰς ἱμάτιον: Id eſt, illorum labores eſſe vanos, irritos, nullius pretii. Sunt ex Eccleſiæ Patribus, qui hæc intelligunt de hæreticorum ſophiſmatibus, artificioſis quidem, ſed telæ ad inſtar aranearum tenuibus, diſſolubilibus facile. Vocat ea *Gregor. Nazianz. Orat.* 23. μικρόλογον σοφίαν. *Gregor. Nyſſen. contr. Eunomium Orat.* 1. τῶν ματαίων λέξεων ἀνυπόϛατον ἰϛεργίαν. Hinc eſt, quod Byzantii in Concilio uniuerſali VI. A. 681. lapſam eadem, quâ Monothelitarum hæreſis fuit damnata, horâ telæ nigræ aranearum pluuiam pro prodigio adſpexerint Orthodoxi. Et quid, quæſo, ſentiremus hodie, ſi tali occaſione caderet pluuia adeò rara & mirâ? Alii ex Patribus Textum noſtrum applicarunt Aſtrologis, uti *Baſilius Homil.* VI. *in Hexaem. Ambroſ.* L. IV. *in Hexaem.* c. 4. quod reuerà ſint illorum prognoſtica aranearum telis ſimilia. Sed ex antecedentibus pariter ac conſequentibus clarum fit, loqui Prophetam in genere de hominibus impiis, qui magnis laboribus pauca proficiunt, & ex tela, quam dolo & multis machinationibus pertextam prope putant, disrupta fortè nullas *conficere* poſſunt *veſtes*. Animaduertendum autem probè, non comparari impios ipſos araneis, utpote hoc paralleliſmo indignos prorſus. Uſum & fructum capiunt laborioſiſſima hæc animalcula ex ſuis telis, captantes veluti reti muſcas, & inſecta alia, quibus viuunt: Sed opera impiorum conferuntur telis araneæ. Pulchrè *Origenes Hom.* 2. *in Pſal.* 38. 98. *Quomodo araneæ, quæ mittit fila, & huc illucque diſcurrit, & texit tota die, labor quidem grandis eſt, ſed effectus nullus eſt. Sic & vita hominum huc illucque diſcurrit. Poſſeſſiones quærimus, diuitias apparamus, procreamus filios, laboramus, in regna ſuſtollimur, & omnia facimus, & non intelligimus, quia araneæ telas teximus.* Teſtem habemus quotidianam experientiam, quàm corruant facilè & ſubitò ſæpe machinationes magno labore & longo annorum decurſu elaboratæ. Exceptionem tamen patitur Prophetæ effatum, quo *è telis non confieri veſtes* aſſerit. Contrarium probat nobiliſſimum pariter ac rariſſimum *ſerici aranearum* inuentum, quod Orbis Literatus acceptum refert Illuſtri *Franciſco Xaverio Bon*, Regis Chriſtianiſſimi Conſiliario, & Senatus Monſpelienſis Principi.

In gratiam textrinæ araneorum adſint

Fig. A. Araneus cancriformis major, reticulum ſpirale texens, è flauo & nigro varius, abdomine ſpinulis obſito. *Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica Vol.* II. p. 196.

B. Tarantula Luzonenſis innocuus (araneus) araneus longipes ſeu Trojanus. *Bagna* aliis, *Gamba Gamba* Indis. *Petiv. Gaz. Tab.* L. n. 2.

C. Araneus Luzonenſis longipes, domeſticus. *Petiv. Gaz. Tab.* L. n. 1.

D. Araneus Luzonenſis telarius, argenteo, flauo & nigro transuerſim ſtriatus. Id. Tab. cit. n. 3.

E. Araneus Luzonenſis teſtaceus trilunatus, ex flauo & nigro varius. Id. Tab. XXVI. n. 6.

Jeſ. Cap. LIX. verſ. II.

Fremebamus omnes ut urſi, & ſicut columbæ inceſſanter gemebamus —

Rugiemus, quaſi urſi, omnes, & quaſi columbæ meditantes gememus —

EST cuiuis animali ſua certa vox, quæ tamen non in omnibus linguis exprimi poteſt. Τὸ *fremere urſorum* Græci vocant βρυχᾶσθαι, quam vocem *Pollux* rugitui Leonis, Pardi & Pantheræ tribuit; *Oppianus* Urſo σμερδαλέην βρυχὴν. Latini ex penuria vocum dicunt *fremere, clamare, vociferari*, cumprimis *ſæuire*. *Virg. Æn.* L. VII.

- - - - *atque in præſepibus Urſi*
Sæuire, & forma magnorum ululare luporum.

Spartianus in Antonino Geta. Agni balant, Porcelli grunniunt, palumbes minuriunt, Urſi ſæuiunt. Adhibent alii vocem *uncare*, ὀγκᾶσθαι, quod aliàs aſini voci proprium. *Auctor Poëmatii de Philomela:*

— *Quiritat verres, tardus rudit, uncat aſellus.*

Hebræum הָמָה *hamah* apud Prophetam alibi quoque exprimit latratum canis, nempe Pſal.

LIX. 7. 15. columbæ gemitum Ezech. VII. 16. σπλαγχνισμὸν Jer. XXXI. 20. maris sæuientis fremitus passim. LXX. in Textu utuntur voce ϛενάζω, ϛενάζϛσιν ὡς ἄρκτος. Hæc propriè notat gemitum. Ursus dum fremit, gemere videtur. *Horat.*

Nec vespertinus circum gemit ursus ouile.

Ouidius de Callisto mutata in Ursam.

Assiduoque suos gemitu testata dolores.

Fastor. L. II.

Et gemuit, gemitus verba parentis erant.

Est & hic sensus Prophetæ, nam fremitum Ursi sequitur columbarum gemitus.

Ita ille, *sicut columbæ incessanter gemebamus*, originalis Textus emphaticè, הָגֹה נֶהְגֶּה, *gemendo gememus*, qua phrasi eleganter exprimitur miserrimus Judæorum status. Sic *gemebat* Ezechia decumbens in lecto *sicut columba*. Jes. XXXVIII. 14. ubi de gemitu columbarum plura.

TAB. DCXXII.

Jes. Cap. LX. vers. 6. 7. 8.

6. Abundantia Camelorum obruet te, & Dromedarii Madian & Epha. Omnes de Saba venient, aurum & thus ferentes, & laudes DOMINO annuntiantes.

7. Omnes oues Cedar congregabuntur tibi, arietes Nebajoth ministrabunt tibi, & sacrificabunt super ara, quæ mihi placet, & domum magnificentiæ meæ decorabo.

8. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & tanquam columbæ ad fenestras suas?

6. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem DOMINO annunciantes.

7. Omne pecus Cædar congregabitur tibi, arietes Nabajoth ministrabunt tibi: offerentur super placabili altari meo, & domum majestatis meæ glorificabo.

8. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?

PRopheta dum v. 6. infit, *abundantia Camelorum obruet te, & Dromedarii Madian & Epha, omnes de Saba venient,* ἥξουσί σοι ἀγέλαι καμήλων, καὶ καλυψουσί σε, κάμηλοι Μαδιὰμ καὶ γαιφά. Πάντες ἐκ Σαβὰ ἥξουσι, elegantissimis metaphoris exprimit collectionem Ecclesiæ Noui Testamenti ex Gentibus. Initiationem huic Prophetiæ dabant Magi illi, qui nato CHRISTO attulerant *aurum & thus.* Ubi ὡς ἐν παιδίῳ ad Judæorum conuictionem notandum, etiam R. *Kimchium* verba hæc Jesaiæ intellexisse de mercatoribus camelis insidentibus, & Regi Messiæ aurum atque thus allaturis.

Quod *Carauanam* hodie nuncupamus, id in Textu est שִׁפְעַת גְּמַלִּים, ἀγέλαι καμήλων, *abundantia camelorum.*

Madian celebris fuit urbs ad Rubri Maris littus, & עֵיפָה *Epha*, in Prouincia Midianitica, fundata ab *Epha*, primogenito Madianis. Gen. XXV. 4. 1. Paral. I. 33. *Epha, Hipha,* Ἵππος, Ptolemæo mons est & pagus ad Mare Rubrum, haud procul infra Madian.

בִּכְרֵי, *bichre*, sunt juniores cameli, nos reddimus *Dromedarios*, *Dromedarien.* Affinia supersunt in Oriente nomina, *Bæ-yr*, *eb-yre*, *eba-yr*, Arabibus Camelus dicitur, cui prominent dentes, id, quod ab anno quinto fit, *Meninzk. Lex.* 849. *Aekeret*, Plur. *uker*, iisdem est agmen majus à 50. ad 100. Id. 3304. *Kær-a*, *Kæry* Cameli pullus, specialiter pustulis, *Kæra* dictis, laborans, item electus, delectus, & admissarius Camelus; Id. 3685. *Baik*, *bewaijk* Camela juuenca egregio corporis habitu, & pinguis; Id. 5912. Occurrit & vox בִּכְרָה *bichrah*, Jer. II. 23. *Similis es Camelopardali veloci, quæ circumcursitat vias suas;* ubi iterum Vernacula nostra: *Du bist einem ringfertigen Dromedari gleich worden, welches sich auf seinen Wegen verwickelt.* Nituntur Versiones nostræ Paraphrasi Chaldaica, quæ habet הוֹגְנֵי *hogene*, cui affine est Arabum *hewgia*, fœmininum τε *ehweg*, Plur.

Ies. cap. lx. v. 6.
Abundantia Camelorum obruens.

Jes. Cap. lx. v. 6.
Die bedeckende Menge der Cameelen.

I. A. Fridrich sculps.

Plur. *Hug*, pro Camela veluti stolida ex præcipiti celeritate. *Men. Lex.* 5512. Sed בכרה notat propriè ætatem juniorem, quod ex Arabibus Scriptoribus abundè probat *Bochartus*. *Dromedarios*, δρομάδες, q. d. *cursores* vocamus macilentæ formæ illos Camelos, qui adeò veloci cursu aliis præstant, ut uno die 100000. passus conficiant, cæterùm sitis famisque patientes.

Omnes Cameli, inquit Propheta, *de Saba venient, aurum & thus ferentes*, πάντες ἐκ Σαβὰ ἥξουσι φέροντες χρυσίον, καὶ λίβανον οἴσουσι. Sic *veniebat Regina Saba Hierosolymam cum exercitu maximo, cum Camelis portantibus odores & magnam vim auri, lapides quoque pretiosos. (Ingressa Regina Saba Jerusalem multo cum comitatu, & diuitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas preciosas.)* 1. Reg. X. 2. ubi plura de Arabiæ Felicis pretiosis productis.

Omnes oues Cedar congregabuntur tibi, arietes Nebajoth ministrabunt tibi, πάντα τὰ πρόβατα Κηδὰρ συναχθήσονται, καὶ κριοὶ ναβαιὼθ ἥξουσι. Ita Ezech. XXVII. 21. *Arabs & cuncti principes Kedar, ipsi negotiatores manus tuæ, agnis, arietibus & hircis.* Nacti sunt *Nabajoth*, *Nabatæi*, nomen suum à Nabajoth, Ismaelis primogenito, & *Kedareni*, *Cedrei*, *Cedranitæ*, à *Kedar* postgenito. Gen. XXV. 13. 1. Par. I. 29. Laudantur passim hæ Nationes pecorosæ in Sacris, & meminit *Diodorus* L. XIX. sanctæ Legis, quâ Nabatæis sub mortis pœna interdictum, seminare agros, colere vites, plantare arbores, extruere ædes, ne forte vicinos potentes caperet lubido illos subjugandi, possessiones omnes esse camelos & oues. De his binis Nationibus *Plinius* L. V. c. 11. *His Arabes junguntur ab Oriente Chanclei* (leg. Chauilei) *à Meridie Cedrei, qui deinde ambo Nabatæis.*

Vers. 8. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & tanquam columbæ ad fenestras suas?* τίνες οἵδε ὡς νεφέλαι πέτανται, καὶ ὡσεὶ περιστεραὶ σὺν νοσσοῖς ἐπ' ἐμέ; *Quinam isti ut nubes volant, & sicut columbæ cum pullis ad me?* Explicant hunc locum Interpretes antiquissimi de reducibus ex Captiuitate Babylonica, qui tanta velocitate iter suum prosecuturi sint, quâ columbæ reuolant ad nidos suos & pullos. Hos. XI. 11. *Terrebuntur (auolabunt) sicut auicula ex Ægypto, & quasi columba de terra Assur.* Quadrat huc votum Dauidis Ps. LV. 7. *Utinam essent mihi alæ ut columbæ, auolarem enim & quiescerem; en! longè profugerem, commorarer in deserto. Properarem, ut à vento turbinoso & tempestate euaderem. (Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam: Ecce, elongaui fugiens: & mansi in solitudine. Expectabam eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.)* Ubi de volatu columbarum plura. אֲרֻבּוֹת reddimus *fenestras*, sunt autem nidi, vel foramina, ubi nidificant.

Jes. Cap. LX. vers. 19. 20.

19. Sol non erit tibi ultra in lucem diurnam, & splendor Lunæ non lucebit tibi, sed DOMINUS erit tibi lux perpetua, & DEUS tuus claritas tua.

20. Non occidet ultra Sol tuus, nec abscondetur Luna tua, quoniam DOMINUS erit sempiterna lux tua, & dies luctus tui compensabuntur.

19. Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi DOMINUS in lucem sempiternam, & DEUS tuus in gloriam tuam.

20. Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur: quia erit tibi DOMINUS in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui.

ADeò occupata est Philosophia Naturalis moderna circa præsentis mundi statum & phænomena in eo occurrentia, ut de futuri mundi glorioſissima constitutione determinare quidpiam haud præsumat, fidei potius quàm scientiæ oculis & telescopiis utens. Et facilè supersedere possem explicatione binorum horum commatum, ni Anti-Copernicani iis tanquam arietibus uterentur ad subuertendam de motu terræ hypothesin. En quomodo! Omnis cœli compages, inquiunt, finito ultimo judicio motu depositò redibit ad quietem, *non occidet ultra Sol, nec abscondetur Luna*, οὐ δύσεται ὁ ἥλιος, καὶ ἡ σελήνη οὐκ ἐκλείψει. Ergò, inquiunt illi, Sol oritur & occidit, totumque circumuoluitur cœlum. Ostendimus alibi, etiam ex Copernicanorum mente oriri Solem & occidere, quæstionem duntaxat esse de modo, quo id fiat. Sed obseruandum inprimis, loqui Prophetam

de glorioso Ecclesiæ Noui Testamenti statu, vel etiam triumphantis, v. 20. Non inquit Propheta, Sol, sed, *Sol tuus non ultra occidet*, & in utroque commate est sensus ille altior mysticus clarissimis verbis expressus: DOMINUS *erit tibi lux perpetua, & DEUS tuus claritas tua.* — DOMINUS *erit sempiterna lux tua, & dies luctus tui compensabuntur.* Ἔξει σοι ΚΥΡΙΟΣ φῶς αἰώνιον, καὶ ὁ ΘΕΟΣ δόξα σε. — Ἔξει σοι ΚΥΡΙΟΣ φῶς αἰώνιον, καὶ ἀναπληρωθήσονται αἱ ἡμέραι τῆς πένθους σε. Non fore incommoda ulla à nimio Solis æstu, neque à frigore nocturno, compensaturam esse optimi DEI præsentiam omnia. Sensui literali si inhærere lubeat, elicientur duæ prorsus diuersæ de statu visibili cœli opiniones. Vers. 19. *Sol non erit tibi ultra in lucem diurnam, & splendor Lunæ non lucebit tibi.* Vers. 20. *Non occidet ultra Sol tuus, nec abscondetur Luna tua.* Ibi Sol non lucere, Luna non splendere, heic ille perpetuò lucere, hæc nunquam non fulgere dicitur.

Jes. Cap. LXV. vers. 17.

Ecce enim, ego creo cœlos nouos & terram nouam, & veterum nulla erit mentio, neque in cor venient.

Ecce enim, ego creo cœlos nouos & terram nouam: & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor.

SUauissimam Antiphoniam accinit Noui Testamenti præcipuus vates Apoc. XXI. 1. εἶδον οὐρανὸν καινὸν καὶ γῆν καινήν· ὁ γὰρ πρῶτος οὐρανὸς, καὶ ἡ πρώτη γῆ ἀπῆλθε, καὶ ἡ θάλασσα οὐκ ἔστιν ἔτι. Et Apostolici agminis primus 2. Petr. III. 13. Καινοὺς δὲ οὐρανοὺς καὶ γῆν καινὴν κατὰ τὸ ἐπάγγελμα αὐτοῦ προσδοκῶμεν, ἐν οἷς δικαιοσύνη κατοικεῖ. Campus hic est Martius, in quo sese exercent *Chiliastæ*, qui præcedaneam nouis cœlis & nouæ terræ conflagrationem non intelligunt de totali terræ dissolutione vel destructione, sed duntaxat de mutatione in meliorem statum, quo Sancti & Martyres post primam resurrectionem ibi victuri per millennium sint regnaturi, ad secundam usque resurrectionem, ultimum judicium, & omnium rerum finalem πλήρωσιν. Huic controuersiæ me haud immisceo. Satis negotii facessit nobis systema, quo nunc gaudemus, cœli atque terræ. De nouis cœlis & noua terra sufficit nobis Sacri Codicis testimonium: nostrum non est, statuere quidpiam, de quo non simus ex ratione & experientia plenè conuicti, vel quod Leges Naturæ nunc stabilitas transcendit. Systematis mundani præsens fabrica sicuti pendet à liberrimo infiniti Creatoris nutu, ita pendebit quoque ab eadem perfectissima voluntate noui cœli nouæque terræ structura, de qua non scimus, nisi quod DEI ipsius Verbum nobis reuelat. Certissimum id est, fore nouum cœlum, nouamque terram, sed incertus modus, quo noua hæc διακόσμησις fundanda, ignotæ leges, quibus perennanda sit. An uniuersum, quod nunc videmus, sit annihilandum prorsus, & ex hujus Nihili futuri abyssis nouus planè condendus mundus? vel, quod vero est similius, solus terræ vortex sit in alium, meliorem, glorioſum statum commutandus, manente reliqua mundi fabrica, de qua minimam partem scimus, tali, qualis est? Extra dubium & id vertitur, terram hanc nostram esse conflagraturam, ut prima periit aquâ. Sed ut τὸ ὅτι dissoluti illius primi orbis certò quidem nobis constat, τὸ διότι non item, licet doctas nobis liceat formare conjecturas de modo, quo ille fuerit totus solutus, & in hanc nostram habitabilem terram mutatus; ita difficilius longè erit statuere, qua ratione noua terra condenda sit ex hac aliquando conflagratura. In hoc campo sese exercuit præ aliis celebris *Th. Burnetius*, Anglus, *(de Nouis Cœlis & Noua Terra Lib.* IV. *Theoriæ Telluris sacræ,)* qui ut in puncto primæui destructi orbis genio suo nimiùm fidens sphalmata commisit manifesta, haud magis fortè fuit felicior in condendo nouorum cœlorum nouæque terræ systemate. Penetrat eò usque acies doctissimi aliàs viri, ut per aterrimos & densissimos terræ conflagrantis fumos introspiciat ad interiora usque terræ viscera, ubi vidit & finxit ex fusis metallis, lapidibus, grauibus corporibus aliis corticem densum vitreum, qui terram intimam ambit, & ex reliquis leuioribus, volitantibus passim, nec combustibilibus, (quibus terra nigra vegetabilium mater adnumerari debet,) sensim subsidentibus, juxta cum aqueis, conflatam nouam terram. Quin imò præuidit ingenii sui perspicillo, an telescopio, nouam hanc terram reductum iri in statum paradisiacum, futuram sphæricam ex sphæroide, planam, montibus vallibusque & maribus destitutam, axin terræ perpendiculariter insistentem Plano Eclipticæ, perpetuum ver, cœlum serenum, tranquillum, non obscuratum densis nubibus, non turbatum fulminibus, fulguribus, tonitrubus, grandine, gelu, ventis impetuosis: ditissimam omnium rerum abundantiam, maturos semper fructus, auras lenes ad temperandum æstum, vitam longæuam & sanam: habitaculum beatissimum, venenatis qualibuscunque animalibus, mineralibus, vegetabi-

getabilibus deſtitutum, uti & feris beſtiis, verſ. 25. *Lupus & agnus paſcent ſimul, & leo ſicut bos paleam comedet, ſerpentis autem cibus erit puluis. Non affligent, neque vaſtabunt in uniuerſo monte meo ſancto, dicit* DOMINUS; *(Lupus & agnus paſcentur ſimul, & leo & bos comedent paleas, & ſerpenti puluis panis ejus: non nocebunt, neque occident in omni monte ſancto meo, dicit* DOMINUS;) futuram παλιγγενεσίαν, ἀποκατάϛασιν, μεταγχματισμὸν τῦ κόσμε, ἀπολύτρωσιν creaturarum à vanitate & ſeruitute, θεοκρατίαν millennem, cujus veſtigia non extent duntaxat in Scriptura, ſed & apud Scriptores profanos. Hæc omnia examinanda & diſcutienda relinquo aliis.

Jeſ. Cap. LXV. verſ. 25.

Lupus & Agnus paſcent ſimul, & Leo ſicut Bos paleam comedet, ſerpentis autem cibus erit puluis. —

Lupus & agnus paſcentur ſimul, & leo & bos comedent paleas, & ſerpenti puluis panis ejus. —

Vid. Gen. Cap. III. verſ. 14. Jeſ. Cap. XI. verſ. 6. 7.

PROPHETA JEREMIAS.

TAB. DCXXIII.

Jer. Cap. II. verſ. 22.

Etiamſi laueris te nitro, & multum ſmegmatis tibi adhibueris, altius tamen impreſſa eſt iniquitas tua coram me, ait DOMINUS DEUS.

Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith: maculata es in iniquitate tua coram me, dicit DOMINUS DEUS.

NEminem latet fullonum, ciuium, colonorum, imò fœminarum, alba reddi & pura linteamina lixiuio, quod noſtrates parant ex cineribus lignorum, aliæ gentes ex cineribus, calce viua, tartaro, ſapone item, qui conſtat ex oleo & ſale. Hujusmodi quippe rebus impuritates filis linteaminum adhærentes abraduntur partim, partim abſorbentur, eluendæ poſtmodùm plenius aqua, frictione, percuſſione, torſionibus iteratis. Utebantur Veteres quoque pro eluendis veſtibus *terris* variis, *Cimolia* inprimis & *Sarda*. *Plin.* L. XXXV. c. 17. *Eſt & alius Cimoliæ uſus in veſtibus. Nam Sarda, quæ affertur è Sardinia, candidis tantùm aſſumitur, inutilis verſicoloribus. — Primùm abluitur veſtis Sarda, dein ſulphure ſuffitur; mox deſquamatur Cimolia, quæ eſt coloris veri.*

In Textu noſtro occurrunt bina mineralia purgatorio uſu commendata, נֶתֶר *nether*, νίτρον, & בּוֹרִית *borith*, inquiſitione noſtra digna.

נֶתֶר *nether* vel נָתֶר *nather* eſt Græcorum νίτρον, Latinorum *nitrum*, Germanorum quoque *Niter*, aliàs *Salpeter*. Sed eſt probè diſtinguendum veterum nitrum à nitro modernorum. Illud deſcribit *Dioſcorides* L. V. c. 130. quod fuerit κῆφον καὶ ῥοδωπὸν ἢ λευκὸν τὴν χρόαν, κατατετρημένον, ὁιωνεῖ σπογγώδες τι, *leue, roſeo colore aut candido, in foramina debiſcens, perinde quaſi ſpongioſum quiddam*, qui characteres nitro noſtro haud conueniunt. Effodiebatur è terra, & memorat *Plinius* L. XXXI. c. 10. aquas nitroſas, lacus nitroſos, ſpeciatim in Ægypto. Noſtrum nitrum elixiuiari ſolet ex terra urina jumentorum imprægnata. Explicaturis proin Textum noſtrum attendendum eſt ad nitrum illud veterum, de quo etiam, appoſitè ad rem præſentem, legimus, *perungi ante acceſſiones frigidas nitro & oleo. Plin.* l. c. Hinc apud *Nicol. Myrepſum* legitur ματρωνικὸν Νίτρον & παρθένιον, quod matronæ & virgines eo uſi fuerint in balneis. Notandum autem, incubuiſſe omnino curam Judaico populo, corpora ſua & veſtes, lineas cumprimis Sacerdotum, mundandi optimis quibusque purgamentis. Sunt, qui נֶתֶר noſtrum intelligunt de *Creta*. De qua re alibi fuſius.

IER. Cap. II. v. 22.
Nitrum, Smegma.

Jer. Cap. II. v. 22.
Nitrum, Soriff.

I. G. Pintz sculpz.

בּוֹרִית *Borith* reddimus nos *ſmegma*, & in Vernacula, *Borith*. Qui pro minerali regno militant, ſalis genus offerunt, quod in India Orientali, Perſia, Tranſyluania eſt foſſile, & adhuc hodie Arabibus *Bora*, *Bewræk*, *Burak* appellatur. *Meninzk. Lex.* 917. Cui vel nominetenus affinis eſt *Borax*, *Borris*, ſal, quod Venetiis parari volunt ex nitro & puerorum urina, & in officinis aurifabrorum, zonariorum, & aliorum artificum ferruminandis inſeruit metallis, ab hoc ipſo uſu *Chryſocolla*, χρυσοκόλλα cognominatum. Sed ſunt, qui vegetabili regno fauent magis. Præeunt his LXX. qui pro בּוֹרִית ποίαν vel πόαν, *herbam*, habent. Fuere ſanè veteribus herbæ, & ex herbis extracta ſalia inter lomenta. Eminet στρύθιον *Dioſcoridis* L. II. c. 193. *Radicula* ſeu *lanaria* herba, *qua purgandis lanis utuntur*, ᾧ οἱ ἐριοπλύται χρῶνται πρὸς κάθαρσιν τῶν ἐρίων. *Radicula lauandis demùm lanis ſuccum habet, mirum quantum conferens candori mollitiæque.* — *Struthion Græci vocant. Plin.* L. XIX. c. 3. Non dubitant moderni Botanici, eſſe *Saponariam*, & hoc lanariæ nomine miſerat *Imperatus Saponariam Lychnidis folio floſculis albis an Condiſi Arabum* C. B. quæ *Lanaria* eſt *ſiue Struthium Dioſcoridis Imperati* I. B. *Lychnis multiflora elatior linariæ folio paruo flore. Tourn.* Hac planta hodienum Perſæ veſtes ceu ſmegmate eluunt, *Keteſtu* dicta. *Meninzk. Lex.* 3871. Placet aliis, nominatim *Hillero Hierophyt.* P. II. p. 67. *Kali* ſiue *Uſnen* herba, ex qua Syri ſaponem & Veneti vitra conficiunt, *Schinan* Arabibus dicta apud *Rauwolfium*. Hac, vel cineribus ex ea, veſtes mundant Turcæ, qui plantam hanc vocant *iisnan*, *isnan*, *esnan*, *wüsnan*, *wisnan*, *wesnan*. *Meninzk. Lex.* 248. 875. 1746. 5375. Eſt *Rauwolfio* duum generum, nempe *Kali Arabum primum genus Rauwolf.* C. B. & *Kali geniculatum alterum vel minus* C. B.

A. Saponaria Lychnidis folio floſculis an Condiſi Arabum. C. B.

B. Kali Arabum primum genus *Rauwolf.* C B.

C. Kali geniculatum alterum vel minus C B.

D. Kali characteres ad marginem.

Cl. *Olauo Rudbeckio Ichthyol. Bibl. Parte II. de Borith Fullonum* placeret, ſi in regno vegetabili manendum foret, *Carduus fullontum*, Suecis *Borre*, *Kardborre* dictus, qui *Dipſacus* eſt *ſatiuus* C. B. vel potius *rubia tinctorum ſatiua*, tingendi uſu inprimis Orientalibus Gentibus notiſſima. Sed nobilius quid, quod fulgore ſuo ſpectantium oculos magis perſtringat, inprimis ex Malachiæ illuſtri de Meſſia vaticinio III. 2. ſubintelligi exiſtimat, quodque pingendæ ſeu fucandæ faciei inſeruiat, ſuffragium autem dat rubro colori pretioſiſſimo, quem dat *purpura*. Quam ſuam ſententiam, animali regno fauentem, fulcit ſequentibus argumentis. 1. Malachiæ l. c. & verſ. 3. 5. irati Meſſiæ vultum, ſcilicet rubicundum, repræſentari. 2. Ipſos LXX. per πόαν ſimpliciter, & in Malachia per πόαν πλυνόντων intellexiſſe haud dubiè *rubiam tinctorum*. 3. Synonymum בּוֹרִית נִתְרָא Talmudicum eſſe אֶשְׁלָג *aſcheleg*, in Gemara שׁוֹנָאנָא *ſonaga, aliquod inuentum in foraminibus ſeu fiſſuris margaritarum, quod educitur inde ſtilo ferreo*, quod non poſſit eſſe aliud quàm purpura. Deriuari à שֶׁלֶג *ſcheleg*, *nix*, inde deriuari Chaldæorum תָּלֶג *thaleg*, Arabum *tælgh*, Anglo-Saxonum *telgh*, quæ voces ſucum, purpuram, conchylium, ſignificent. Neque obſtare candorem niuis rei purpureæ, quoniam res candidiſſimæ ſæpenumero apud Auctores ſacros & profanos cum purpura conferantur, purpureæque appellentur. Etymon Talmudicæ vocis *ſonaga* inueniri ſtatim in voce Suedica *Sonecka*, *Snecka* (quibus adde Germanorum *Schneck.*) Ad explicandum נִתְרָא *aſchælæg* Munſterianum שֶׁלְפָּ דוּץ *ſchelph duts*, quod ad exponendam vocem קִימוֹנִיָּא *Kimonia* in Gemara adhibetur, facere Gothorum *Skilp*, *Skilf*, Anglorum *Skallop*, *(Scallop,)* Arabum *Daleph*, Saxonum *Schelp*, Teutonum *Skelpe*, (Belgarum *Schulp,)* vocabula partim concham, partim algam marinam denotantia. Talmudicum *Kimonia* non cum Rabbinis per *Cimoliam*, ſed per Græcorum κυμένην, h. e. *Luteolam Creticam*, Sued. *Giæmna* ſeu *Hiemna*, unde *menia* Sued. *minium* interpretatur. Ad explicandam Arabum vocem *gaſul*, qua interpres Arabs vocem בּוֹרִית transfert, reliquias adeſſe in Hiſpanorum & Luſitanorum *Azul*, color cœruleus, glaucus, purpureus, quocum concordent Turcarum *Kyzyl*, ruber, purpureus, *Kyzylye*, rubellus fucus mulierum. Porrò צְרִיפְתָּא *tſeriphtha* Chaldaicæ vocis Borith ſynonymæ indicia extare in Luſitanorum *Eſtrepe*, murex, Ungarorum *Tſerep*, teſta, concha, Bohemorum *Skorepi*, Polonorum *Skorupa*, Germanorum *Scherb*, Indorum *Cheripo*, Gothorum *Stripu*, virgatus, Polonorum *Strefu*, purpurea veſtis. 4. Argumentum ſuppeditat conſideratio Rabbinicæ vocis אירבא שניריא *Yerba Schneera*, quam allegat *Jarchius* in Malach. locum pro explicatione נִתְרָא Borith, cujusue natales Cl. *Langius* quæſiuit in Hiſpanico *Yerba Xabonera*, *Saponaria*, *Rudbeckius* verò in Hiſpanorum *Zinheira*, *coccus*, *Ilex coccifera*, κόκκος βαφικὴ. 5. Occurrit alia Talmudica vox Borith ſynonyma, אהל *ahal* vel אהלה *ahalah*, quam inuenit in Græcorum αὐλὸς, Latinorum *aulus*, concha longa, vel *Dioſcoridis* ἕλον, *alga*, fucus, Chymicorum *hailo*, purpura, margarita, Arabum *hel*, *abel*, *chel*, *al*, ruber, purpureus; pondus addunt ficta meretricum ſeſe fucantium nomina *Ahalah* & *Ahaliba* Ezech. XXIII. 4. quibus idololatria Samariæ ac Hieroſolymæ inuidiosè repræſentatur. 6. Robur addunt diuerſa purpuræ nomina apud alias gentes: βλάτος, βλάττος, color ſanguineus, coccineus (unde *blatta*, *blatteus color*, à *Blut* Germanorum, *Blod* Gotho-

thorum) βλάττος βυσάνθιος, à βύσσος & ἄνθος potius, quàm ab urbe Byzanthio. κογχύλη, κογχύλιον, *Conchylium*, ab Hebr. כחל *cachal*, quod rubri coloris aliquid denotaſſe colligit ex Gen. XLIX. 12. Κήρυξι, murex, purpura. 7. Ex ipſa voce *Borith* per varias gentes & linguas diſperſa. *Birith* vel *pirith* Suedis eſt coccus, purpura, & ex בור ipſa πορφυρίου, purpuræ, פרפרא Rabbinorum, vocabula videntur eſſe profecta. 8. Non de vulgari munditie aut lotione heic mentionem fieri, ex accuratiori inſpectione Textus exſplendeſcit. 9. Veſtes purgandi officium apud Judæos ad fullones pertinuiſſe, probatur ex Talmude. 10. *Borith* rubiæ fuiſſe ſpeciem, conſtat ex voce ביצים *Bezim in Talm. Tract. Nidda* c. 9. f. 62. quæ non *betam* denotet, ſed *ouum*, quo in pingendo cum Sandyce utuntur pictores. 11. Agi de maculis non veſtium, ſed corporis. 12. Si nomine *Ahala* vel *Borith* Ebræis olim notus fuiſſet ſapo vel ſmegma, non potuiſſe rei tam utilis ac neceſſariæ memoriam obliteratam adeò eſſe, ut nec vola, nec veſtigium ſuperſit. 13. Saponem Gallorum fuiſſe inuentum, conſtare ex *Plinio* & aliis. 14. Non in aliis Veteris aut Noui Teſtamenti Libris occurrere memoriam ſmegmatis, ne quidem, ubi purgandi apud Judæos ratio ex profeſſo deſcribitur. 15. Borith ex cineribus vel calce conchyliorum confecti uſum ad maculas cutis detergendas apud Orientales fuiſſe longè frequentiorem, & præſtantiorem, quàm hodie eſt ſaponis. 16. Purpuram in ſimilitudine Prophetica tanquam rem ſplendentem comparari cum igne. 17. Exquiſitiſſimam lotionem tincturæ præmitti debere. 18. Purpura ſiquidem pretii extiterit apud Orientales cariſſimi, non citra rationem uſurpari apud Prophetam hæc verba, *etſi multiplicaueris tibi Borith*. 19. Purpuram inter Coſmetica cutis ac faciei præcipuè extitiſſe. 20. Ignem cum ſanguine conjunctum multis Scripturæ locis legi. 21. Purpuram non inter muliebres tantùm fucos, ſed & viris uſurpatam fuiſſe ad terrendos hoſtes, exprimi adeò venturi Meſſiæ, ceu victoris ac triumphatoris de morte ac diabolo gloriam. 22. Sanguinem non tantùm conchyliorum, ſed & aliorum animantium cuti mundandæ ac decorandæ virtute gaudere. Agmen claudere ſexcenta Sacri Fœderis Oracula, Meſſiam ſanguinea ſpecie habituque repræſentantia, meritique ejus rationem in ſanguine oſtendentia. Quæ longæ quidem ſeriei argumenta pro *purpura* à *Rudbeckio* allata huc afferre haud piguit, tum propter omnigenam atque profundam Clar. viri eruditionem, tum propter libri raritatem.

Jer. Cap. II. verſ. 23. 24.

23. — Camelopardali veloci, quæ circumcurſitat vias ſuas, (ſimilis eſt.)
24. Sed & (a) onagro deſertis aſſueto, qui pro appetitu animi ſui deſtinato ſuo tempore anhelitum haurit, quis reducet eum? Omnes, qui eum quærunt, non feſſi erunt, in menſe ſuo inuenient eum.

(a) De fœmina onagri loqui videtur, in genere epicœno poſui, ſub articulo maſculino.

23. — Curſor leuis explicans vias ſuas.
24. Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſiderio animæ ſuæ attraxit ventum amoris ſui: nullus auertet eam: omnes, qui quærunt eam, non deficient: in menſtruis ejus inuenient eam.

ESſe בִּכְרָה *juniorem Camelum*, non *Dromedarium*, oſtendimus ad Jeſ. LX. 6. מְשָׂרְכֶת דְּרָכֶיהָ reddimus, *quæ circumcurſitat vias ſuas*, diſcurrit hac illac in viis ſuis, applicatiuè ad Iſraeliticum populum, qui alacriter & inoffenſo pede currat in ſemitis idololatriæ: alii, *implicans vias ſuas*, ita nos, *welches ſich auf ſeinen Wegen verwickelt*, ſed obſcurius. Prætulerat quoque Latinam noſtram Vernaculæ magnus noſter *Bullingerus in Jerem.* 17. b.

Verſ. 24. *Sed & onagro deſertis aſſueto, qui pro appetitu animi ſui deſtinato ſuo tempore anhelitum haurit.* Sicuti nempe animal hoc veneris œſtro concitatum per montes decurrit anhelans, *ſchnaufet und ſchnutet*, verba ſunt *Bullingeri*: ita & idololatriæ totus quantus deditus Iſrael, *quis reducet eum?* quis feræ huic indomitæ injiciet frænum? *Omnes, qui eum quærunt, non feſſi erunt, in menſe ſuo inuenient eum.* Non ceſſant venatores beſtiæ huic inſidiantes, attendunt ad menſem, ad tempus venationi huic opportunum, appropinquantis, ut videtur, partus, quo fœmina à veloci curſu abſtinet. Sic interpretatur *Kimchius*, & appoſitè. Aliis interpretationibus ſuperſedeo, uti & applicatione ad Judaicam Eccleſiam, quæ alius eſt fori potius, quàm mei.

Jer. Cap. IV. verſ. 13.

Ecce, aſcendet ſicut nubes, & currus ejus procellis ſimiles erunt, equi autem ejus aquilis celeriores. —

Ecce, quaſi nubes aſcendet, & quaſi tempeſtas currus ejus: velociores aquilis equi illius. —

EN Babyloniorum Regem, ejusque Exercitum, & expeditionem Hieroſolymitanam collata *nubi*, νεφέλη, *currus procellis*, καταιγίδι, *equos* & turmas equeſtres *aquilis*, ἀετοῖς! Ita Jeſaias de Exercitu Aſſyriorum: *Ungulæ equorum ſilici, & rotæ turbini ſimiles exiſtimantur. (Ungulæ equorum ejus ut ſilex, & rotæ ejus, quaſi impetus tempeſtatis.)* V. 28. De irruptione Chaldæorum in Terram Judaicam Habac. I. 8. *Equi velociores ſunt pardis, & auidiores lupis veſpertinis: equites diffuſi irruunt, equites è longinquo venient, aduolant ut aquila feſtina ad vorandum. (Leuiores pardis equi ejus, & velociores lupis veſpertinis, & diffundentur equites ejus: equites namque ejus de longe venient, volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum.)* Ita quoque Noui Teſtamenti Propheta Apoc. IX. 9. ἡ φωνὴ τῶν πτερύγων αὐτῶν ὡς φωνὴ ἁρμάτων, ἵππων πολλῶν τρεχόντων εἰς πόλεμον. Sumendæ ſunt omnes hæ loquendi formulæ in ſenſu naturæ rerum congruo. In ſenſu quippe proprio non eſt exercitus, qui velocitate ſua adæquet nubes, ventos, aquilas. Notum eſt, celeriores longè eſſe Orientalium populorum exercitus equeſtres, Turcarum, Perſarum, Tartarorum, quàm Europæorum: ſicuti quoque differunt in belligerandi modo: irruere ſolent maximo impetu, & horribili clamore, ſed & eadem velocitate reuertuntur ignifugi. Lucem fœneratur hæc obſeruatio formulis loquendi apud Græcos & Romanos uſitatis, *concurrere, incurrere, occurrere, ſuccurrere*, quæ velocitate fundantur & impetu. Et de Equis Orientalibus, Perſicis, Turcicis, Tartaricis conſtat pariter, ex antiqua hodiernaque experientia, eſſe veloces curſu, *aquilis celeriores*, ut Prophetæ verbis utar. Apud profanos quoque Scriptores equi, heroes, milites, conferuntur nunc ventis, nunc aquilis. De Hectore *Homerus Iliad.* χ'. v. 308.

Ὄιμησεν δ' ἁλεῖς, ὡς τ' αἰετὸς ὑψιπετήεις.

Irruit autem cum impetu conuerſus, ut aquila altiuolans.

Iliad. κ'. de Equis Rheſi:

Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

Niue candidiores, & curſu ventis ſimiles.

Equos poſtulat *Turnus* apud *Virgil. Æn.* L. XII.

Qui candore niues anteirent, curſibus auras.

Ventoſi cluebant hujusmodi equi, ut ventoſos nuncupamus canes, *Wind-Hunde. Ouid. Faſtor.* L. IV.

Primaque ventoſis palma petetur equis.

Jer. Cap. V. verſ. 6.

Ideò percutiet eos Leo de ſylua, Lupus ſolitudinum vaſtabit eos, Pardus, incumbens ſuper ciuitates eorum, omnem iſthinc exeuntem diſcerpet. —

Idcirco percuſſit eos Leo de ſylua, lupus ad veſperam vaſtauit eos, pardus vigilans ſuper ciuitates eorum: omnis, qui egreſſus fuerit ex eis, capietur. —

LEonum major fuit olim, quàm nunc eſt, in Palæſtina copia. Memorat Salomon Cant. IV. 8. *Luſtra Leonum in vertice Amana, in vertice Senir & Hermon.* Heic minatur Propheta Judæis, *percuſſurum* eos eſſe *Leonem de ſylua.* 2. Reg. XVII. 25. mittebat DEUS Leones inter Samaritas, 1. Reg. XIII. 24. à Leone diſcerptus fuit Propheta prope Bethel, & 1. Reg. XX. 36. alius prope Aphek. Ut nihil dicam de Leonibus ab Heroibus, Simſone, Dauide, Benaja interfectis. Et *Joh. Phocas* c. 23. qui de Judæa ante quinque ſecula ſcripſit, de arundinetis ſcribit ad Jordanem, in quibus Leones degant. De Syriæ Leonibus legantur *Ariſt. Hiſt.* L. VI. c. 31. *Plin.* L. VIII. c. 16. *Curt.* L. VIII. de Lyſimacho, qui Leonem prægrandem in Syria venando interfecerit.

Degunt

Degunt Leones in montibus ac ſyluis. De ſyluaticis obuia ſunt Loca in Sacris. Jer. XII. 8. *Facta eſt mihi hæreditas mea ſicut Leo in nemore.* Amos. III. 4. *Num Leo in ſaltu rugit, ſi non ſit præda?* Mich. V. 8. *Erunt reliquiæ Jacob inter gentes, in medio populorum multorum, veluti Leo inter animalia ſylueſtria. Theocritus Idyll.* 1.

Τῆνον χ᾽ ὡ κ δρυμοῖο λέων ἀνέκλαυσε θανόντα.

Etiam morientem illum Leo ex ſylua fleuit.

Ouidius de Hippomene & Atalanta, mutatis in Leones:

Pro thalamis celebrant ſyluas —

Seneca in *Thyeſte:*

Syluâ jubatus qualis Armenia Leo.

Attamen deſcendunt aliquando ex montibus, & ex ſyluis prodeunt in campos, imo loca adeunt habitata. Habemus heic Prophetam teſtem, *percutiet eos Leo de ſylua*, ἔπαισεν αὐτὰς λέων ἐκ τῆ δρυμῆ, *percuſſit eos Leo de ſylua.* Excuſationi id eſt ignauo Prov. XXII. 13. *Piger dicit, Leo ſtat foris, in mediis plateis interficiar. (Dicit piger: Leo eſt foris, in medio platearum occidendus ſum.)* Prov. XXVI. 13. *Dicit piger: Pardus eſt in via, Leo inter plateas. (Dicit piger: Leo eſt in via, & Leæna in itineribus.)* Ad loca autem culta venit Leo nunc ex naturæ inſtinctu, nunc tanquam vindictæ diuinæ organum. *Ariſtotele* teſte *Hiſt.* L. IX. c. 44. decrepiti ſenes, venationi inutiles, vel & edentuli, hominibus inſidiari ſolent, urbibusque adpropinquant. Idem aſſerunt *Plinius* L. VIII. c. 16. *Origenes Catenâ in Jerem. Euſtathius in Hexaemer. Ælian.* L. IV. c. 34. quod ad caſas accedant paſtorales, & ſtabula. Unde conjectare licet, *Leonem* etiam noſtrum *ex ſylua* decrepitis illis eſſe adnumerandum, nî alium deſtinauerit DEUS executioni.

Lupus ſolitudinum vaſtabit eos, λύκος ἔως τῶν οἰκιῶν ὠλόθρευσεν αὐτὰς, *lupus usque ad domos vaſtauit eos.* Nemini non conſtat, eſſe lupum animal ſæuum, ſanguinis appetentiſſimum, & tale prædicari in Scriptis ſacris atque profanis. Ezech. XXII. 27. Lupi rapaces cluent judices injuſti. *Principes ejus in medio ejus ſunt quemadmodum lupi diſcerpentes prædam, ut effundant ſanguinem, ut perdant animas, & ut auaritiæ & lucro inhient. (Principes ejus in medio illius quaſi lupi rapientes prædam: ad effundendum ſanguinem, & ad perdendas animas, & auarè ſectanda lucra.)* Quibus adſociari merentur Sacerdotes impii, λύκοι βαρεῖς — μὴ φειδόμενοι τῆ ποιμνίε, Act. XX. 29. De Lycaonte in Lupum mutato *Ouidius Met.* L. I. *Fab.* 6.

- - - - *ſolitæque cupidine cædis*
Utitur in pecudes, & nunc quoque ſanguine gaudet.

Statius Theb. L. IV.

Ille velut pecoris lupus expugnator opimi,
Pectora tabenti ſanie grauis, hirtaque ſetis,
Ora cruentatâ deformis hiantia lanâ.

Notandum heic, lupos ut plurimum ire prædatum ſub veſperam, unde heic זְאֵב עַרְבוֹת *zeebh arabhoth*, non tam eſt *lupus ſolitudinum, ein Wolff aus der Wüſte*, quàm *veſpertinus.* Sic & Habac. I. 8. *Equi ejus auidiores lupis veſpertinis*, מִזְאֵבֵי עֶרֶב. Sophon. III. 3. *Judices ejus lupi veſpertini.* Et clariſſimè omnium moribundus Jacob Gen. XLIX. 27. *Benjamin lupus diripiens, mane comedet prædam, & ad veſperam diuidet ſpolium.* Lupos noctu ut plurimùm ire prædatum, teſtantur quoque Poëtæ. *Virgil. Æneid.* L. IX.

Ac veluti pleno lupus inſidiatus ouili,
Cum fremit ad caulas, ventos perpeſſus, & imbres,
Nocte ſuper media. —

Georgic. L. IV.

Veſper ubi è paſtu vitulos ad tecta reducit,
Auditisque lupos acuunt balantibus agni.

L. III.

Non lupus inſidias explorat ouilia circum,
Nec gregibus nocturnus obambulat. Acrior illum
Cura domat. —

Arabes propterea lupum appellant *alaſaſo*, *æſſas*, nam *æſs* ſignificat noctu obire, item *æſſal, ghætalles, hætælles, æchtall, Meninzk. Lex.* 3262. 3413. 5476. 6043. Notandum porrò, lupum, famelicum per diei decurſum, ſub veſperam eſſe fæuiorem. Mitis ſatis eſt lupus, ſi ſatur, id quod obſeruauit quoque *Ælianus* L. IV. c. 15. Græci pro זְאֵב עַרְבָּ ponunt λύκες τῆς Ἀραβίας, *Arabicos Lupos.* Hinc fortè noſtrates *lupum ſolitudinis, ein Wolff aus der Einöde.* Abundare Arabiam lupis, conſtat teſtimonio Scriptorum. De Themanitarum Regione *Agatharchides* L. V. c. 45. λεόντων καὶ λύκων καὶ παρδαλέων συναφέρει πλῆθος ἡ γῆ. *Leonum & Luporum & Pardorum multitudinem fert terra.* Idem teſtantur *Strabo* L. XVI. *Diodor.* L. III. Attamen prior interpretatio præferenda eſt huic poſteriori, quæ & Tigurinis nobis placet Hab. I. 8. Soph. III. 3.

Pardus, incumbens ſuper ciuitates eorum, omnem iſthinc exeuntem diſcerpet, πάρδαλις ἐγρηγόρησεν ἐπὶ τὰς πόλεις αὐτῶν, πάντες οἱ ἐκπορευόμενοι ἀπ᾽ αὐτῶν θηρευθήσονται. De hac fera plura lege ad Cant. IV. 8. Heic id duntaxat notandum, eſſe Pardum inſidioſum valde animal. Inde affulget

get lux variis Scripturæ Locis, ut Hoſ. XIII. 7. *Factus ſum eis ſicut Panthera, & ſicut Pardus, ad viam inſidiabor. (Ego ero eis quaſi leæna, ſicut pardus in via Aſſyriorum.)*

Jer. Cap. V. verſ. 22.

An me non metuetis? ait DOMINUS. An à facie mea non contremiſcetis? quum poſuerim arenam terminum mari, idque perpetuo decreto, ne transgrediatur eum: ſæuiunt quidem fluctus ejus, ſed nihil poſſunt: tumultuantur, ſed non tranſibunt ipſum.

Me ergo non timebitis? ait DOMINUS. Et à facie mea non dolebitis? Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumeſcent fluctus ejus, & non tranſibunt illud.

Vid. Job. Cap. XXXVIII. verſ. 8. 10. 11. Prov. Cap. VIII. verſ. 29.

Jer. Cap. V. verſ. 24.

— Timebimus ſaltem DOMINUM, DEUM noſtrum, qui dat nobis imbrem tempeſtiuam & ſerotinam ſuo tempore, (a) juramentis ſtatutis meſſem ſeruat nobis.

(a) Quidam hebdomadibus legunt, ſed videtur dicere de juramento & pacto, de quo Gen. VIII. & Leuit. XXVI.

— Metuamus DOMINUM, DEUM noſtrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & ſerotinam in tempore ſuo: plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis.

SApientiæ & Bonitatis Diuinæ ſpeciale τεκμήριον eſt חָק־עוֹלָם, πρόσταγμα αἰώνιον, *præceptum æternum*, v. 22. toti naturæ datum; Leges illæ immutabiles, juxta quas totum hoc mundi αὐτόματον, & quætuis in eo rota, rotula, atomus mouentur. Exemplum ſiſtit *pluuia*, de qua oſtendimus alibi, non cadere fortuitò, non absque ordine, ſed deſtinato conſilio, in hac regione, in hoc climate abundantiorem, pauciorem in aliis, heic omni menſe, alibi certis duntaxat menſibus. Allegat Propheta noſter Orientalium Regionum *imbrem tempeſtiuam & ſerotinam*, ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον. Cadit prior illa Octobri menſe finitâ meſſe, ut denuò humectetur, & veluti ſtercoretur terra exucca, ſicque præparetur ad recipiendum ſemen & alendum: hæc ante meſſem, ſub Martii initium, ut frumenta intumeſcant, atque ad plenam perueniant maturitatem: ſequitur eam *meſſis*, quam *juramentis ſtatutis ſeruat nobis* DEUS, ubi LXX. Κατὰ καιρὸν πληρώσεως προστάγματος θερισμοῦ, ᾧ ἐφύλαξεν ἡμῖν, Vernacula noſtra, *die Wochen, welche zu der Erndt verordnet ſind*, hebdomadæ meſſis, quæ ſicum poſcunt tempus.

Jer. Cap. VI. verſ. 20.

Ad quid hoc mihi, quod adfers thus de Saba, & calamum electum de terra longinqua? —

Ut quid mihi thus de Saba affertis, & calamum ſuaue olentem de terra longinqua? —

Vid. Exod. Cap. XXX. verſ. 23.

SAbam, vel *Sabæam*, Regionem Arabiæ Felicis, Arabici Sinus conterminam, thuriferam celebrant Scriptores Sacri atque profani. Jeſ. LX. 6. *Omnes de Saba venient, aurum & thus ferentes, & laudes DOMINO annuntiantes.* Jer. XVII. 26. *A meridie venient, ferentes holocauſtum, victimam, cibarium, ſacrificium & thus.* Notum pariter, Reginam illam Sabæ,

IER. Cap. VI. v. 28. 29. 30.
Iſraelitæ argentum reprobum.

Jer. Cap. VI. v. 28. 29. 30.
Ein verworffenes Silber.

P. G. Harder sculps.

Sabæ, quæ βασίλισσα Νότε cluet Luc. XI. 31. Hieroſolymam ad Solomonem veniſſe cum ingenti aromatum copia. *Virgil. Georg.* I.

- - - *molles ſua thura Sabæi.*

Æneid. IV.

- - *centumque Sabæo thure calent aræ.*

TAB. DCXXIV.

Jer. Cap. VI. verſ. 28. 29. 30.

28. Apoſtatæ ſunt omnes, apoſtatæ, inquam, incedunt fraudulenter; Æs & ferrum, omnes corrupti ſunt.
29. Accenſum eſt vas fuſorium igne, integrum plumbum, fruſtra conflat excoctor, & mali non ſunt expurgati.
30. Argentum reprobum vocabunt eos, quoniam reprobauit eos DOMINUS.

28. Omnes iſti principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs & ferrum: uniuerſi corrupti ſunt.
29. Defecit ſufflatorium, in igne conſumtum eſt plumbum, fruſtra conflauit conflator: malitiæ enim eorum non ſunt conſumtæ.
30. Argentum reprobum vocate eos, quia DOMINUS projecit illos.

MYſticam en officinam fuſoriam & docimaſticam! Eſt populus *æs*, imo æs fatuum, erga ignem, ut ille erga DEUM, rebellis, *ein taubes, wildes, heißgretiges Ertz, argentum reprobum*, ἀργύριον ἀποδεδοκιμασμένον. *Ignis* verbum DEI, *fuſor* DEUS ipſe, & juſſu ejus Verbi Diuini Miniſtri. Sed ingredi oportet officinas fuſorias metallicis fodinis adſitas, ſalutandi à nobis ſunt docimaſtæ, monetarii, ſiquidem adæquatum rei velimus tribuere Textui ſenſum.

In fodinis metallicis duæ ſunt metalla fundendi methodi. Priorem metallifoſſorum linguâ vocant *übern Stich arbeiten*. Metalla nempe jam pulueriſata cum additamentis neceſſariis fornaci fuſorio injecta penetrantur undique ab igne, & in fluorem redacta, aperto ſiue pertuſo fornace, effluunt in foueam rotundam excauatam, ubi cum plumbo miſtum argentum format panem. Alteram vocant *übern Gang oder krummen Ofen, oder übers Höltzlein arbeiten*. Heic foſſa excauatur in fornace ipſo, & per ductum ſubterraneum, *das Ofen-Aug* dictum, effluunt metalla in crucibulum. Poſcunt hæc omnia conſummatam artem & experientiam. Contundendæ prius ſunt venæ, & ſeparandæ impuritates, urendum omne, quod eſt fatuum, in fornacibus toſtoriis, *Röſt-Oefen*, ne argentum ab igne ipſo conſumatur & deuoretur. Commodè & ex arte parandi ſunt fornaces, regendus ita ignis, ne vel nimium incaleſcat fornax, vel refrigeſcat; obſeruanda venit exquiſita additamentorum, fluorum, pyritarum, terræ, plumbi, lithargyrii ad ſingulas metallorum venas proportio. Eſt quippe fornax veluti ventriculus, in quo metallicæ venæ ad inſtar ciborum in noſtro ſtomacho digeri debent & coqui. Pertundendi ſunt fornaces neque citò, neque tardè nimis. Citò nimis ſi id fiat, non reddunt venæ id, quod quidem reddere deberent; tardè nimis ſi fiat pertuſio, decedit multùm argento probo. Supernatant ſcoriæ profluenti metallo, & uncis ferreis auferuntur, ſi refriguerint. Quod reſtat *panis* dicitur, *ein Werck, Werck-Silber*, mixtura ex plumbo & argento, aliquando & heterogeneis aliis. Tractandus poſteà dextrè hic ipſe panis, & igne ſeparandum eſt plumbum aliæue impuritates ab argento, usque dum tandem puriſſimum promicat & prodit argentum, Solis ad inſtar ex denſa nube. Huc ſi peruenerint fuſores, ignis actionem minuunt, quæ continuata conſumeret argentum, ut purum quoque argentum in fornace anemio uri poteſt in pulueren, vel calcinari, niſi addatur fel vitri, vel plumbum. Hoc argentum jam excoctum examinat Docimaſtes, num aſcendat valor ad 15¾. ſemuncias, qui ordinarius eſt.

Ex hactenus dictis myſtica ars & concio Jeremiæ fuſoria haud difficulter intelligitur, quomodo nempe fuerint Judæi *apoſtatæ, incedentes fraudulenter*, ἀνήκοοι πορευόμενοι σκολιῶς, *æs & ferrum*, χαλκὸς καὶ σίδηρος, æs fatuum, igni & labori non parens, pauco argento probo mixtum: quomodo ob hoc ipſum haud potuerint in fluorem redigi, poſtquam *accenſum eſt vas fuſorium igne, nachdem der Blaß-Balg verbrennt*, ἐξέλιπε φυσητὴρ ἀπὸ πυρὸς, zelo ardenti Prophetæ non licuit, interuenientibus grauibus, quas

perpeſſus fuerat, perſecutionibus, corda Marpeſia caute duriora emollire & fluida reddere ſuffiatione Verbi Diuini. Quomodo, *plumbo ab igne conſumto, fruſtra conflauerit* argentum *excoctor*, ἐξέλιπε μόλιβος, εἰς κενὸν ἀργυροκόπος ἀργυροκοπεῖ, *mali* non fuerint *expurgati*, πονηρία οὐκ ἐτάκη, ſcoriæ & heterogeneitates impuræ haud ſeparatæ, proin prodire haud potuerit *panis argenti puri, ein Blick- oder Brand-Silber*, ſed quidem *argentum reprobum*, quod *reprobauit* DOMINUS, ἀργύριον ἀποδεδοκιμασμένον, ὅτι ἀπεδοκίμασεν αὐτὸς ΚΥΡΙΟΣ.

A. B. Fornax eſt fuſorius, in quo excoquuntur venæ.

C. Os fornacis, quod pertunditur, ut metallum liquidum per id effluat.

D. Catinus ſeu fouea ſuperior, in quam primò defluit metallum.

E. Ejus os.

F. Catinus inferior.

G. Panis argenti.

Jer. Cap. VIII. verſ. 7.

Equidem ciconia in aëre nouit ſua ſtata tempora, (a) turtur, grus, & hirundo obſeruant tempus profectionis ſuæ; at populus meus non cognouit judicium DOMINI.

Miluus in cœlo cognouit tempus ſuum: turtur & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus aduentus ſui: populus autem meus non cognouit judicium DOMINI.

(a) Alii Sis pro hirundine, & Agur pro grue legunt.

APerit hoc DEI ipſius effatum ampliſſimum rerum theatrum, quæ nos ducunt ſimul ad cognitionem DEI, & *ciconiæ, turturis, gruris*, & *hirundinis* deſtinata ab ipſo Creatore hybernacula. Nemo eſt, qui ignoret, quod omnis ævi experientia populos omnes docuit, eſſe has aues migratorias, exulhyemes, & hyberno tempore vel migrare aliorſum, vel occultas alicubi deliteſcere. *Ciconias* quod attinet, in teſtes vocamus vel ipſos infantes, qui redeuntes ad nos aues hasce ſalutant, *Storch, Storch heini. Hirundinum* par eſt ratio. De *gruibus* & *turturibus* teſtantur idem Gentes Orientales. Noſtrarum interim partium eſt, pro viribus inquirere, quorſum migrent hæ aues adpropinquante hyeme? cur clima noſtrum, patriam ſuam, deſerant? quomodo *noſcant ſua ſtata tempora, & obſeruent tempus profectionis ſuæ?*

Solutu haud adeò facilis eſt prima harum quæſtionum, quonam migrent aues iſtæ hyeme? Duæ palmariæ de hac re prævalent ſententiæ apud Eruditos: ſunt, iique numeroſi, qui appropinquante hyeme migrare volunt in calidiores Prouincias, Ægyptum, Æthiopiam, Africam, vel planè ad Indos, indeque, ingruente vere, redire aues ſingulas ad ſuas urbes, pagos, ædes, nidos, hoſpites. Addunt inſuper illi, conuenticula ſua celebrare, ut ante diſceſſum, ita poſt reditum, & conuerſari inuicem conſultaturas. Obſeruant namque illi, diſparere aues, fugari ab ingruente frigore, proin, naturâ duce properare in climata calidiora, inferunt, fiduciâ tantò majori, quod nemini conſtet, quò tendant. Sed inſuper, ne fortioribus argumentis carere videantur, repetunda allegant exotica, quæ ciconiæ ex oris longinquis reduces hoſpitibus ſuis in gratitudinis ſignum reportant; Zingiberis radicem recentem apud *Geſner. de Auib.* p. 267. *Franz. Hiſt. Anim.* L. VIII. c. 21. carbunculum pretioſum, quem fœminæ Tarentinæ attulerit ciconia pro beneficio curatæ cruris fracturæ, *Faber de Volatil.* p. 1062. auem exoticam roſtri enſiformis acuti, quæ occidere debebat ſerpentem prægrandem pullis inſidioſum, quam Hiſtoriam recenſet quoque *Geſnerus* ex *Ixeuticis Oppiani.* Sunt hæ Hiſtoriæ mirâ arte excogitatæ, & jure ad fabularum claſſem relegandæ. Altera & potior ſententia hæc eſt, occultare ſe aues illas æſtiuas per hyemem, & verno tempore redire ex ſuis latibulis. Bina recenſet ex *Bapt. Fulgoſo* exempla *Geſner. de Auib.* p. 264. ciconiarum hyeme retibus captarum, & ex lacu extractarum, quæ aquæ calidæ ope redierint ad vitam. De hirundinibus teſtantur *Neander* & *Barthius*, demittere ſeſe turmatim quotannis in ſtagnum profundum oppido Beske in Marchia adſitum, ex quo extrahi queant retium ope. Producere poſſem exempla alia benè multa ciconiarum & hirundinum, quæ per hyemem manſerunt in ſuis nidis, cauis arborum, antris montium, fluminibus, lacubus. Confirmant hanc ſub aquis occultationem, quæ memorat *Olaus Magnus Hiſt. Sept.* L. XIX. c. 29. *In Septentrionalibus aquis ſæpius caſu piſcatoris extrahuntur hirundines, in modum conglomeratæ maſſæ, quæ ore ad os, & alâ ad alam, & pede ad pedem, poſt principium autumni ſeſe, intra cannas deſcenſuræ, colligarunt. — Maſſâ autem*

autem illâ per imperitos adoleſcentes extractâ, atque in æſtuaria portatâ, caloris acceſſu hirundines reſolutæ volare quidem incipiunt, ſed exiguo tempore durant. Idem ex ore D. *Colas*, in Septentrionalibus Brittanniæ oris ἀυτόπτης, comprobat *Derham. Theol. Phyſiq.* L. VII. c. 3. Conſiderantibus heic cauſas tum finales tum efficientes ſufficiens naſcitur occaſio ſummis celebrandi laudibus ſummam optimamque DEI Prouidentiam. Viuere debebant hæ aues in aëre ſuæ ſtructuræ & naturæ conuenienti, cibis congruis, ranis, ſerpentibus, muſcis, inſectis aliis, quæ animalia omnia per hyemem quoque latentia dormiunt. Fame proin pereundum foret illis, nî prouidiſſet Creator optimus, absque cujus nutu ne paſſerculus quidem decidit de tecto, ſtructurâ tali, quâ motum ſuum & volatum perdant ingruente frigore, ſeſe proin aliorſum conuertere, vel occultare habeant neceſſe. Requiritur nempe ad vitam & volatum aër neque denſus neque rarus nimis, externi aëris cum interno æquilibrium, unde & hirundines æſtate ipſa, imminente tempeſtate, ſeſe demittunt ad aquarum usque ſuperficiem, veluti viua, ſed volantia, barometra. Appropinquante autem hyeme aër denſior redditus condenſat auium harum ſanguinem aliàs tenuem; hæ proin volatui ineptæ ſopore veluti quodam corripiuntur, qui per integrum durat hyemis decurſum: Sed redeunte vere de nouo animantur omnia, redit naturæ vigor, ſanguini in vaſis, ſpiritibus in neruis motus, aëri elaſtica expanſio, prodeunt ranæ, ſerpentes, inſecta inſeruitura pro cibo. Hinc eſt, quod in calidioribus climatibus, ubi terra non arctatur gelu, & cibi adeſt copia, aues illæ, apud nos migratoriæ, per totum annum viuant perennes, in frigidioribus è contra, ubi deficiunt ranæ, nullæ quoque ſint ciconiæ. Ex his fontibus deriuandæ veniunt cauſæ multorum aliorum phænomenorum, quæ Hiſtoria hujusmodi auium offert, mutati in ſpecie cantus. *Virgil. in Georgic.*

Verùm ubi tempeſtas, & cœli mobilis humor
Mutauere vias, & Jupiter humidus auſtris
Denſat, erant quæ rara modò, & quæ denſa, relaxat:
Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiunt, hinc ille auium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, & ouantes gutture corui.

Quæ hactenus memorauimus de ciconiis & hirundinibus, occurrunt quoque in vegetabilium regno, communia item ſunt reptilibus & inſectis volantibus, ranis, ſerpentibus, anguillis, tincis, piſcibus aliis, muribus alpinis, urſis, aliisque quadrupedibus; Hominibus item, qui ſeptimanarum & menſium, ne dicam annorum, ſuſtinuere inediam. Ut non habeamus neceſſe, in theatrum producere Lucomoriæ illas Gentes in Ruſſiæ extremis, quæ Nouembri menſe dicuntur obdormire, & euigilare Aprili. Nil deeſt demonſtrationi pro ſomno illarum auium hyberno. Lucem quoque fœneratur mora cujuslibet infantis nouimeſtris in carcere tenebricoſo uteri, ubi ne quidem per momentum reſpirare licet: vita urinatorum ſub aquis: Exempla eorum, qui ſatis diu vixere ſub aquis, vitâ ſalua, ex quibus memorabile inprimis Hortulani illius Tronningholmenſis Sueci, qui auxilium laturus cuidam periclitanti in glacie ſubmerſus ipſe in 18. ulnarum profunditate erectus ſteterat in fundo ſpatio 16. horarum, amiſſo per totum id tempus omni motu ac ſenſu, niſi quod campanarum Stockholmenſium ſonitum audire ſe putauerit, ſed conto ipſi capiti infixo protractus ad vitam rediit, quam 18. annos poſt grauiſſimum hunc caſum ſeruauit, qui caſus ex rariſſimis occaſionem dedit *Nicolao Pechlino* conſcribendi Librum doctiſſimum *de Aëris & Alimenti defectu, & vita ſub aquis.* Non poſſum, quin ſub finem hujus tractationis mentionem faciam auiculæ, Mexicano Idiomate *Huitzitzil* dictæ, cui indoles eſt ciconiis & hirundinibus planè contraria. Hæc quia floribus viuit, delapſis his ex arboribus, aliisue plantis, affigit ſeſe roſtello ſuo arborum truncis, manetque per ſex menſium decurſum immota prorſus, referente *Piſone* L. I. *Hiſt. Ind. Med.* c. 22. ex *Ximene.* Frigidus namque noſter aër, uti ciconiis noſtris & hirundinibus eſt inimicus, ita auiculæ huic æſtiuus calidus.

Quod inprimis nos in admirationem rapere debet, & ad DEI Creatoris laudes excitare, eſt ille inſtinctus, quo præcisè feruntur eò aues, ubi vitam ſuſtentare queunt, (ex priori hypotheſi inprimis,) viam quærunt, inueniunt, & tamen neſciunt. *Quis non cum admiratione videat ordinem & politiam peregrinantium auium, in itinere turmatim volantium per longos terrarum & maris tractus absque acu marinâ? Quis eas certum iter in aëris mutabili regione docuit? Quis præteritæ ſigna, & futuræ indicia? Quis eas ducit, nutrit, & vitæ neceſſaria miniſtrat? Quis inſulas & hoſpitia illa, in quibus victum reperiant, indicauit? Modumque ejusmodi loca in peregrinationibus ſuis inueniendi? Hæc ſanè ſuperant hominum captum & induſtriam, qui nonniſi longis experientiis, multis itinerariis, chartis geographicis, & acus magneticæ beneficio ejusmodi marium & terrarum tractus conficere tentant & audent. Lud. de Beaufort Coſmop. Diuin. Sect. 5. c. 1.*

Quatuor generum aues denominat DEUS per Jeremiam, quarum ordinatos, voluntati ſuæ & legibus reſpondentes præcisè motus erroneis & inordinatis populi ſui rebellis motibus ac viis opponit. Prima eſt חֲסִידָה *ciconia,*

quæ etiam *Ariſtotele* teſte *Hiſt.* L. VIII. c. 16. ſeſe occultat hyeme, φωλεῖ. *Petronio* cluet

Auis exul hyemis, titulus tepidi temporis.

Qui migrare reuerà has aues volunt, cum *Æliano Hiſt.* L. III. c. 23. rationem dant, cur *Pelaſgi* illi populi, ab una Prouincia in aliam migrare & circulare ſoliti nuncupati fuerint πελαργοὶ, *ciconiæ*. His conferas Oengadinenſes multos, Valleſios, Madiævallenſes, Sabaudos, qui per æſtatis decurſum diuerſas ſalutant regiones victum quæſituri & operâ manuum lucraturi, reduces hyeme. De præciſo tempore vel diſceſſus, vel reditus, nil nobis arcana naturæ rimantibus conſtat, ſed id potius, variare pro variante caloris gradu. Omnium certiſſimum id eſt, *noſſe ciconiam in aëre ſua ſtata tempora*, ἡ ἀσίδα ἐν τῷ ἀέρῳ ἔγνω τὸν καιρὸν αὐτῆς, id eſt, adeò præcisè ſeſe accommodare tempori, ac ſi noſſet illud, ſyllogizans ita ſecum: Dura ingruit hyems, inſtante gelu latibula quærunt & dormitoria ſua ranæ & ſerpentes, ergo vel fame pereundum erit mihi, vel aliorſum migrandum, vel ſomno per totam hyemem indulgendum. *Noſſe ſtata tempora* heic idem eſt, quod mouere ſe & regere juxta ordinatiſſimas DEI Creatoris Leges, ut mouetur automatum, ut *cœli enarrant gloriam DEI*, Pſ. XIX. 2. rationis incapaces.

Secunda auis, memorata in Textu eſt תּוֹר *thor*, *turtur*, LXX. τρυγὼν, de quo & Cant. II. 11. 12. *Ecce hyems præteriit, & imber ſe recipiens abiit ſibi, ac flores apparuerunt in terra, appetiuitque tempus idoneum cantui, ac vox turturis auditur in terra noſtra. (Jam enim hyems tranſiit, imber abiit & receſſit: Flores apparuerunt in terra noſtra, tempus putationis aduenit: Vox turturis audita eſt in terra noſtra.)* Ubi de migratione hujus auis videſis plura.

Tertia auis eſt סִיס *Sis*, *Hirundo*, LXX. χελιδὼν. Noſtræ Verſiones & plures aliæ *gruem*, *Kranich*, habent. De hac videatur Jeſ. XXXVIII. 14. *Garriebam non aliter quàm grus aut hirundo. (Sicut pullus hirundinis ſic clamabo.)* Auis hujus abſentia & ſuo tempore reditus nemini non noſtrum conſtat. *Homerus* in εἰρεσιώνῃ apud *Herodotum*:

Νεῦμαι σοι, νεῦμαι ἐνιαύσιος, ὥστε χελιδών.

Apud te redeo quotannis, ut hirundo.

Anacreon Od. 33.

Σὺ μὲν φίλη χελιδών.
Ἐτησίη μολοῦσα,
Θέρει πλέκεις καλίην,
Χειμῶνι δ' εἰς ἄφαντος.

Tu quidem amica hirundo,
Annuatim veniens,
Æſtate nidum texis,
Et hyeme non appares.

Teſtimonia hujus generis alia omitto, tempori parcens. Certum id eſt, diſparere hirundines autumno, redire vere, unde nuncupari meruit hæc auis ἠερινὰ, ἄγγελος ἔαρος, veris nuntius. Licet iterum nil conſtet de præciſo diſceſſus atque reditus tempore, quod variat pro varia æſtatis ratione. Citius vident Itali, aliique calidiori ſolo gaudentes populi, quàm nos; illis fauet Februarius, nobis Germanis Martius, vel Aprilis. Quicquid ſit, eſt iterum iter harum auium mechanicum, à ratione, ſed ſumma, rerum omnium directrice, præſcriptum, quæ ad longi itineris volatum aui huic conceſſit alas prælongas.

Quarta denique migratoria auis eſt עָגוּר *agur*, *grus*. De hac *Ariſtoteles Hiſt.* L. VIII. c. 12. migrare ab uno mundi extremo ad alterum, εἰς τὰ ἔσχατα ἐκ τῶν ἐσχάτων, ex Scythia ad ſcaturiginem Nili, quod & confirmant *Herodotus*, *Ælianus*, alii. Plura dici poſſent de gruum expeditione, tranſitu per Pontum, præparatione ad iter, itinere ipſo per ſupremam aëris regionem, acie triangulari, ſollicitis viæ ducibus; ſed his omnibus ſuperſedeo, quod infirmo traditionis incertæ ſtent talo, illuſtrando Textui minus quadrent, & aues ipſæ Europæis nobis minus ſint cognitæ. Id ſilentio præteriri nequit, proponi à Propheta noſtro gruem, ut reliquas tres aues in imitationis exempla, imo eſſe irrationales hasce, ſed ad nutum DEI mobiles, flexiles, & motas, Præceptores noſtros, & diſciplinæ magiſtros. *Equidem ciconia in aëre nouit ſua ſtata tempora, turtur, grus & hirundo obſeruant tempus profectionis ſuæ, at populus meus non cognouit judicium DOMINI. Ariſtoteles Hiſt.* L. IX. c. 10. migrationem gruum deſcripturus initio ſtatim innuit, φρόνιμα πολλὰ καὶ περὶ τὰς γεράνες δοκεῖ συμβαίνειν. Et *Ælianus Hiſt.* L. III. c. 14. didiciſſe homines regnandi artem, τὸ κυβερνητικὸν, à gruibus; *Caſſiodorus*, ſcholam gruum frequentaſſe Mercurium; *Philoſtratus* Palamedem; unde & apud Ægyptios, *Horo* teſte, vigilans grus ſymbolum eſt viri prudentis, circumſpecti, vigilantis, volans docti & periti, ἀνθρώπε εἰδότος τὰ μετέωρα.

Jungimus auibus his migratoriis *coturnices*, quæ breuibus quidem alis, ſed fortibus muſculis pectoralibus præditæ Mare Mediterraneum certis temporibus transuolare dicuntur.

Willoughby Ornithol. p. 170.

Jer.

IER. Cap. VIII. v. 22.
Resina in Galaad.

Jer. Cap. VIII. v. 22.
Balsam in Gilead.

I. G. Thelot sculps.

Jer. Cap. VIII. verſ. 16. 17.

16. A Dan ſentietur ronchus equorum ejus, à voce hinnituum fortium (caballorum) ejus mouebit uniuerſa terra. Venerunt enim, & deuorarunt terram, & quicquid in ea eſt, ciuitatem, & qui habitant in ea.
17. Quia ecce immittam in vos ſerpentes regulos, qui incantari nequeunt, mordebuntque vos, ait DOMINUS.

16. A Dan auditus eſt fremitus equorum ejus, à voce hinnituum pugnatorum ejus commota eſt omnis terra: & venerunt, & deuorauerunt terram, & plenitudinem ejus: urbem & habitatores ejus.
17. Quia ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio: & mordebunt vos, ait DOMINUS.

DE *equo* DEUS inter alia ad Jobum. XXXIX. 19. 20. *Num collo ipſius hinnitum accommodabis? — cujus nares etiam ferociam ſpirant.* (22. 23. *Num circumdabis collo ejus hinnitum? gloria narium ejus terror.)* Apud Jobum æquè ac Prophetam noſtrum occurrit vox נַחַר *nachar*, quæ certò ſignificat *ronchum*, *fremitum*, ex naribus ſcilicet equi. Eſt is χεμετισμὸς Græcis, Φειμαγμὸς *Lycophroni* in *Caſſandra*, Φύαγμα aliis. *Suidas:* Φύαγμα, ἡ τῶν ἵππων καὶ ἡμιόνων διὰ μυκτήρων ἠχὴ, ἀγρίῳ Φυσήματι ἐκπίπτουσα. *Fremitus eſt ſonus, qui ex equorum & mulorum naribus cum feroce flatu procedit.* Reddunt LXX. סוּסָיו נַחֲרַת Φωνὴν ὀξύτητος ἵππων αὐτοῦ. Legerunt nempe illi נַחֲרַת *nachadath* pro נַחֲרַת *nacharath*, à חָדַד *chadad*, *acui*. Sed Lectionem hanc ſufficientibus rationibus explodit *Bochartus* in *Hierozoico*.

Meminit porrò Propheta *ſerpentium regulorum, qui incantari nequeunt.* De his vide Pſal. LVIII. 5. 6. Eccleſ. X. 11. & de צִפְעוֹנִים *tſiphonim* Prov. XXIII. 32.

TAB. DCXXV.

Jer. Cap. VIII. verſ. 22.

Num reſina nulla eſt in Galaad? Num Medicus non eſt iſthic? Cur ergo non obducitur cicatrix filiæ populi mei?

Nunquid reſina non eſt in Galaad? aut Medicus non eſt ibi? quare igitur non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei?

FUit Gileaditica Regio non ſolùm montoſa, pecoribus diues, ſed celebrata quoque *balſamo*. Ubi alti montes, ibi abundant aromaticæ plantæ. *Iſmaelitarum, venientium è Gilead, Cameli ferebant aromata, reſinam* (balſamum) *& myrrham*, Gen. XXXVII. 25. Et Jer. XLVI. 11. legitur comminatio DEI contra Ægyptum: *Aſcende in Gilead, & reſinam accipe, o virgo filia Ægypti.* Ab Hebræo צְרִי *tſri*, vel צָרִי *tſari* deſcendit fortè Græcorum ῥητίνη, Latinorum *reſina*, fortè & Germanorum *Hartz*. An verò heic צְרִי ſit verus & nobilis ille balſami frutex, qui Orientale dat *Opobalſamum*, dubitare licet, quod ex profanis Scriptoribus, *Strabone* L. XVI. *Diod.* L. XIX. *Trog.* L. XXXVI. *Joſeph. Antiqu.* L. IV. c. 3. *Belli Jud.* L. V. c. 4. *Hegeſippo* L. IV. c. 17. & Rabbinis conſtet, creuiſſe fruticem illum ex hac Jordanis parte, prope Engadi & Jericho, & non trans Jordanem in Regione Gileaditica; & ex Gen. XXXVII. 25. innotuiſſe jam temporibus Patriarchæ Jacobi τὸ צְרִי, balſami autem fruticem Solomonis æuo Judææ ex Arabia Felici illatum, teſtetur *Joſephus Antiq.* L. VIII. c. 2. Vero proin eſt ſimilius, intelligendum eſſe alium quendam reſinoſum ſuccum ex Plantis Gileaditicis, vel ex variis ſuccis & oleis compoſitum balſamum, ibi paratum, & inde ob egregios uſus aliorſum transferri ſolitum, ut hodienum obuia ſunt paſſim hujus-

modi vel balſamorum vel aliorum remediorum ab urbibus vel regionibus denominatorum exempla. Facile proin ſuperſedere poſſumus deſcriptione *Balſami veri* I. B. *Balſami Syriaci Rutæ folio* C. B. reperiunda unà cum icone ad Gen. XXXVII. 25. & Exod. XXX. 34. 35.

Sed non pigebit Lectorem aſpicere in præſenti Tabula Icones nonnullorum balſamorum ex præſtantiſſimis Occidentalibus.

A. *Balſamum ex Peru.* I. B. duplicis eſt generis; præſtantior liquor ex inciſa arbore & cortice extillat, tenax, albidior: vilior eſt, qui coctione elicitur, melleæ conſiſtentiæ, coloris rubro-fuſci: odor fragrantiſſimus ſtyracis, ſapor ſubacris: flammam facile concipit igni admotus: aquæ injectus fundum petit. Arbor ipſa, Mexicanis *Hoitziloxitl* dicta, Mali medicæ magnitudine eſt, foliis Amygdali, majoribus tamen, rotundioribus, & magis acuminatis, floribus in extremis ramorum flagellis luteis, ſeminibus candicantibus oblongis, & pauliſper contortis.

B. *Balſamum de Tolu* I. B. *Balſamum Tolutanum, foliis Ceratiæ ſimilibus, quod candidum eſt.* C. B. Arbor plurimos ramos quaquauerſum ſpargit, foliaque Ceratiæ ſimilia obtinet, ſemper virentia. Liquor ipſe colore eſt rubro ad aureum tendente, mediæ conſiſtentiæ, glutinoſus admodum, ſaporis dulcis & grati, odoris fragrantiſſimi.

C. *Copaiba Pis. Marcgr. Arbor balſamifera Braſilienſis fructu monoſpermo. Balſamum certarum quarundam plantarum, quas Copaibas vocant Braſiliani.* I. B. Arbor eſt ſatis procera, lignum miniacei coloris, duritie fagino æquale. Folia ſubrotunda 4. aut 5. digitos longa, 2. vel 2½. lata in pediculis digitalibus craſſis. Flos mediocris pentapetalos. Fructus eſt ſiliqua obrotunda, magnitudine digiti, fuſca, continens nucleum Auellanæ magnitudine & figura, cuticula nigra membranacea tectum, nucleus conſtat carne lenta, ſaporis haud manifeſti. Oleum eſt limpidiſſimum, conſiſtentia & odore olei terebinthini deſtillati.

D. *Balſamum fructu racemoſo ex Hiſpaniola.* C. B. *Balſamum nouum fructu racemoſo* I. B. *Beaume nouveau.* Ad duorum hominum proceritatem aſſurgit, caulibus cinereis, foliis viridibus grandibus, pediculis rubeſcentibus. Fructus eſt racemoſus longus, inſtar manus digitatæ; acini rari, virentes, matureſcendo magis & magis rubeſcentes.

Jer. Cap. IX. verſ. 15.

Propterea ſic dicit DOMINUS Exercituum, DEUS Iſraelis. Ecce, ego cibabo populum iſtum abſinthio, potaboque eos aquis fellitis.

Idcirco hæc dicit DOMINUS Exercituum, DEUS Iſrael: Ecce, ego cibabo populum iſtum abſynthio, & potum dabo eis aquam fellis.

SImilis extat comminatio Jer. XXIII. 15. Antiſtitibus Hieroſolymitanis facta: *Ecce, ego cibo eos abſinthio, & potabo eos aquis fellitis.* Et Jer. VIII. 14. querulæ leguntur voces populi calamitatibus multis preſſi: DEUS *noſter compeſcuit nos, & potum nobis dedit aquam fellitam.* LXX. ita reddunt Textum noſtrum: Ἰδὲ ἐγὼ φωμίζω αὐτὲς ἀνάγκας, καὶ ποτιῶ αὐτὲς ὕδως χολῆς. *Tremellius* & alii מֵי־רֹאשׁ vertunt *aquam cicutæ.* Eſt ſanè רֹאשׁ herba, eaque noxia. Conſtat id ex Hoſ. X. 4. *Germinabit ceu abſynthium* רֹאשׁ *in ſulcis agrorum. (Germinabit quaſi amaritudo judicium ſuper ſulcos agri.)* Clarum id, ſub abſinthii, vel cicutæ, vel aquæ fellitæ ſymbolo comminari DEUM rebelli populo pœnas grauiſſimas, internecinas. Quadrat huic ſcopo magis *cicuta*, quàm *abſinthium*: hujus ſeu infuſum in vino vel aqua uti eſt ſanitati proficuum, imò in deliciis multis, ita illius ſuccus ingratus, fœtens, venenatus. *Cicuta venenum eſt publica Athenienſium pœna inuiſa. Plin.* L. XXV. c. 13. Experimentum notum in Socrate factum. Maſſiliæ quoque pœnam hanc in uſu fuiſſe teſtis eſt *Valer. Maxim.* L. XXI. c. 6. Conſtat autem venenum hocce particulis acerrimis ſalino-ſulphureis, quæ fibras corporis arrodunt, erodunt, motum ſanguinis deſtruunt, & totum corpus neci tradunt. Legatur Χαριεσάτη *Wepferi* aureus *de Hiſtoria ac noxis Cicutæ* Tractatus. *Aqua fellita* nemini eſt mortifera. Sed heic duro nodo durus debebat applicari cuneus. Populus adeò immoriger, qualis Judaicus fuit, debebat non potari duntaxat amaritudine, ſed judiciis pœnisque grauiſſimis conſumi. *Colligitur* id ex v. 16. *mittam poſt eos gladium, donec conſumam eos.*

Jer. Cap. X. verſ. 2.

Sic dicit DOMINUS: Viam Gentium ne diſcatis, & à cœli ſignis ne formidetis, nam Gentes ab illis formidant.

Hæc dicit DOMINUS: juxta vias Gentium nolite diſcedere, & à ſignis cœli nolite metuere, quæ timent Gentes.

FAcilis eſt homini tranſitus ab admiratione ad venerationem, &, nî probè ſibi caueat, lapſus ad idololatricum cultum. Accidit id Gentilibus, Judæis, & experimur id in dies Chriſticolæ. Sunt quælibet uniuerſi corpora, totalia & partialia, Sol omniaque ſydera, ſed quoque minimæ muſcæ, piſciculi, gramina viliſſima omniſapientis & potentiſſimi DEI opera, proin omni noſtra admiratione digna, imo & æſtimatione, reſpectu nempe habito ad Creatorem, ſed cauendum nobis, ne vel uſum, vel noxam, vel ſignificationem extendamus ultra quàm præcipit Verbum DEI reuelatum, vel ſana docet ratio, & inprimis, ne colamus illa, vel adoremus. Nobiliſſimum metallum eſt aurum, opus & donum DEI, ſed ex eo non faciendum idolum, ei non eſt litandum. Habent ſtellæ fixæ, erraticæ, & Cometæ determinatos ſuos motus. Sed non ſunt hi ipſi motus, vel ſitus, conſiderandi tanquam Scriptura, in qua præcipiatur, quod vel faciendum ſit vel omittendum, & præſignificentur futura. Talem neque ratio vult, neque Scriptura Sacra. Opera DEI ſunt Meteora qualiacunque, quæ exiſtunt, comparent, atque mouentur juxta Leges à DEO in natura poſitas, ſed non eſt extendenda eorum ſignificatio ultra limites rationis, non ad Principes naſcentes vel morientes, bella & pacem, rerum publicarum ortus vel interitus, regnorum vel & priuatorum hominum fata proſpera vel aduerſa. Signum inter & ſignatum adſit oportet naturalis nexus, qualis certè non eſt Cometam inter, vel Meteorum igneum, & bellum venturum, ſed quidem pluuiam inter & crepuſculum matutinum. Quinimò ab hujusmodi prognoſticationibus frequenter & ſeriò nos dehortatur Scriptura Sacra, tanquam à turpiſſima idololatria. *Sic dicit* DOMINUS per Prophetam, *viam Gentium ne diſcatis, & à cœli ſignis ne formidetis, nam Gentes ab illis formidant.* LXX. τάδε λέγει ΚΥΡΙΟΣ. Κατὰ τὰς ὁδὸς τῶν ἐθνῶν μὴ μανθάνετε, καὶ ἀπὸ τῶν σημείων τῦ ἐρανῦ μὴ φοβεῖσθε, ὅτι φοβῦνται αὐτὰ τοῖς προσώποις αὐτῶν. Fecerat impius ille Rex Manaſſe, *quod diſplicuit* DOMINO, *juxta abominationes Gentium*, 2. Reg. XXI. 2. & v. 6. *vacabat arti ariolandi, & auguriis. (ariolatus eſt, & obſeruauit auguria.)* Extra controuerſiam id eſt, malitiam hominum ſequi grauia pariter & juſtiſſima DEI vindicis judicia. Sacer Codex veritatis hujus nos reddit certiſſimos, ut ſignis extraordinariis haud opus ſit. Eſt quilibet ex Miniſtris Verbi Diuini Zelotes Propheta, annuntians nobis voluntatem DOMINI, & judicia exterminatiua prænuntians, ſed ex Verbo DEI. Ponderoſa ſunt Saluatoris noſtri verba Luc. XVI. 31. εἰ Μωσέως καὶ τῶν προφητῶν ἐκ ἀκέσουσιν, οὐδ ἐάν τις ἐκ νεκρῶν ἀναςῇ, πεισθήσονται. Non proin hi, vel minus adhuc, credent, aut ſeſe conuertent, quamuis Cometa comparuerit in cœlo, vel qualecunque Meteorum in aëre. Proſtrata ſic videas veluti fulminis ictu inania multa, ridicula & ſcandali plena, quæ inſeri ſolent Calendariis de effectibus Eclipſium, de dierum ſelectu pro venæſectione, ſcarificatione, unguium reſectione, imo tota tempeſtatum πρόγνωσις. Sunt hæ reliquiæ vetuſtiſſimæ illius, ſed turpiſſimæ, Gentilium idololatriæ, in quam adeò acriter & toties inuehitur ſanctiſſimus DEUS. Sunt Eclipſes, & Planetarum ſyzygiæ, conjunctiones, & oppoſitiones, ex quibus Calendariographi ſua hauriunt prognoſtica, nihili prorſus timendæ, utpote quæ Legibus Naturæ ſunt ſubjectæ, & nullo cum tempeſtatibus noſtris nexu junctæ. Habuere utique, quod metuerent, Ægyptii ex tenebris illis plusquam cimmeriis, & Judæi pariter atque Gentiles ex ſtupenda illa trium horarum Eclipſi, quæ crucifixo CHRISTO totum inuoluerat orbem. Ibi omnia fiunt juxta ordinarias Naturæ Leges, heic contra & ſupra eas. Imo verò obſidere nos deberet terror & metus, ſi, quæ contingere deberent Eclipſes, haud contingerent. Animaduertendum heic probè, non prohiberi in Textu noſtro Aſtronomiam, quæ pars eſt Matheſeos omni laude & attentione digniſſima, ſed quidem putidam illam Aſtrologiam judiciariam. Non dicit, cauete, ne diſcatis Aſtrorum, vel ſignorum cœleſtium ſcientiam, ſed, *à cœli ſignis ne formidetis.* Commendatiſſima fuit Judæis Aſtronomia ante Legem, & ſub ea, imo neceſſaria, pro Feſtorum computo. Excoluere Aſtronomiam Sethitæ jam ante diluuium, & obſeruationes ſuas reliquerunt poſteris, in binis columnis expreſſas, ſi *Joſepho* fides *Ant.* L. I. c. 3. & Canaanitidi prius, dehinc Ægypto, *ſideralis ſcientiæ peritiam* induxit Abrahamus, eodem Scriptore teſte *Ant.* L. I. c. 8. & *Beroſo.* Sed ut veritati comitem ſe præbent mendacia, certitudini errores, ita in Orientalibus Regionibus maturè ſeſe utiliſ-

ſimæ Aſtronomiæ aſſociauit putidiſſima Aſtrologia, quæ mox totum inundauit Orientem, &, priori illa penè proſcripta penitus, inundat adhuc, ut hodienum Indi, Perſæ, Turcæ, aliæue Orientis Gentes *à cœli ſignis* adeò *formident*, ut absque Aſtrologorum conſilio neque matrimonia contrahere, neque itinera ſuſcipere, neque alias res gerere audeant. Nil mirum, ſi ad Eclipſeos Lunaris vel Solaris, totalis inprimis, conſpectum *formidine* corripiatur Aſtronomiæ ignarus, vel & populi turba integra. Et ſanè extant paſſim in Gentilium Annalibus exempla magnorum moliminum, quæ tali occaſione abiere in fumos, animi militibus ſublati, fugatorum hoſtium, neglectæ victoriæ. Fortunâ fauente poterat *Cyaxares*, aliàs *Aſtybarus* & *Artabanus*, Medorum Rex, circa A. M. 3311. proſequi victorias contra Scythas, ni ab Eclipſi territus deſtitiſſet, pace ſecutâ & fundatâ matrimonio *Aſtyagis*, Cyaxaris filii, cum *Ariena Halyattis* filia. *Nicias*, Athenienſium Imperator fortis, ab expeditione contra Siculorum Tyrannum *Dionyſium* deterritus occaſione Eclipſeos Lunaris perſuaſerat ſuis, fore ante abſolutam nouam Lunæ periodum molimina omnia vana, interea autem temporis, dum Diis ſuis ſacrificabat, anſam Syracuſanis dederat, perditas jam ante urbes & portus recuperandi. Accidit A. 1668. ut Perſæ Coſaccos debellaturi claſſem parauerint nauale in Caſpio Mari. Sed diſſuaſerant expeditionem venerabiles Aſtrologi, quòd Luna eſſet in Scorpionis ſigno infauſto, & populo à Coſaccis oppreſſo, auxilia à Perſis poſtulanti, & ſolatia miſeris, non aliud datum fuit reſponſum, quàm hoc, *Kamerbe Akrebeſt, eſt Luna in Scorpione. Chardin Voy. de Perſe* T. V. p. 148. Priora, & antiquiora, quæ retuli, exempla legas in *Chevreau* T. I. L. I. c. 10. *des Rois des Medes*, p. 78. & *Plutarcho Vita Niciæ*. Sed extant quoque illuſtria exempla inſignis uſus, quem ex Aſtronomiæ peritia traxerant magni Imperatores, quod *à cœli ſignis haud formidauerint*. Milites ſuos quum viderat ex oborta fortè Eclipſi ſolari territos doctus ſimul & fortis *Pericles*, & puſillanimem ipſum nauis ſuæ Ducem, formidine liberaturus exercitum faciem ſuam pallio obtexerat, addita explicatione, quod non plus metuendum ſit illis ab obſcurato Sole, quàm ab obtecta ſua facie. Vix poterat *Alexander* M. in ordinem redigere exercitum occaſione Eclipſeos Lunaris in motus tumultuarios actum, ni ab Ægyptiis Aſtronomis fuiſſet de genuina Eclipſium cauſa edoctus, uſus ſimul ſtratagemate politico, militare Solem pro Græcis, Lunam pro Perſis. *Plutarch.* & *Curt. Vit. Alexandri M.* Ita occaſione Lunaris Eclipſeos Exercitui Romano omnem metum ademit C. Sulpicius Gallus ſub Paulo Æmilio. Extat Hiſtoria apud *Liuium* L. XLIV. c. 37. ubi inter alia: *Permiſſu Conſulis, ad concionem vocatis militibus, pronuntiauit, nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora ſecunda usque ad quartam horam noctis Lunam defecturam eſſe. Id quia naturali ordine ſtatis temporibus fiat, & ſciri ante, & prædici poſſe. Itaque quemadmodum, quia certi Solis Lunæque & ortus & occaſus ſint, nunc pleno orbe, nunc ſeneſcente exiguo cornu fulgere Lunam non mirarentur, ita ne obſcurari quidem, cum condatur umbra terræ, trahere in prodigium debere. Cumque edita hora Luna defeciſſet, Romanis militibus Galli ſapientia prope diuina videri, Macedonas ut triſte prodigium occaſum regni perniciemque gentis portendens mouit.* Eadem, qua Gallus, laude dignus noui orbis inuentor & debellator *Columbus*, qui non ſolùm Jamaicenſium ſibi conciliauit gratiam, comminando Lunæ obſcurationem proxima nocte futuram, ni victum ſibi ſuisque concederent, ſed & ἀποθεώσεως reportauit honorem. Cæterùm de uſu Aſtronomiæ ad Politicam applicatiuo pulchrè *Plato* L. VII. *de Leg. Perdiſcenda ea, quæ utilia ſunt ex diuinis Aſtrorum circuitibus & Solis & Lunæ, quoniam reſpectu horum neceſſe eſt diſponere totam ciuitatem. De quibus verò? inquies. Nempe de ordine dierum in menſem, menſiumque in annum, atque ita tempora, ſolemnitates, ſacrificia, ut decet, diſpoſita naturali quodam ductu viuam ciuitatem vigilantemque reddent.* Sed de turpi Aſtronomiæ ab Aſtrologis introducto abuſu *Oecolampadius* in verba noſtri Textus: *Quid ſolent Gentes diſcere? obſeruant cœlum & aſtra ejus, & inde futura prædicunt, quæ vanitas carnis, & prorſus ethnica eſt, dedecorans populum DEI. Unde hic locus inſignis eſt contra Aſtrologos, impoſtores omnium maximos, ſcire curſum cœli, ortum & occaſum ſtellarum, è quibus temporum diſtinctio habetur, culpa caret: futura autem inde prædicere, & vim ſtellis, quam non habent, tribuere, impium eſt. — Non eſt terribile Saturni, nec mite Veneris Aſtrum.* Excuſabunt facile hanc de uſu Aſtronomiæ in Politica digreſſionem Lectores beneuoli, ſiquidem mecum ſperauerint, euigilaturos eſſe aliquando Principes Chriſtianos, & turpiſſimum hoc ἀςρομαντείας, vel potius ἀςρομανίας idolum abolituros eſſe. Habent heic quoque, quod obſeruent Verbi Diuini præcones, ſibique cauere diſcant, ne apparente fortè Cometa, vel eclipſato Sole aut Luna, pœnitentiæ tubam de pulpitis intonent, exhibendo phænomena iſta tanquam irati DEI digitum. Aliter longè Miniſtri DEI tum in Veteri, tum in Nouo Teſtamento, quàm ex noſtratibus multi. Sanè ardens zelo Jeremias Judæos haud ablegauit ad Cometas & Eclipſes, ſed quidem miſit in Scholam Naturæ ad Phænomena Naturæ ordinaria. *Timebimus*, inquit v. 24. DOMINUM, DEUM *noſtrum, qui dat nobis imbrem tempeſtiuam, & ſerotinam ſuo tempore, juramentis ſtatutis meſſem ſeruat nobis. (Metuamus* DOMINUM, DEUM *noſtrum, qui dat nobis pluuiam temporaneam & ſerotinam in tempore ſuo: plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis.)*

nobis.) Homo ſi permanſiſſet in primo innocentiæ ſtatu, nullis infeſtatus fuiſſet bellis, non contigiſſent Rerumpublicarum & Regnorum vel mutationes, vel euerſiones, non peſtis, fames, calamitates aliæ, & fuiſſent tamen Eclipſes in Sole, Luna, Joue, Cometæ. In exilium Aſtrologos tanquam partus ſpurios mittit moderna Matheſis. Ita quoque de impoſtoribus hisce ſenſerant priſcæ Eccleſiæ Patres, *Auguſtin. c. 5. L. II. contra Fauſtum, Manichæum, c. 6. L. II. contra duas Pelagianorum Epiſtolas, c. 3. Lib. Confeſſion. IV. & c. 6. Lib. Confeſſ. VII.* Saniores ipſi ex Gentilibus aſpectarunt Aſtrologiam tanquam nixam ficulneis fulcris. Legatur apud A. *Gellium Phauorini Philoſophi Diſputatio* L. XIV. c. 1. Vetabant has ipſas deluſorias artes Leges Ciuiles & Canonicæ. *Cod. L. IX. Tit. 18. In Decretis Canonicis Canones contra Aſtrologos & Mathematicos 26. Quæſt. 5. 6. 7.*

Jer. Cap. X. verſ. 12. 13.

12. Qui terram condit ſua virtute, ſapientia ſua orbem diſponit, prudentia ſua cœlos extendit.

13. Quum ille *(a)* vocem dat, ingens aquarum vis in aëre (coit), & eleuat nubes ab extremitate terræ, fulgura in pluuiam vertit, atque educit ventos de *(b)* receptaculis ſuis.

(a) Ebr. ventum.
(b) Al. de theſauris.

12. Qui facit terram in fortitudine ſua, præparat orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cœlos.

13. Ad vocem ſuam dat multitudinem aquarum in cœlo, & eleuat nebulas ab extremitatibus terræ: fulgura in pluuiam facit, & educit ventum de theſauris ſuis.

DOMINUS DEUS noſter, inquit Propheta, *terram*, globum hunc terraqu-aëreum, habitaculum noſtrum, *condit ſua virtute*, ex immenſis Nihili abyſſis produxit, & *ſapientia ſua* infinita *orbem diſponit*, (ὁ ποιήσας τὴν γῆν ἐν τῇ ἰσχύϊ αὐτοῦ, ὁ ἀνορθώσας τὴν οἰκουμένην ἐν τῇ σοφίᾳ αὐτοῦ) facto ſcilicet ſecundo die diſcrimine inter aquas inferiores & ſuperiores, eleuatâ immenſâ vaporum copiâ pro formandis nubibus, & ſeparatis tertio die aquis inferioribus à terra ſicca, concluſis intra certos limites mari, fluminibus, lacubus, terrâ porro ſicca viridibus veſtita tapetibus pro animantium & hominum uſu: quam maximæ molis ſtructuram ipſe potentiſſimus DEUS non ſolùm ordinauit ſapientiſſimè, ſed adeò ſolidauit, ut voraciſſimis etiam elementis impetuoſiſſimis ventis, ipſis quoque aquarum inundationibus eſſet inuicta: *prudentia* quoque *ſua cœlos*, æthereos, & aëreum, *extendit*, καὶ τῇ φρονήσει αὐτοῦ ἐξέτεινε τὸν οὐρανὸν, quod ſtupendi artificii ampliſſimum opus celebratum leges Pſ. CIV. 2. 3. Jeſ. XL. 22. XLII. 5. XLIV. 24. LI. 13. Job. IX. 8. XXXVII. 18.

Eſt ſpeciatim cœlum noſtrum aëreum magnificum Sapientiæ atque Potentiæ Diuinæ Theatrum. *Quum ille vocem* tonitruantem, & ventoſam, *dat, ingens aquarum vis in aëre coit*, colligitur πλῆθος ὕδατος ἐν οὐρανῷ, condenſantur diſperſæ per atmoſphæram veſiculæ aqueæ in atras *nubes*, quæ *eleuantur ab extremitate terræ*, ἀνήγαγε νεφέλας ἐξ ἐσχάτου τῆς γῆς, ex omnibus terræ punctis, vallibus, montibus, campis, maribus, fluminibus, fontibus, *fulgura in pluuiam vertit*, ἀστραπὰς εἰς ὑετὸν ἐποίησε, ita nempe, quod rarefactus à fulguribus aër bullulas aqueas ſuſpenſas tenere diutius nequeat, ſed hæ ad inuicem alliſæ & fractæ guttarum formâ decidant. *Educit ventos de receptaculis ſuis*, ita Theodoretus, ſed LXX. ἐξήγαγε φῶς ἐκ θησαυρῶν αὐτοῦ, *eduxit lumen ex theſauris ſuis*, de quibus vel ventis, vel lucis emanationibus alibi plura.

Jer. Cap. XII. verſ. 8. 9.

8. Facta eſt mihi hæreditas mea ſicut Leo in nemore, edidit contra me vocem ſuam, unde & odio eam proſequor.

9. Hæreditas mea auitium varicolor eſt mihi, auitium per circuitum contra eam eſt. Congregate omnes feras agri, efficite, ut veniant & deuorent eam.

8. Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi Leo in ſylua: dedit contra me vocem: ideo odiui eam.

9. Nunquid auis diſcolor hæreditas mea mihi? Nunquid auis tincta per totum? Venite, congregamini, omnes beſtiæ terræ, properate ad deuorandum.

FRequentiſſimè occurrit in Sacris *Leo*, animal Orientalibus Regionibus familiare, allegaturque in bonam & malam partem, prouti id occaſiones vel res conferendæ poſtulant. Summus ipſe DEUS comparatur paſſim Leoni. Contra me *ceu Leopardus*, Leo, *venis*. Job. X. 16. CHRISTUS cluet λέων ἐκ τῆς φυλῆς Ἰούδα. Apoc. V. 5. Cherubinis ſeu Angelis eſt *facies Leonis ad dexteram*. Ezech. I. 10. Apoc. IV. 7. De fidelibus Solomo Rex, *juſti ut Leones confidunt*. Prov. XXVIII. 1. Leones vocantur viri fortes, Heroes. *Saul & Jonathan velociores fuerunt aquilis, fortioresque Leonibus*. 2. Sam. I. 23. Reges. *Ceu fremitus Leonis eſt ira Regis*. Prov. XIX. 12. Iſraelitici populi præpotentia deſignatur ſymbolo Leonis. Num. XXIII. 24. *En populus ille conſurget ut Leæna, & veluti Leo ſeſe eriget*. Speciatim verò tribus Juda, Gen. XLIX. 9. Gad, Deut. XXXIII. 20. Dan, Deut. XXXIII. 22. Hieroſolyma urbs, Jeſ. XXIX. 1. Sed quoque eſt Leo Diaboli ſymbolum, 1. Petr. V. 8. ὁ ἀντίδικος ὑμῶν Διάβολος, ὡς λέων ὠρυόμενος, περιπατεῖ, ζητῶν, τίνα καταπίῃ. Hoſtium DEI & Eccleſiæ, Job. IV. 10. 11. *Rugitus Leonis, & vox Leopardi comprimitur, & Leunculorum dentes excerpuntur. Perit Tigris inopia prædæ, catulique Leænæ diſſipantur. (Rugitus Leonis & vox Leænæ, & dentes catulorum Leonum contriti ſunt. Tigris periit, eo quod non haberet prædam; & catuli Leonis diſſipati ſunt.)* Tyrannorum Prov. XXVIII. 15. *Ceu Leo rugiens, & Urſus cum fremitu diſcurrens, eſt Princeps impius pauperculæ plebi. (Leo rugiens, & urſus eſuriens, princeps impius ſuper populum pauperem.)* Et in ipſo Textu noſtro rebellis erga DEUM populus, atque blaſphemo veluti ore rugiens depingitur figurâ Leonis. *Facta eſt mihi hæreditas mea ſicut Leo in nemore, edidit contra me vocem ſuam, unde & odio eam proſequor.* Ἐγενήθη ἡ κληρονομία μου ἐμοὶ ὡς λέων ἐν δρυμῷ, ἔδωκεν ἐπ' ἐμὲ τὴν φωνὴν αὐτῆς, διὰ τοῦτο ἐμίσησα αὐτήν. Sic & Zeph. III. 3. *Proceres ejus ſunt in ea Leones rugientes. (Principes ejus in medio ejus, quaſi Leones rugientes.)* Doctores Eccleſiæ, ſi officio ſuo haud defungantur, Ezech. XXII. 25. *Conjuratio Prophetarum ejus in medio ejus, ſicut Leo rugiens, & qui prædam rapit, comederunt animam: opes, & quicquid pretioſum eſt, acceperunt, atque viduas ejus multiplicauerunt in medio ejus. (Conjuratio Prophetarum in medio ejus: ſicut Leo rugiens rapiensque prædam, animas deuorauerunt, opes & precium acceperunt, viduas ejus multiplicauerunt in medio illius.)*

Verſ. 9. occurrit vox צְבוּעַ *tſabbua*, quæ non ab omnibus eodem ſumitur ſenſu. *Fuller. Miſcell.* L. VI. c. 19. ſumit vel pro lupo cinereo aut rufo, vel pro omni beſtia rapaci, quæ ab aliorum animalium diſcerptorum ſanguine veluti tingitur, à צָבַע *tſabha*, *tingere*. Sed oſtendit *Bochartus Hieroz.* P. I. L. III. c. 11. eſſe צְבוּעַ propriè *Hyænam*, lupi orientalis ſpeciem, quoniam עַיִט צָבוּעַ à Græcis reddatur σπήλαιον ὑαίνης, *ſpelunca hyænæ*, & ſic quoque 1. Sam. XIII. 18. גֵּי הַצְּבוֹעִים, φάραγξ τῶν ὑαίνων, *vallis hyænarum*: ipſi quoque Arabes beſtiam hanc vocent *dſabuon*, barbari Scriptores *zabo*, *akabo*, *debuh*, *debuth*, *dabath*, *dhoboah*. *Meninzki* legit *zæbu*, *zubu*, *zyb-anet*. *Lexic.* p. 3029. Eſt, quod ad rem præſentem facit, beſtia hæc, *Oppiano* teſte, ϛικτὴ, *maculoſa*, *Cyneget*. L. III.

— ἔβραπται δέμας αἰνὸν
Κυανέαις ἑκάτερθεν ἐπίτριμα ταινίασιν.

— *Cutis horrida corpore toto*
Cœruleis denſè conſpergitur undique vittis.

Eſt & *Gulonis*, quæ etiam lupi vel hyænæ & in ſeptentrionalibus degentis eſt ſpecies, pellis commendata propter colorum varietatem & elegantiam. Dicitur & ipſa hyæna colores mutare in oculis. *Plin.* L. VIII. c. 30. *Oculis hyænæ mille ſunt varietates, oculorumque mutationes.* L. XI. c. 37. *Hyænæ oculi in mille colores transeunt ſubinde*. Hinc & Hypocrita Hebræis צְבוּעַ dicitur, quia ſimulare & diſſimulare nouit, aliud ſeruare animo, aliud linguâ proferre.

Ὃς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρέσιν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

Noſtræ

IER. Cap. XIII. v. 23.
Æthiopis cutis, maculæ Pardi.

Jer. Cap. XIII. v. 23.
Mohren Haut, Pardels-Flecken.

G. D. Heümañ sculps.

Noſtræ Verſiones, authoritate *Hieronymi* nixæ, habent *auitium verſicolor*, *einen geſprengten Raub-Vogel*. Hæreditas mea *auitium verſicolor eſt mihi, auitium per circuitum contra eam eſt*. Eſt autem *auitium verſicolor* auis tincta. Sed Verſionibus his præjudicio ſunt, quæ proximè ſequuntur verba. *Congregate omnes feras agri, efficite, ut veniant, & deuorent eam*. Ad feras agri autem pertinet hyæna, non auis varicolor. Propterea ita Textum noſtrum reddit *Bochartus: An igitur eſt fera rapax variegata* (hyæna) *hæreditas mea erga me? An eſt fera rapax circunquaque ſuper eam?* Ubi notandum, עַיִט non ſemper denotare auem rapacem, ſed & alias feras carniuoras. Sit itaque hic verborum Jeremiæ, vel DEI ipſius per Prophetam, ſenſus: Quî euenit, obſecro, ut Judæi, peculium meum, rugientium ad inſtar Leonum mihi oblatrent? Hominem exuere, hyænis facti ſimiles? Num ejusdem ſunt cum feris rapacibus indolis? Sed ego his feris opponam alias, Chaldæos nempe, qui deuorent illas.

TAB. DCXXVI.

Jer. Cap. XIII. verſ. 23.

Num mutabit Æthiops cutem ſuam, & Pardus maculas ſuas? —

Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas: —

DE nigredine Æthiopum, & Pardorum maculis, differere res eſt haud leuis indaginis, labor difficilis. Anatomes ope inquirenda venit extremarum fibrarum vix oculo armato conſpicuarum, διάθεσις, & ex Phyſicæ Mathematicæ principiis enucleanda natura colorum, difficillima omnium & abſtruſiſſima.

Eam habent præ aliis *coloribus* ἐξοχὴν *albus* & *niger*, ut juxta eos omnes penè Nationes diuidantur in albas & nigras. Ipſos quoque Ruſſos & Tartaros diſtinctos legas in albos & nigros, licet nigerrimi horum ſint coloris duntaxat oliuacei. Alborum claſſi adjudicantur Europæi, nigrorum familiæ Afri, quamuis multi ſint ex Europæis nigriores quibusdam Afris, & in Sicilia altior obtineat nigredinis gradus, quàm ſub eodem parallelo in Aſia. Libyæ & Mauritaniæ incolæ nigri ſunt, cum Europæis collati, reſpectu Æthiopum verò albi, coloris quippe fuſci. Arabes ex flauo nigri, nigri tamen cluent in Sacris. Cant. I. 5. *Fuſca quidem ſum, cæterùm amabilis, ô fœminæ Hieroſolymitanæ, ſicut tentoria Cedræorum*, ubi Chaldæus Paraphraſtes, *ut filii Chus, qui habitant in tentoriis Kedar*. Eſt & *Æthiops*, αἰθίοψ, כּוּשִׁי *cuſchi*, in Textu noſtro Arabs. Tunc temporis nempe non fuit Iſraelitis cum Æthiopibus κατ' ἐξοχὴν ita dictis commercium, ſed quidem cum Æthiopibus Aſiaticis & Ægyptiis, qui *Herodoto* cluent μελάγχροες & κλότριχες, & apud *Heſychium* αἰγυπτιῶσαι idem eſt, quod μελαίνεσθαι, *Ægyptizare, nigreſcere*. *Plautus in Pœnulo:*

Jam pol ego pugnis totam faciam, ut ſit morula,
Itaque replebo atritate, atrior multo ut ſiet
Quàm Ægyptii, aut qui cortinam ludis per circumferunt.

Eſt vera Æthiopum nigredo nitens, aſpectu grata, quæ multos ex incidentibus radiis lucis reflectit; non triſtis, ut illa noctis tenebricoſæ, diſtincta fere ab hac, ut albus ille nitensque virginum formoſiſſimarum color ab albo earum, quæ Chloroſi laborant, vel Cachexia. In cenſum Ætiologiæ venit quoque Æthiopicæ cutis teneritudo ſingularis, qualis fere eſt holoſerici: & canes illi amabiles Guineenſes, vel Thomæani, Melitæi, læues quidem, ſed attactu molles, quibus eleuatur cuticula à ſubſtrato corpore reticulari. Eſt hujusmodi canum cutis conſimilis fere illi Æthiopum, non ſicca, ſed lubricata & humectata continuo, ob tranſpirationem in illis Regionibus Æquatorealibus copioſam. Quò validior ſcilicet eſt ſanguinis & fluidi neruei in extremas cutis fibras impetus, eò implentur magis extremi tubuli ab humiditate oleoſa, eò nitentior fit cutis, ut ſanè nitentior eſt ſani & viui hominis cutis quàm mortui, vel agonizantis. De Æthiopibus id adnotandum probè, eſſe tum cuticulam, tum cutim albas, ut nobis Europæis, omnemque illorum nigredinem pendere à membrana vel plexu reticulari, cuticulam inter & cutim media, quæ ſub microſcopio formam habet retis ſubtilis, aranearum telæ ſimilis, fuligine tinctæ, conferenda commodè cum uuea oculi nigerrima. Sedem proin ſuam habet fuliginoſa hæc & oleoſa nigredo inter cuticulam & cutim, huic affixa adeò firmiter, ut neque ablui queat, neque mutari. Hinc Græcorum Prouerbium, αἰθίοπα λευκαίνειν, *Æthiopem dealbare*, de iis, qui oleum & operam perdunt, laborantes in vanum. Quò tendit quoque effatum Prophetæ: *Num mutabit Æthiops cutem ſuam, & Pardus maculas ſuas?* Εἰ ἀλλάξεται αἰθίοψ τὸ δέρμα αὐτῦ, καὶ πάρδαλις τὰ ποικίλματα αὐτῆς; Verùm

enim verò non ita planum eſt, fontem oſtendere fuliginoſi illius vel oleoſi fluidi, an exeat per oſcula excretoria glandularum cutanearum, vel extremas arteriolas, ut in veſicis arte excitatis, vel ductus adhuc ſubtiliores, quorum cutis eſt refertiſſima. Videtur autem tunc demùm induere nigrorem oleoſa hæc humiditas, quum fuit ſecreta, & in membranam reticularem depoſita; ut unus idemque nutritius ſuccus terræ in tenerrimam florum ſtructuram depoſitus heic demum colores ſuos, rubrum, flauum, cœruleum, nigrum induit. Vult *Pechlinus* elegantiſſimo *de Colore Æthiopum* Tractatu, ſubſiſtere in Æthiopis cute fermentum ſui generis, quod partes ſanguinis depoſitas ibi nigras reddat, ut vitriolum ſolutionem gallarum limpidam. Sed hæc de fermentis alterantibus exiguam inuenit fidem apud eos, qui arcana corporis humani intimius perſcrutantur. Sunt Eruditi benè multi, qui Æthiopum nigredinem tribuunt maledictioni à Noacho in Chami poſteros jactatæ, quæ tamen exerere ſeſe debuiſſet in Canaanitis, qui ſedes ſuas fixerant in Aſia & Ægypti vicinia, potius & citius quàm in Afris, & Æthiopibus, qui in his poſtremis demum ſeculis ſubacti tanquam dira mancipia deferuntur per orbem. Regnum ſanè & poſteritas Canaanis ſeſe extendit potius Babyloniam verſus & Perſiam, quàm in Africam. Illorum autem regnorum incolæ hoc atro maledictionis ſigno carent. Et, quod fusè probat *Bochartus*, Æthiopes non tam deſcendunt à Chus vel Canaane, in quem ſpeciatim maledictio fuit jacta, quàm à Lud, filio Mizrajim. Interim haud imus inficias, multis obnoxiam eſſe difficultatibus primam populorum originem, variasque diſperſiones, quæ vel ſolæ, ob mutata climata, cibos, alium Solem, peculiarem ſoli indolem colores mirè variare queunt, imo & horum pretia. Eſt Æthiopibus color niger haud minus gratus, quàm Europæis albus. Diabolum uti nos atro carbone delineamus, ita illi albâ cretâ. Utrique fortè absque fundamento. Ater an albus ſit ὁ δεῖνα, non conſtat. Inquirendæ proin aliæ, in natura potius, quàm hiſtoria fundatæ cauſæ nigredinis Æthiopum. Sunt, qui Solis intenſum accuſant ardorem, ſed parum felici ſucceſſu. Qui à Solis æſtu fuſcum contrahunt colorem, iis nimia copiâ tranſpirant fluida, cutisque exſiccata contrahitur, quum contra Æthiopes ſint repleti. Confer, ſi lubet, Feſſanos, Maroccanos, Algerinos, Hiſpanos, aliosque Mediterranei Maris accolas cum Angolanis, Guineenſibus, videbis illos à verticali radiorum ſolarium illapſu remotiores, quàm hos, & tamen ſiccioris, contractæque magis cutis. In ipſa D. Thomæ Inſula, quæ ſub Æquatore jacet, quæ degunt animalia & homines, repleta ſunt corpore, id quod tribuunt multi copioſiſſimo rori, ibi & in littoribus Guineæ deciduo quotidie: Quin imo ſunt illæ Nationes ſubæquatoreales fœcundæ admodùm, teſte vel ſolo Angolæ Regno, ex quo quotannis 15000. mancipia transferuntur in Americam. Negari id nequit, tam ad corpulentiam Æthiopum, & animalium Zonæ Torridæ, quam ad fœcunditatem & nigredinem multam conferre ſymbolam ampliſſima flumina, Zaire, Nigrum, Nilum, quæ regiones vaſtiſſimas perfluunt, quorumue vapores in aëra eleuati æſtum Solis mirè temperant. Hinc eſt, quod Ægyptii corpulentiores ſint Hiſpanis, hi verò fuſci magis quàm alii ſub eodem climate populi, ditiores aquis. Heluetii nos utriusque ſexus ſumus repleti magis corpore, & robuſti, non ſolùm propter labores, quos ſuſtinemus, ſed & propter aquas in cœlo ſoloque copioſiores. Ita nempe relaxantur fibræ noſtræ cutaneæ magis quàm vicinis aliis, & extremi tubuli à caloris ſolaris gradu, quem nobis largitus eſt optimus Creator, ampliati faciliorem dant latici ſanguineo ad extrema corporis acceſſum. Notum porrò, ab æſtu Solis non nigreſcere muros, ſaxa, ceram, lintea, ſed dealbari. Ex hactenus dictis conſtat, non Solis actioni ſoli tribui poſſe Æthiopum nigredinem, ſed potius peculiari corporum diſpoſitioni, & pluribus cauſis ſimul junctis: ſtringit argumentum eò magis, quia Americani & Abyſſini ejusdem cum Æthiopibus climatis albi ſunt, non atri, & Æthiopes ipſi in Europam Americamue delati, alio licet ſub Sole viuentes, nigrum habitum haud exuant, imo ad poſteros usque transplantent. Sanè ſi nigredo illa penderet ab æſtu Solis, Norwegi, Grœnlandi, Lappones, Samojedi, quibus nouem menſes ſunt hyemales, tres reliqui frigidi, albiſſimi colore eſſent, non fuſci. Id quod & de Americæ ſeptentrionalis extremis populis teſtantur Hiſtoriæ, de Scythis *Hippocrates Lib. de Aëre, Locis & Aquis*, §. XLVIII. πυῤῥὸν δὲ γένος ἐϛὶ τὸ Σκυθικὸν διὰ τὸ ψύχος, ἐκ ἐπιγινομένε ὀξέος τᾶ ἡλίε, ὑπὸ δὲ τᾶ ψύχεος ἡ λευκότης ἐπικαίεται καὶ γίνεται πυῤῥή. *Scytharum gens fului valde coloris exiſtit propter frigus ingens. Non enim vehemens accedit ad eos Sol, à frigore verò albedo exuritur, & fit fulua.* De hac materia plura dici poſſent, ſi loci anguſtia id permitteret. De Æthiopum conſtitutione, labiis repandis, ſimis naribus, atro colore, ſi ſpecialius quid, quàm hactenus protulimus, deſideres, adytum introeas oportet generationis, obſcurum licet & clauſum. Ex Æthiopibus enim naſcuntur Æthiopes. Aſcende, nî in via ſint obſtacula, ad Lud usque, ſi primus is fuit Æthiops. Determina, ſi potes, quomodo factus ille fuerit Æthiops? an fortè conjunx ejus Æthiopiſſa fuerit? an ea, ex atri coloris aſpectu perterrita, pepererit Æthiopes, & tales manſerint nati ex hisce? Lucem fœnerabitur forte, quod contigit circa oues Labanis & Jacobi, columba item aterrimo colore tincta per uniuerſam cutim, nata talis, quam in Muſeo meo aſſeruo. Sed obuiæ iterum venient difficultates circa

vim

vim matris primæ imaginatiuam, num tanta ea fuerit, quæ ad innumeros poſteros ſeſe extendere potuerit. Obices vides benè multos, beneuole Lector, qui difficilem reddunt veritatis inquiſitionem. Sublatis illis è medio, vel ſepoſitis ſaltem, ultra mihi progredi non licet, quàm huc; quod DEO placuerit, pro infinita ſua erga genus humanum bonitate, infinitè parua hominum rudimenta ita ordinare & diſpartiri in prima creatione, ut quæ euolui debebant ſucceſſu temporis in his illisue regionibus, dotata fuerint ſtructurâ iisdem conformi, & Æthiopes poſt demum euoluti fuerint, quàm eorum parentes, quales hi fuerint cunque, in Africam peruenerint, per vaſtiſſimas regiones diſpartiendi. Ex quo ratiocinio ſequeretur, ouula hominum in ipſis Adami lumbis diuerſi fuiſſe generis. Ita DEUM conſidero & veneror tanquam Creatorem Æthiopum, Europæorum, Scytharum: adſcribo ſupremo Numini omnia, naturæ parum vel nihil. His ita præſuppoſitis, non erit diſpartitio populorum per uniuerſum terrarum orbem effectus alicujus caſus fortuiti, ſed opus ſapientiſſimæ prouidentiæ, ordinatiſſimæ directionis, opus DEI. Planum inde fiet, translatos ex patria in Europam vel Americam Æthiopas manere tales, ut Europæi quoque, qui in Africa degunt, formam ſuam & album colorem retinent.

Par ratio eſt colorum, & ſtructuræ omnium aliorum animalium. Sunt *Pardi maculæ*, de quibus Textus, cuti concreatæ, neque abluendæ, neque mutandæ, non magis certè quàm ſpecioſiſſimi & mirè variantes teſtaceorum colores. Horum Author, Creator, & Conſeruator eſt iterum ſolus DEUS. Naturæ nullum jus. Maculas hasce vocat Propheta חַבַּרְבֻּרוֹת *chabbarbyroth*, Græci ποικίλματα, Hieronymus *varietates*. Eſt autem חַבּוּרָה, *chabburah*, propriè *liuor*, *vibex*. Depictam hanc Pardi πολύχροον cutim offendes paſſim.

Homerus de Menelao *Iliad.* ν'.

Παρδαλέη μὲν πρῶτα μετάφρενον εὐρὺ κάλυψε
Ποικίλη.

Primùm quidem Pardi pelle latum dorſum texit Variâ.

Quibus Pardi Tigridisue pellibus ex collo dorſoue pendentibus adhuc ſuperbiunt Hungari, Turcæ, Tartari, aliiue Orientales Populi. *Plin.* L. VIII. c. 17. *Panthera & Tigris macularum varietate prope ſolæ beſtiarum ſpectantur. — Pantheris in candido breues macularum oculi. Solinus: Pantheræ numeroſæ ſunt in Hyrcania minutis orbiculis ſuperpictæ: ita ut oculatis ex fuluo circulis, vel cœrula vel alba diſtinguatur tergi ſupellex. Martialis* L. I. *Epigr.* 105.

Picto quod juga delicata collo
Pardus ſuſtinet. —

Juuenalis Sat. 15.

- - - - parcit
Cognatis maculis ſimilis fera. —

Oppianus Cyneget. L. III.

Ῥινὸς δαιδαλέος, χροιὴ δ' ἐπιπαμφονόωσσα,
Ἠερόεις, πυκινῇσι μελαινομένῃσιν ὀπωπαῖς.

Cutis dædala, color lucidus,
Obſcura, crebris oculis nigricantibus.

Ab hac Pardi cute alia corpora πολύχροα nuncupata fuere παρδάλια: ut adhuc maculis inſignem *Equum* nominare ſolemus *Tigridem*. Tales deſcribit *Oppianus Cyneg.* L. I.

— ἐυτροχάλοισι περίδρομα δαιδάλλοντα,
Σφραγῖσιν πυκινῇσιν, ὁμοῖα παρδαλίεσσι.

— rotundis in orbem variantur
Denſis notis, Pardorum inſtar.

Jer. Cap. XIV. verſ. 4. 5. 6.

4. Propterea quod tellus emarcuit, quia non deſcendit (in eam) pluuia, agricolæ pudefacti caput ſuum obuelarunt.
5. Quin & Cerua, quem in agro (fœtum) peperit, reliquit, quod non ſupereſſet herba.
6. Et Onagri ſteterunt in verticibus (montium) ventum haurientes inſtar Draconum, deficientibus oculis eorum fœni penuria.

4. Propter terræ vaſtitatem, quia non venit pluuia in terram, confuſi ſunt agricolæ, operuerunt capita ſua.
5. Nam & Cerua in agro peperit, & reliquit, quia non erat herba.
6. Et Onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum quaſi Draconeſ, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba.

DEmonſtraui ſimul & celebraui plus ſemel, & inſinuare ſatis non poſſum, ſapientiſſimam aquæ, pluuiæ, niuis, nubium, fluminum, fontium per uniuerſum terræ orbem diſpartitionem, qua non ſolùm culti agri hortique, ſed quoque plantæ deſerti, & prouenientes in altiſſimis montium jugis famem ſuam & ſitim ſedare poſſunt. Eſt id Diuinæ Bonitatis κριτήριον, ſed obuia quoque ſunt tremendæ juſtitiæ τεκμήρια, quoties nempe omnipotens ille naturæ Dominus vel terræ integrum globum aquis ſubmergit, vel has illasue Prouincias inundat, imbribus nimiis & torrentibus homines & animalia ſuffocat, vel ſiccitate torret ex pluuiæ defectu, ut emarceſcant plantæ, & fibræ ob ſucci nutritii penuriam ſeſe contrahant, *agricolæ pudefacti caput ſuum obuelent, propterea quod tellus emarcuit, quia non deſcendit in eam pluuia.* τὰ ἔργα τῆς γῆς ἐξέλιπεν, ὅτι οὐκ ἦν ὑετὸς. ἠχρύνθησαν οἱ γεωργοὶ, ἐπεκάλυψαν τὰς κεφαλὰς αὐτῶν. Tangit hæc calamitas non ſolam terram & vegetabilia, ſed per conſequens animalia, ſpeciatim herbiuora: *Cerua, quem in agro fœtum peperit,* & mechanico amore fouet, *reliquit, quod non ſupereſſet herba,* καὶ ἔλαφοι ἐν ἀγρῷ ἔτεκον, καὶ ἐγκατέλιπον, ὅτι οὐκ ἦν βότανος. Parallelum lege locum Thren. I. 6. *Principes ejus ſimiles ſunt ceruis, qui non inueniunt paſcua, abeunt ante perſequentem, quod nullus ſuperſit vigor. (Facti ſunt principes ejus velut arietes non inuenientes paſcua: & abierunt absque fortitudine ante faciem ſubſequentis.)* Pergit Propheta noſter: *Et onagri ſteterunt in verticibus montium, ventum haurientes inſtar Draconum, deficientibus oculis eorum fœni penuria.* ὄνοι ἄγριοι ἔσχησαν ἐπὶ νάπας, ᾕ εἵλκυσαν ἄνεμον (addit Theodoretus, ὡς δράκοντες,) ἐξέλιπον οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν, ὅτι οὐκ ἦν χόρτος. Sunt namque DEO curæ & feræ. Pſ. CIV. 10. 11. *Emittis fontes, qui fiunt torrentes, ut inter montes decurrant, ut potent feras omnes, & onagri leuent ſitim ſuam. (Qui emittis fontes in conuallibus; inter medium montium pertranſibunt aquæ. Potabunt omnes beſtiæ agri: expectabunt onagri in ſiti ſua.)* De Draconibus, qui prægrandes ſunt ſerpentes, *Ælianus* L. II. c. 19. quod quotidie per aliquot horarum decurſum capite erecto, ὁιονεὶ ἴυγγι, *tanquam illecebrâ*, aërem hauriant, & ipſas præteruolantes fortè aues halitu attrahant. Occurrunt & alibi hujusmodi loquendi formulæ. De boue *Varro:*

Et bos ſuſpiciens cœlum, (mirabile viſu!)
Naribus aërium patulis decerpſit odorem.

Virgilius:

\- - - - - - *bucula cœlum*
Suſpiciens patulis captauit naribus auras.

Deficiunt onagrorum *oculi fœni penuria*, atrophiâ ſeſe contrahunt, quoniam humor oculi aqueus deficiens per Nuckianos Ductus haud reſarcitur, aciesque viſus ſimul læditur, quia radiis lucis difficilior, quàm antea, conceditur tranſitus.

Conjectat *Ludolf. Comm. in Hiſt. Æthiop.* p. 160. per תַּנִּין *thannin* intelligi debere non tam *Dracones*, quàm *Crocodilos*, qui perſæpe capite ultra aquæ ſuperficiem erecto aërem hauriunt, id quod commune eſt quoque Phocis, & Amphibiis aliis.

Jer. Cap. XVII. verſ. 1.

Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtylo ferreo, ungueque adamantino exaratum in tabula cordis veſtri, & in cornibus ararum veſtrarum.

Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in ungue adamantino, exaratur ſuper latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorũ.

BInis ejusdem tenoris Protocollis inſcribitur, quod quisque mortalium cogitat, loquitur, agit cunque; diuino nempe omniſcientiæ infallibili, βίβλοις ΘΕΟΥ, βίβλοις ζωῆς. Apoc. XX. 12. 15. Dan. VII. 10. & cordibus hominum, ſeu conſcientiæ Rom. II. 15. ὅιτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τὸ νόμου γραπτὸν ἐν τοῖς καρδίαις αὐτῶν, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων. *Cor* etiamſi *lapideum* ſit Ezech. XXXVI. 26. συνείδησις κεκαυτηριασμένη, 1. Tim. IV. 2. eſt tamen, manetque *peccatum Juda ſcriptum ſtylo ferreo, ungueque adamantino exaratum in tabula cordis, & in cornibus ararum.* Occurrit in Textu vox שָׁמִיר *ſchamir*, ex qua Judæi vermiculum fingunt, quo Moſes 12. Tribuum nomina pectorali inſculpſerit, & Solomon Rex marmora adeò aptè diſſecuerit, *ut in extruenda æde neque mallei neque ſecures in æde audirentur, nihil denique ferreorum inſtrumentorum*, 1. Reg. VI. 7. Sunt hæ aniles recutitorum fabulæ. Eſt שָׁמִיר lapis, isque tantæ duritiei, ut eo mediante alii etiam duriſſimi lapides queant ſcindi, ſculpi, læuigari. Sunt, & hos inter nos Tigurini, qui *adamantem* ex illo faciunt. Sed potiori jure explicabis per *Smirin*, quæ ſculpturæ, polituræ, ſciſſuræ lapidum duriſſimorum, & vitrorum inſeruit. Congruit nomen ipſum

IER. Cap. XVII. v. 6.
Myrica in Deserto.

Jer. Cap. XVII. v. 6.
Ein dürrer Baum in der Wüsten.

G. D. Heümann sculps.

ipſum *ſchamir*, *ſamir*, cum Græca voce σμίρις, *Smiris*, Germanorum *Schmergel*, & aliarum Nationum ſynonymis, reperiundis aliquando in *Lexico* meo *Foſſilium*. Hujusdem lapidis mentio quoque fit Ezech. III. 9. *Sicut adamantem*, שָׁמִיר, *qui ſilice durior eſt, reddidi frontem tuam.* Zach. VII. 12. *Cor ſuum adamantinum fecerunt, ne legem audirent.* Conueniunt in eo quidem *Adamas* & *Smiris*, quod uterque conſtet partibus duriſſimis, rigidis, quibus etiam ſaxa & metalla duriſſima cedere debent. Ubi ὡς ἐν παροιμίᾳ notandum, conferre multum ad duritiem, ſi rigidæ illæ partes densè ſint ſibi mutuò appoſitæ, unde & durius redditur ferrum, atque in chalybem mutatur, repetitâ in aquam fabrorum immerſione, & ipſum ferrum fuſum etiam vitra ſcindit. *Stylus* proin ipſe *ferreus*, de quo Propheta, erit chalybeus potius.

TAB. DCXXVII.

Jer. Cap. XVII. verſ. 6.

Erit is inſtar myricæ in deſerto, non videns bonum, quum venit, ſed inhabitabit torrida loca in deſerto, in terra ſalſa & inhabitata.

Erit enim quaſi myricæ in deſerto, & non videbit, cum venerit bonum: ſed habitabit in ſiccitate in deſerto, in terra ſalſuginis & inhabitabili.

DUbium adhuc, quid intelligi debeat per עֲרֹעֵר בָּעֲרָבָה *arar baarabbah*. Latina noſtra habet *myricam in deſerto*, ſecuta τὴν LXX. qui ἀγριομυρίκην reddunt. Sed Vernacula, *ein dürrer Baum in einer Einöde*, nudam foliis arborem creſcentem in deſerto, ſecuta Hieronymum ex Symmacho. Placet Auguſtino *Tamarix*. Certum id eſt, ſi ſpeciale genus arborum vel fruticum in deſertis locis creſcentium ſeligere velis, quæri debere vel tenuifoliam, vel præ inopia alimenti haud altè creſcentem. Conſtat id ex eo, quod DEUS per Prophetam vegetabili huic comparet v. 5. eum, *qui confidit in hominem, & carnem ponit brachium ſuum, âque DOMINO cor ejus recedit*, cujus res arenoſo nituntur fundamento, qui radices agere nequit firmas. Ad hujusmodi plantas utique referri poſſunt *Erica*, & *Tamarix*, imo & *Juniperus*, quam, pace aliorum, ſeligo, motus affinitate Turcici nominis *ær-ær*, quo frutex hic indigitatur, *Meninzk. Lex.* p. 3248. Creſcunt hi frutices locis incultis, arenoſis, qualis eſt עֲרָב *Arabia* deſerta, unde omnis campeſtris ſolitudo עֲרָבָה audit.

Talis terra infructuoſa eſt quoque אֶרֶץ מְלֵחָה *erets melechah*, *ſalſugo*, *terra ſalſuginoſa*, cujusmodi terras inuenias paſſim in Arabia, Armenia, præſertim verò ad Mare mortuum ſeu ſalſum, ubi ſtetere olim maledictæ urbes. Unde Chaldæus interpres tum noſtrum Textum, tum Pſ. CVII. 34. *Vertit terram frugiferam in ſterile ſolum (in ſalſuginem,)* לְמִלֵּחָה, eò explicat, quod Iſraelitica terra commutari debeat in ſterilem Sodomam. *Plin.* L. XXXI. c. 7. *Omnis locus, in quo reperitur ſal, ſterilis eſt, nihilque gignit. Virgil. Georg.* L. II.

Salſa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix, ea nec manſueſcit arando,
Nec Baccho genus, aut pomis ſua nomina ſeruat.

Deut. XXIX. 23. *Sulphure & ſale exurentibus uniuerſam terram ejus, ut ſeminari non poſſit, non germinante, neque exoriente in ea ulla herba, ſicut in loco ſubuerſionis Sodomæ & Aemoræ, Admæ & Zeboim. (Sulphure & ſalis ardore comburens, ita ut ultra non ſeratur, nec virens quippiam germinet, in exemplum ſubuerſionis Sodomæ & Gomorrhæ, Adamæ & Seboim.)* Zeph. II. 9. *Moab futurus erit ut Sodoma, & filii Ammon ut Gomorrha, reliquiæ urticarum, & foſſa ſalis, vaſtitasque perpetua. (Moab ut Sodoma erit, & filii Ammon quaſi Gomorrha, ſiccitas ſpinarum, & acerui ſalis, & deſertum usque in æternum.)* Augetur ſterilitas, ubi æſtu ſolis torrefacta eſt terra, ubi ſunt חֲרֵרִים, *ſiccitates*, *loca ſicca*. Nam ſale exudante licet ex ſuperficie terra ſubjacens ſali, ſi nigra ſit & bona, vinci poteſt profunda aratione & ſubuerſione, quæ culturæ ratio in Oriente frequens ſatis, teſte *Tournefort. Voy. du Levant.* Tom. II.

A. eſt *Tamariſcus Germanica* Lob. *Tamarix fruticoſa folio craſſiore ſiue Germanica* C. B. *Tamarix Germanica ſiue minor fruticoſa* I. B. Characteres expreſſi ſunt ad marginem.

B. *Tamarix altera folio tenuiore ſiue Gallica* C. B. *Tamarix major ſiue arborea Narbonenſis* I. B.

Jer. Cap. XVII. verſ. 8.

Erit ſicut arbor ad aquas plantata, radices ſuas ad riuum extendens, quæ venientem æſtum non ſentit, cujus folium viret, & in anno retentionis (pluuiæ) non erit ſollicita, nec à fructu ferendo ceſſat.

Erit quaſi lignum quod transplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas: & non timebit, cum venerit æſtus. Et erit folium ejus viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſolicitum, nec aliquando deſinet facere fructum.

ICon hæc eſt hominis, qui *fidit* DOMINO, *& cujus ſpes eſt* DOMINUS, verſ. 7. qui *nec ambulauit in conſilio impiorum, nec in via peccatorum ſtetit, nec in conſeſſu irriſorum ſedit, ſed in Lege* DOMINI *voluntas ejus. (non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit, ſed in Lege DOMINI voluntas ejus.)* Pſal. I. 1. Erit nempe hic *velut arbor plantata ſecus riuos aquarum, quæ fructum ſuum ſuo reddit tempore, cujus folium non defluit, & quodcunque ediderit, proſperè cadet; (tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum: quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo: folium ejus non defluet: & omnia, quæcunque faciet, proſperabuntur,)* v. 2. haud tenui fruticulo myricæ, aliiue plantæ in arenoſis naſcenti ſimilis, ſed latæ frondis arbor, *olea viridis*, Pſ. LII. 10. *Palma, Cedrus Libani*, Pſ. XCII. 13. non ſponte nata, ut ſolent urticæ, cardui, pyri maliue ſylueſtres, ſed *plantata* ſingulari arte in ſolo pingui, *arbor juſtitiæ, plantatio DOMINI*, Jeſ. LXI. 3. *plantata ad aquas*, ξύλον ἐνθυνὲν παρὰ ὕδατα, loco in Orientalibus Regionibus percommodo, ubi æſtu Solis torreri ſolet terra, & veluti exſugi. Arbores ut ſeſe transplantare nequeunt ſponte, ſed cibum & potum præſtolantur à benigno cœli influxu, ab aëre premente, imo DEO ipſo, ita nec homo ſtatum ſuum proſperum, juſtificationem ſuam & ſanctificationem non habet à ſe ipſo, ſed unicè pendet à miſericordi DEI voluntate. *Ego*, inquit DEUS Jeſ. XLI. 18. 19. *aperio in editiſſimis verticibus flumina, & in mediis campis fontes: deſertum verto in ſtagnum aquarum, & terram torridam in ſcaturigines aquarum. Dabo in deſerto Cedrum, Spinum, Myrtum & oleam: ponam in ſolitudine abietem, ulmum & populum ſimul. Extendit* hæc arbor *radices ſuas ad riuum*, ἐπὶ ἰκμάδα βαλεῖ ῥίζαν αὐτῆ. DEI iterum, qui arborem formauit, hoc eſt opus, non ipſius arboris, radicum nempe, fibrillarumque extenſio, cujus ope per innumera oſcula ſuccum attrahit nutritium. Ita in ſenſu altiori ſpirituali non ſunt noſtræ cogitationes ſanctæ, ſalutares, verba & opera bona, noſtra, ſed DEI, Gratiæ Diuinæ. *Deducet te* DOMINUS *ſemper, & ſaturam reddet in ſiccitatibus animam tuam, & oſſa tua ſaginabit. (Et requiem tibi dabit DOMINUS ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit.)* Jeſ. LVIII. 11. *Effundam,* inquit DEUS, *aquas ſuper ſiticuloſam, & flumina ſuper aridam, effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper germina tua, & creſcent ut inter herbas, & ſicut ſalices ad riuos aquarum, (juxta præterfluentes aquas.)* Jeſ. XLIV. 3. *Arbor*, quæ *venientem æſtum*, radiis ſuis folia, flores, fructus, truncos & ramos verberantem, in Orientalibus Regionibus torrentem, *non ſentit, cujus folium viret*, ὲ φοβηθήσεται, ὅταν ἔλθῃ καῦμα, καὶ ἔσαι ἐπ' αὐτῷ ϛελέχη ἀλσώδη, *non timebit, cum venerit æſtus, & erunt in eo propagines numeroſæ*, LXX. Hujusmodi nempe folia æſtui Solis ſufficienter reſiſtunt, partim propter denſiorem ſuam ſubſtantiam, ut Palmarum, & plerarumque Plantarum Orientalium, partim propter ſuccum oleoſo-reſinoſum, ut Cedrorum, Abietum. Quæ circumſtantia quadrat iterum homini fideli, qui ſua facit verba Jobi XIII. 15. 16. *Si me occiſurus eſſet*, æſtu perſecutionum me torrefaceret, *non expectarem, ſperarem tamen in eum. Ipſe enim & mihi ſaluti eſt.* Arbor hæc tandem *in anno retentionis pluuiæ non erit ſollicita, nec à fructu ferendo ceſſat*, ἐν ἐνιαυτῷ ἀβροχίας ὲ φοβηθήσεται, καὶ ὲ διαλείψει ποιῶν καρπὸν. Sunt nempe Orientalibus Regionibus ſicciores anni conſtitutiones, & deficientes menſibus hybernis pluuiæ, non minus fatales, atque in Europa frigidæ nimis tempeſtates. Ibi æſtu torrefactæ pereunt plantæ, ob ſucci nutritii defectum, heic gelu.

Jer. Cap. XVII. verſ. 9. 10.

9. Vafrum cor ſuper omnia & ærumnoſum eſt, quis cognoſcet illud?

10. Ego DOMINUS & cor perſcrutor, & renes exploro, ut reddam cuique juxta viam ſuam, & juxta fructum ſtudiorum ſuorum.

9. Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile: quis cognoſcet illud?

10. Ego DOMINUS ſcrutans cor, & probans renes: qui do unicuique juxta viam ſuam, & juxta fructum adinuentionum ſuarum.

Cordis nomine heic non venit machina ipſa infiniti artificii, hydracontiſterio aptiſſimè comparanda, cujus ope ſanguis ad extrema usque corporis vaſa propellitur; ſed ſumitur, ut alibi in Sacris, ita heic quoque cor pro ſede animæ & affectuum, quamuis hi propriè reſideant in mente ipſa, ſed ex cerebro protinus influant in rotam corporis primariam, cor, & exinde totum corpus in motus anomalos concitent. Eſt hoc mentale, ſi ita loqui licet, *cor*, anima hominis, cum interioribus ſuis receſſibus, obſcurato intellectu, deprauata voluntate, *vafrum*, βαθεία ἡ καρδία, ſibi imponit & aliis, imo *vafrum ſuper omnia*, doli officina, ἑαυτὸν φρεναπατᾷ, Gal. VI. 3. *Ærumnoſum*, à quouis etiam leniſſimo vento pinnaculi ad inſtar circumagi, à tentatione quauis capi, ad errores & peccata ſeduci aptum: præcipitat vafrities, imaginaria ſæpe, hominem in ſuperbiam, audacem nimis ſui viriumque ſuarum fiduciam, ſed infirmitas ipſa & ærumnoſitas in vallem miſeriarum, & deſperationem. Homo verſutus, callidus, ſibi videtur ipſi omnibus ſuffenus, omnibus par, nemini impar: quum contra debilis corde in omnibus ſibi diffidat. Illi ſaxum molare plumâ videtur leuius, huic pluma lapide illo grauior. Homo igitur, qui ſibi proximus τὸ γνῶθι σεαυτὸν adeò parùm ſibi curæ habet, ut in continua fere eccentricitate viuere amet, & omnia alia potius cognoſcere quàm ſe ipſum, anſam dat quæſtioni à DEO ipſo factæ, *quis cognoſcet illud?* τὶς γνώσεται αὐτὸν; hominem? ad quam proponens ipſe reſpondet: *Ego* DOMINUS, omniſcius, ſanctiſſimus, infinitè perfectus, & *cor perſcrutor*, & *renes exploro*. ἐγὼ ΚΥΡΙΟΣ ἐτάζων καρδίας, καὶ δοκιμάζων νεφρὲς. Ego *explorans renes & cor*, Jer. XI. 20. Ego *videns renes & cor*, Jer. XX. 12. *Explorator cordium & renum*, Pſ. VII. 10. Perſpecta ſunt DEO non ſolùm vaſcula corporis minima quæuis, ſed intimi quique cogitationum receſſus, qui ipſi intelligi heic debent per *renes & cor*. Conſtat id ex confeſſione morientis Dauidis 1. Paral. XXVIII. 9. DOMINUS *ſcrutatur omnium corda, omneque figmentum cogitationum intelligit. (Omnia corda ſcrutatur DOMINUS, & uniuerſas mentium cogitationes intelligit.)* Quinimo DEUS uti eſt ſcrutator omniſcius, ita quoque eſt juſtiſſimus, *reddens cuique juxta viam ſuam, & juxta fructum ſtudiorum ſuorum*, τὲ δοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὰς ὁδὸς αὐτῦ, καὶ κατὰ τὸς καρπὸς τῶν ἐπιτηδευμάτων αὐτῦ. Juxta has ſummæ juſtitiæ perfectiſſimas leges judicat DEUS non ſolam verbo DEI illuminatam rationem, ſed ſanam quamlibet extra reuelationis limina poſitam. Perfectus ipſe non eſſet, nî foret juſtus. Audi Epilogum Eccleſiaſtæ XII. v. ult. *DEUS in judicium adducet omne opus, cum omni occulta re, ſiue quid bonum, ſiue malum fuerit. (Cuncta, quæ fiunt, adducet DEUS in judicium pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum ſit.* Veritas hæc fundamentalis uti terrori eſt impiis, quibus in ultimo die judicii detrahetur larua, ita ſolatio piis. Serò ſapient Phryges illi, deplorabunt vafri illi & audaculi Pyrgopolynices nimiam fiduciam ſui, & miſeri antea, atque meticuloſi agnoſcent diffidentiam. Dejicientur Quercus Baſaniticæ, ſed erigetur arundo fracta.

Jer. Cap. XVII. verſ. 11.

Perdix incubat, ſed non parit (oua: ſic) qui opes parat, ſed præter æquum & juſtum. In medio dierum ſuorum derelinquit eas, & tandem in extremo ſuo ſtultus & inops eſt conſilii.

Perdix fouit, quæ non peperit: fecit diuitias & non in judicio: in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas, & in nouiſſimo ſuo erit inſipiens.

Vid. 1. Sam. Cap. XXVI. verſ. 20.

Jeſ. Cap. XXII. verſ. 14.

Qui dicit: Extruam mihi domum amplam, & cœnacula ventis peruia; excindit ſibi feneſtras, laquearia arcuata ex Cedro (facit) & (a) ſinopide pingit.

(a) Minium, unam ſpeciem coloris, pro omnibus ponit.

Qui dicit: Ædificabo mihi domum latam, & cœnacula ſpacioſa: qui aperit ſibi feneſtras, & facit laquearia cedrina, pingitque ſinopide.

CRimini ducitur Jehojakimo vanitas, quam oſtenderat in extructione & exornatione palatiorum, inopportuna admodùm: Solium is occupauerat Regium, non ut prædeceſſores ſui, Dauid & Solomon, qui abſoluti fuere Domini. Pendebat is à Pharaone, & pecunias ſi habuit ſuperfluas, inſumere poterat ſoluendo tributo annuo. *Ædificabat domum ſuam*, palatium, *non cum juſtitia, & cœnacula ſua non cum judicio, utebatur ſeruitio proximi ſui gratis, & opus ſuum ei non reddebat. (Ædificabat domum ſuam in injuſtitia, & cœnacula ſua non in judicio; amicum ſuum opprimet fruſtra, & mercedem ejus non reddet ei.)* v. 13. Commodare debebat populus, aliàs miſeriiis fractus, Tyranno labores & ſudores, ut Iſraelitæ Regibus Ægypti ad extruendas Pyramides. *Dicit, extruam mihi domum amplam,* בַּיִת מִרְוָח, οἶκον σύμμετρον, *domum menſurarum, commenſuratam*, ædem ampliſſimam, juxta leges exquiſitas Architecturæ, exactè ad menſuram factam, *& cœnacula ventis peruia*, ὑπερῶα μιπιςὰ, æſtate commoda; *excindit ſibi feneſtras*, ex ipſa æde ſacra, ut nonnulli interpretantur, quo horrendum commiſiſſet ſacrilegium. Feneſtræ hæ qualesnam illo tempore fuerint, an vitreæ, vel ſeleniticæ, vel clathratæ duntaxat, hujus loci non eſt inquirere. *Laquearia arcuata ex Cedro facit, & Sinopide pingit*, ἐξυλωμένα ἐν κέδρῳ, καὶ κεχρισμένα ἐν μίλτῳ, *contignata in Cedro, & linita in Sinopide*. Occurrit heic vox שָׁשׁר *ſchaſchar*, & redditur *Sinopis, Minium, Minien*, ſic & Ezech. XXIII. 14. *videns riuos ſculptos in pariete, imagines Chaldæorum expreſſas minio (coloribus.)* Num intelligi heic debeat *Cinnabaris* propriè ſic dicta, ſeu natiua, ſeu factitia, minium arte paratum, aliusue color ruber, forte ex Bolo, vel omnis generis colores, quibus parietes fuere picti, ſub judice lis eſt. Certum id eſt, magni olim æſtimatum fuiſſe colorem miniaceum, & ſacris uſibus adhibitum. Apud *Virgilium Pan.*

Sanguineis Ebuli baccis ac minio rubet.

Apud *Pauſaniam in Achaicis* Bacchus, τὸ τε Διονύσε ἄγαλμα ὑπὸ κινναβάρεως ἐπηνθισμένον ἐςὶ. Apud *Plinium* L. XXXIII. c. 7. ſimulacrum Jouis: *Enumerat auctores Verrius, quibus credere ſit neceſſe, Jouis ipſius ſimulachri faciem diebus feſtis Minio illini ſolitam, triumphantumque corpora: ſic Camillum triumphaſſe.* Qui ipſe Scriptor primam Minii inuentionem cum Theophraſto reponit ad Annum V. C. 249. Latina noſtra, quæ *ſchaſchar ſinopidem* reddit, *rubricæ* potius quàm Minio fauet, quæ etiam Μίλτος cognominatur. *Dioſc.* L. V. c. 111. Μίλτος Σινωπικὴ κρατίζη ἡ πυκνὴ, καὶ βαρεῖα, ἡπατίζουσα, ἄλιθος, ὁμόχρως, πολύχυτος ἐν τῇ ἀνέσει. Συλλέγεται δὲ ἐν τῇ Καππαδοκίᾳ ἐν σπηλαίοις τισὶ, διυλίζεται δὲ καὶ φέρεται εἰς Σινώπην, καὶ πιπράσκεται, ὅθεν καὶ τὴν ἐπωνυμίαν ἔσχηκε. *Rubrica Sinopica, maximè probatur grauis, denſa, ad jocineris imaginem vergens, calculorum expers, concolor cum diluitur impendio fuſilis. Effoditur in Cappadocia, ſpeluncis quibusdam, expurgataque defertur in Sinopem urbem, in qua venditur, unde cognomentum accepit. Theophraſtus:* Καὶ τὰ Σιδήρεια ἔχει μίλτον, ἀλλὰ καὶ ἡ Λημνία, καὶ ἣν καλοῦσι Σινωπικὴν, αὕτη δὲ ἐςὶ ἡ Καππαδοκικὴ, κατάγεται δ' εἰς Σινώπην. *Plin.* L. XXXV. c. 6. *Sinopis inuenta eſt primùm in Ponto, inde nomen à Sinope urbe.* Alia teſtimonia ad *Lexicon* meum *Foſſilium* reſeruo.

Jer. Cap. XXIII. verſ. 9.

Ad Prophetas, contritum eſt cor meum in medio mei, fluctuarunt omnia oſſa mea, ſimilis factus ſum viro ebrio, & viro, quem vinum incendit, à facie DOMINI, & à facie verborum ſanctitatis ejus.

Ad Prophetas, contritum eſt cor meum in medio mei, contremuerunt omnia oſſa mea: factus ſum quaſi vir ebrius, & quaſi homo madidus à vino, à facie DOMINI, & à facie verborum ſanctorum ejus.

Haud

HAud ſe Stoicum præbet Jeremias; corruptio Miniſterii ſui temporis curæ eſt ipſi & cordi, excitatque zelum pro Gloria DEI ardentem, ſociatum triſtitiâ & indignatione pia. Sed hi ipſi affectus non terminantur in mente, afficiunt, quod ſolent, corpus ipſum. *Contritum eſt cor meum in medio mei.* Συνετρίβη ἡ καρδία μου ἐν ἐμοὶ. *In mœrore cordis langueſcit ſpiritus*, Prov. XV. 13. Tanto ille afficitur mœrore, ut parum abſit, quin disrumpatur fons vitæ, ſanguine in thalamis cordis accumulato. *Fluctuant omnia oſſa*, ἐσαλεύθη πάντα τὰ ὀστᾶ μου, veluti ſedibus ſuis mota. *Oſſa ſunt contrita (humiliata.)* Pſ. LI. 10. *Cogitationes ſuæ perturbauerunt eum*, Belſchazarum, *vinculaque lumborum illius ſoluta, & genua mutuum colliſa ſunt. (Cogitationes ejus conturbabant eum: & compages renum ejus ſoluebantur, & genua ejus ad ſe inuicem collidebantur.)* Dan. V. 6. Deficiebat nempe oſſibus & muſculis fluidi neruei influxus, & ſanguinis. *Similis factus viro ebrio, & viro, quem vinum incendit.* ἐγενήθην ὡς ἀνὴρ συντετριμμένος, καὶ ὡς ἄνθρωπος συνεχόμενος ἀπὸ οἴνου. Præ angore animi, quid loquatur, quid agat, quò ſe vertat, neſcit. In anomalias vertuntur ſpiritus, quia & ſanguinis motus eſt inordinatus. Effectus heic idem, ſed cauſa diſpar, eorum, qui *obruti* ſunt *vino, errant ob ſiceram, perplexi ſunt in videndo, & vacillant in decernendo. (Qui abſorpti ſunt à vino, errauerunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignorauerunt judicium.)* Jeſ. XXVIII. 7.

Jer. Cap. XXIII. verſ. 15.

Idcirco ſic dicit DOMINUS Exercituum de Prophetis iſtis: Ecce, ego cibo eos abſinthio, & potabo eos aquis fellitis. —

Propterea hæc dicit DOMINUS exercituum ad Prophetas: Ecce, ego cibabo eos abſynthio, & potabo eos felle. —

Vid. Jer. Cap. IX. verſ. 15.

Jer. Cap. XXIII. verſ. 23. 24.

23. Annon DEUS de propinquo ego, dicit DOMINUS, & non DEUS de longinquo?
24. Num abſcondet ſe quisquam in latebras, ut eum videre nequeam? ait DOMINUS. Annon cœlum & terram ego impleo? dicit DOMINUS.

23. Putasne DEUS è vicino ego ſum, dicit DOMINUS, & non DEUS de longè?
24. Si occultabitur vir in abſconditis: & ego non videbo eum? dicit DOMINUS. Nunquid non cœlum & terram ego impleo? dicit DOMINUS.

INfinitas ſuas perfectiones manifeſtare voluit DEUS rationi noſtræ per rationem, & in reuelato ſuo Verbo. Etiam ratio videt & capit, eſſe DEUM non ſolùm DEUM *de propinquo*, ἐγγίζων, ſed & *de longinquo*, πόῤῥωθεν, qui nunc perfectiſſimo modo exiſtit, ab æterno fuit, & in omnem æternitatem erit: qui æternas hasce perfectiones non accepit ab aliis per ἀποθεώσεις, ſed poſſidet à ſe ipſo, αὐτόθεος. Eſt *prouectus* ille *ætate (antiquus dierum,)* Dan. VII. 9. omni tempore antiquior, utpote qui fuit ante creationem, qualis nunc eſt, & manſurus: nullibi incluſus, nullo loco excluſus, ubique præſens: qui omnia, quæ in uniuerſo fiunt, ſapientiſſimè regit, & potentiſſimè facit: Ens omniſcium, omnia videns, coram quo *non abſcondet ſe quispiam in latebras, ut eum videre nequeat.* εἰ κρυβήσεταί τις ἐν κρυφαίοις, κἀγὼ οὐκ ὄψομαι αὐτόν. *Cui nubes non ſunt latebræ, ut non videat. (Nubes latibulum ejus, nec noſtra conſiderat?)* Job. XXII. 14. Ens omnipræſens, quod *cœlum & terram implet.* Οὐχὶ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν ἐγὼ πληρῶ; Non extenſiuè ut materia, non ita, ut dicere poſſis, eſſe heic in terra partem DEI, aliam in cœlo. Abſint à nobis, imo longiſſimè abſint abſurdæ tales de DEO cogitationes. Eſt Spiritus, Ens indiuiſibile, indiuiſum. Omne, quod in DEO eſt, eſt DEUS. *Quo diſcedam à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si enim aſcendero in cœlum, tu ibi es: & ſi ſternam lectum meum in inferno, tu ades. (Quo ibo à Spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in infernum, ades.)* Pſ. CXXXIX. 7. 8. *Si fodiendo inferos penetrarint, illinc manus mea eos accipiet: & ſi in cœlum conſcenderint, illinc eos*

detraham. Quod ſi in vertice Carmeli fuerint abſconditi, ſcrutabor, & illinc tollam eos: & ſi ſubduxerint ſe ab oculis meis in fundum maris, inde mandabo ſerpenti, ut mordeat eos. (Si deſcenderint usque ad infernum, inde manus mea educet eos: & ſi aſcenderint usque in cœlum, inde detraham eos. Et ſi abſconditi fuerint in vertice Carmeli, inde ſcrutans auferam eos; & ſi celauerint ſe ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo ſerpenti, & mordebit eos.) Amos IX. 2. 3. Operatur DEUS ubique, eſt per conſequens ubique. Ubi virtus, ibi & τὸ eſſe. Deſpicit de cœlo, præſentiſſimus in ipſa terra, & abditiſſimis quibusque receſſibus. Operatur & eſt in corde, omnibusque corporis humani tubulis. Fluunt inde utiliſſima, ſcituque digniſſima & neceſſaria pro officiis noſtris erga DEUM, erga proximum, & nosmet ipſos, conſectaria.

Jer. Cap. XXV. verſ. 1.

Verbum, quod fuit ad Jeremiam ſuper uniuerſo populo Juda, anno quarto Jehojakim, filii Joſiæ, Regis Juda, qui annus primus fuit Nabuchodonoſoris, Regis Babylonis.

Verbum, quod factum eſt ad Jeremiam de omni populo Judæ, in anno quarto Joacim, filii Joſiæ, Regis Juda, (ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor, Regis Babylonis.)

FUndatur inter alia ἀυθεντία Scripturæ Sacræ Chronologiâ, quæ ipſa pro baſi agnoſcit Aſtronomiam. Non aliunde ſanè poſſunt conciliari loca ἐναντιοφανέα, vel controuerſiæ occurrentes ſolui, quàm ex hujus ſcientiæ genuinis & certiſſimis fundamentis. Inſpiratione diuinâ circa Populi Judaici Captiuitatem Babylonicam afflatus fuit Jeremias *anno quarto Jehojakim, primo Nabuchodonoſoris.* Sed Daniel. I. 1. *Anno tertio regni Jehojacim, Regis Jehuda, venit Rex Babel Nebuchadnezar ad Jeruſalem, & obſedit eam.* Pro ſoluendo hoc nodo ſciendum, Jehojakimum regno Juda, tradito ſibi à Pharaone Necho, præfuiſſe per 11. annos, Nabuchodonoſorem autem ſub finem anni tertii juxta Danielem, vel currente quarto juxta Jeremiam bella geſſiſſe cum Jehojakimo, Ægyptiorum Regis cliente ac tributario, eumque ſubjugaſſe. Fidem nouo huic Domino datam ſeruauerat Rex per triennium, ſeptimo demum vel octauo deſeruerat, quæ rebellio anſam dederat Nabuchodonoſori obſidendi ſecunda vice Hieroſolymam, anno 11. Jehojakimi, & Regem hunc rebellem catenis vinctum in itinere urbem ſanctam inter & Babylonem occidendi, & inſepultum projiciendi tanquam aſinum. Tres menſes poſt fuit & Jechonias, Jehojakimi filius & ſucceſſor, Babelem abductus, anno Nabuchodonoſoris ſeptimo, & poſtea Zedekias anno regni ſui exacto undecimo, Nabuchodonoſoris 18. Lucem fœneratur hujus Hiſtoriæ euolutio locis aliis, Jer. LII. 28. ubi *prima abductio* 3023. Judæorum ponitur in annum ſeptimum Nabuchodonoſoris, quo Jechonias fuit abductus, ut tanti momenti non fuerit prima illa anno tertio Jehojakimi abductio, cujus Daniel meminit, neque tetigerit niſi præcipuos Aulæ Regisque Miniſtros. Sed ſecunda abductio animarum 832. Jer. LII. 29. incidit in annum 18. Nabuchodonoſoris. Et anno 19. fuit incendio deleta *domus DOMINI, & domus Regis, atque omnes domus Jeruſalem*, & omnes ædes magnificæ v. 13. Tertia tandem abductio v. 30. Judæorum 735. facta anno 23. Nabuchodonoſoris. Ex quibus omnibus pateſcit liquidò, Jeremiam eum, de quo nunc, ſermonem dixiſſe ad populum ante primam Hieroſolymæ obſidionem, ineunte Nabuchodonoſoris Imperio.

Jer. Cap. XXIX. verſ. 10.

Sic etiam dicit DOMINUS: Poſteaquam impleti fuerint ſeptuaginta anni in Babylone, viſitabo ego vos, & ratum faciam Verbum meum bonum, ut reducam vos in locum hunc.

Quia hæc dicit DOMINUS: Cum cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos: & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum iſtum.

SI quæ ex Hiſtoriis Veteris Teſtamenti memoria & attentione digniſſima, eſt certè illa Captiuitas Populi DEI Babylonica, inprimis ejus duratio ἑβδομηκοντατετὴς, prædicta à Propheta non in hac ſola Epiſtola ſua ad Judæos in Babele captiuos, ſed quoque XXV. 12. in ſua ad urbis ſanctæ incolas habita concione. Conſtat & prolucet Prophetiæ hujus veritas & implementum ex ſequenti Calculo Chronologico.

Ab inchoante quarto anno Jehojakimi, 21. Nabopolaſſari vel Nebucadnezaris patris, vel primo Nebucadnezaris filii, Jer. XXV. 1. Dan. I. 1. 2. usque ad deſtructionem urbis & templi, incirca defluxere anni - - - 19.

Usque ad mortem Nebucadnezaris, cujus Imperio aſſignantur 43. anni, incluſis iis, quibus ejus filius Euilmerodach juxta cum conjuge Nitocri habenas Imperii adminiſtrauit, patre intellectu ſuo orbato - 24.

Anni Euilmerodachi, qui Nebucadnezare natus Jechoniam abduxerat 2. Reg. XXV. - - - - - - 2.

Anni Nerigliſſoroari, qui Nebucadnezaris fuit gener, Euilmerodachi affinis: incluſo regimine filii ejus Labor-aſſar-chadum - - - - - 5.

Anni Nabonnadi, Nabonnedi, qui filius Euilmerodachi, nepos Nebucadnezaris, Joſepho, Hieronymo, Torniello, Uſſerio, aliis perhibetur fuiſſe ipſe Belſchazar Jer. XXVII. 7. Dan. V. 2. 30. Scaligero vero, Petauio, aliis Darius Medus Dan. V. 31. ante expeditionem Cyri - - - 17.

Inde usque ad expugnatam Babelem per Cyrum, victumque Nabonnadum, vel Belſchazarem Jer. LI. Dan. V. 31. vel poſt occupatam Babelem ad mortem usque Darii Medi, qui fuit Cyaxares, Aſtyagis filius, Cyri ſocer & patruus, cui implicitus aliis militaribus expeditionibus Cyrus Imperii adminiſtrationem tradidit: adeoque ad primum annum Monarchiæ Perſicæ, ſeptennio ante mortem Cyri, Decreto captiuis Judæis nunc liberandis fauenti Esdr. I. 1. 2. Chron. XXXVI. 22. - - - 2.

Anni totius captiuitatis - 69.

Addito proin anno Monarchiæ Cyri primo obtinebimus annos - - - 70.

Jer. Cap. XXX. verſ. 6.

Inquirite quæſo & videte, ſi pariat mas. Quare ergo vidi fortiſſimum quemque virum manus ſuas more parturientis fœminæ lumbis ſuis (impingere,) & omnium facies in auriginem verſas?

Interrogate, & videte, ſi generat maſculus; quare ergo vidi omnis viri manum ſuper lumbum ſuum, quaſi parturientis, & conuerſæ ſunt uniuerſæ facies in aruginem?

MOrs etiam plantis hominibusque venit. Eſt יְרָקוֹן *jerakon*, *rubigo*, ſegetum morbus 1. Reg. VIII. 37. ſed & hominum, *aurigo*, *icterus*. Quod Iſraelitis interminatus fuit DEUS Deut. XXVIII. 22. *Percutiet te DOMINUS tumore, ardore, inflammatione, æſtu conſumente, ſiccitate, robigine, aurigine, (Percutiat te DOMINUS egeſtate, febri & frigore, ardore & æſtu, & aëre corrupto ac rubigine,)* id nunc ad literam dat effectui. Degunt rebelles juſto DEI judicio patriâ pulſi, durâ Captiuitate Babylonica preſſi, in climate æſtuoſiori. Cœlum mutant, & ſanitatem, duros patiuntur labores, graues ignominiæ excruciant animos, nimiâ tranſpiratione diffluunt corpora, abſcedit abundanter ſerum, incraſſata bilis difficulter ſecernitur in hepate, imo regurgitans inde in ſanguinis maſſam exundat per totum corpus, accedit tardior ſanguinis per portæ venam motus. Quid mirum igitur, ſi in cachexiam icteritiam prolapſi fuerint captiui? ſi malum hoc fuerit epidemicum? quod aliàs Arabiæ, Perſiæ, & Orientalibus Gentibus eſt familiare, *Auicenna teſte 4. Collig. 43. f. 74.* rarius in frigidioribus & temperatioribus noſtris climatibus, niſi fortè autumnum præceſſerit calidiſſima & ſicciſſima æſtas, cujus rei exemplum lege in Cl. *Kanoldi Breßl. Samml.* VI. *Verſuch.* p. 1946.

Jer. Cap. XXXI. verſ. 18.

Audiui planè Ephraim ſeſe in captiuitate cruciantem: Caſtigaſti me, & caſtigatus ſum ſicut vitulus non aſſuetus. —

Audiens audiui Ephraim transmigrantem: Caſtigaſti me, DOMINE, & eruditus ſum, quaſi juuenculus indomitus. —

עֵגֶל לֹא לֻמָּד *vitulus non aſſuetus, non edoctus*, eſt is, qui nondum ſubiit jugum, qui huic aſſueſcere debet multis verberibus & magno labore; ut Judaica Natio in gyrum rationis cogi debuit per Captiuitatem Babylonicam & multas numero calamitates. Modum, quo Veteres uſi ſunt, vitulos coercendi ſub jugum, edocet *Columella* L. VII. c. 3. Juuencum contumacem collocabant inter duos boues veteranos eodem ſub jugo. Sic ſi efferatus proſilit, à duobus illis inhibetur; ſi conſiſtit, duobus gradientibus obſequitur; ſi conatur decumbere, à valentioribus ſubleuatus trahitur. Sic bos cubitor, qui in medio ſulco decumbit, non ſtimulis, non ignibus, tormentisue aliis excitari ſolebat, ſed pedes vinculis obligari, ne aut inſiſtere, aut progredi, vel paſci poſſet. Sic inediâ & ſiti compulſus deponit ignauiam. Sed Jeremiæ æuo hic Romanorum mos videtur fuiſſe ignotus. Stimulis & verberibus cogebant Judæi juuencum contumacem ad officia. Hujusmodi vel baculum vel ſtimulum vocabant מַלְמַד *malmad* à לָמַד *lamad*, *diſcere*, Talmudiſtæ מַרְדַּע *marda*. Hujusmodi *ſtimulo boum percuſſerat Samgar, filius Anath, ſexcentos viros in Paleſtina*, Jud. III. 31. Schola hæc eſt, in qua præceptorem agit & actorem ruſticus, diſcipulum ſtupidum pecus, quod nihilominus variis mediis ad officia cogi poteſt, & exemplo eſt duro illi mortalium generi, qui nec perſuaderi ſe patiuntur bonis verbis, nec vi cogi ad officia, pejores *vitulis indoctis*, & indomitis.

Jer. Cap. XXXI. verſ. 29. 30.

29. In diebus iſtis non dicent ultra: Patres comederunt uuam immaturam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.

30. Sed unusquisque in iniquitate ſua morietur, & quicunque comederit uuam acerbam, illius dentes obſtupeſcent.

29. In diebus illis non dicent ultra: Patres comederunt uuam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt.

30. Sed unusquisque in iniquitate ſua morietur: omnis homo, qui comederit uuam acerbam, obſtupeſcent dentes ejus.

EX collatione Ezech. XVIII. 2. conſtat, prouerbium hoc fuiſſe Judæis: *Patres comederunt labruſcam (uuam acerbam,) & dentes filiorum obſtupeſcunt.* οἱ πατέρες ἔφαγον ὄμφακα, καὶ οἱ ὀδόντες τῶν τέκνων ἐγομφίασαν. Hoc nempe prouerbio uſi ſunt, quoties à DEO grauibus calamitatibus preſſi ſibi ipſis videbantur innocentes, luere pœnas debitas parentibus. Dant hæc loca anſam loquendi de ſapore acido & acerbo, ejusque operatione in dentes. Conſtat ſapor omnis hujusmodi partibus, quæ in lingua, præcipuo guſtus organo, certam faciunt impreſſionem, per conſequens & in animo dulcedinis, amaritiei, acrimoniæ acidæ, ſalſæ, aliarumue qualitatum excitare valent ideam. Sed quonam præcisè modo figuratæ ſint hæ particulæ, difficile admodum eſt dictu. Obtinet tamen conjectura locum in rebus, quæ viſus quidem aciem effugiunt, attamen aliorum ſenſuum organa feriunt. Juxta *Williſium acida* conſtant particulis hamatis, recuruis, quæ fibris linguæ infixæ eas contrahunt, comparandæ commodè Pectini vel Dipſaci capitulo per ſuperficiem manus ductis. *Acerba* verò, ut fructuum immaturorum, etiam conſtant partibus hamatis, ſed obtuſioribus, poros linguæ opplentibus, quæ ſemel infixæ organo guſtus inde expelli haud facile queunt, ſimiles Bardanæ ſeu Lappæ capitulis, quæ veſtibus pertinaciter adhærent. *Obſtupeſcunt* itaque *dentes* ab acidis vel acerbis, quoties hujusmodi unci gingiuas teneras corripiunt, fibras conſtringunt, quinimo dentem ipſum apprehendunt, veluti euulſuri ex ſuo alueolo. Unde Germani, *die Zähne werden mir lang.*

Jer.

Jer. Cap. XXXI. verſ. 35. 36.

35. Sic dicit DOMINUS, qui dedit Solem in lucem diurnam, Lunæ Stellarumque ordines in lucem nocturnam, qui fremere facit Mare, ut fluctibus tumultuetur, DOMINUS Exercituum nomen ejus eſt.

36. Si amotæ fuerint Leges iſtæ à conſpectu meo, dicit DOMINUS, etiam ſemen Iſraelis ceſſabit, ut non ſit gens coram me cunctis diebus.

35. Hæc dicit DOMINUS, qui dat Solem in lumine diei, ordinem lunæ & ſtellarum in lumine noctis: qui turbat mare, & ſonant fluctus ejus, DOMINUS exercituum nomen illi.

36. Si defecerint leges iſtæ coram me, dicit DOMINUS, tunc & ſemen Iſrael deficiet, ut non ſit gens coram me cunctis diebus.

CLuet altipotens, qui æternitatem, æternas perſecutiones poſſidet, nunc DEUS *Abrahami*, *Iſaaci* & *Jacobi*, nunc DOMINUS, *qui dedit Solem in lucem diurnam, Lunæ ſtellarumque ordines in lucem nocturnam, qui fremere facit Mare, ut fluctibus tumultuetur:* nunc DOMINUS *Exercituum.* LXX. cap. XXXVIII. ΚΥΡΙΟΣ, ὁ δὲς τὸν ἥλιον εἰς φῶς τῆς ἡμέρας, σελήνην καὶ ἀςέρας εἰς φῶς τῆς νυκτὸς, ὃ κερυγὴν ἐν θαλάσσῃ, ὃ ἐβόμβησε τὰ κύματα αὐτῆς, ΚΥΡΙΟΣ παντοκράτωρ ὄνομα αὐτῷ. Ibi ab operibus gratiæ, tanquam DEUS fœderis; heic ab operibus creationis, & abſoluto dominio, ut Creator, Conſeruator, Gubernator mundi tum corporei, tum politici. Firmare valet utraque conſideratio fidem & fiduciam hominum in ſupremi Numinis prouidentiam, ut ſperare poſſimus ſupra ſpem. Eſt quippe DOMINUS אֵל שַׁדַּי, ſibi & omnibus ſufficientiſſimus. De hac veritate fundamentali ut eſſemus conuicti, ipſe nobis exhibet & pro argumento inuicto ſiſtit conſtantiſſimum in perenni mutatione operum magnificorum, Solis, Lunæ, & Stellarum ordinem. Parallelum ſiſtimus locum Gen. I. 14-16. *Fiant luminaria in expanſione cœlorum, ut diſtinguant inter diem & noctem, ſintque in ſigna, ſtata tempora, in dies & annos. Et ſint in luminaria in expanſione cœlorum, ut lumen præbeant ſuper terram. Et* vi hujus effati omnipotentis *fecit DEUS duo magna luminaria, luminare videlicet majus, quod dominaretur interdiu; & luminare minus, quod dominaretur noctu, tum etiam Stellas.* Nec non Pſ. CXXXVI. 7. 8. 9. ubi triplex attendendum eſt epiphonema. *Quoniam benignitas ipſius ſempiterna eſt.*

Animus non eſt, repetere, quæ pro tenui ingenii mei modulo alia occaſione de hac materia ſcripſi. Hac tamen commodâ occaſione, quam ſuppeditat Textus prolaturus ſum nonnulla ex Aſtronomia Phyſica moderna, & ad laudem Creatoris oſtenſurus, qualianam ſint illa *ſtatuta*, *ordines*, *leges*, חָקִּים vel חֻקִּים, νόμοι, ad quorum normam reguntur corpora illa mundi totalia, & leges quidem immutabiles, quæ non *amouebuntur à conſpectu* DOMINI, DOMINO ipſo id aſſerente, & promittente.

Tale *ſtatutum* DEI eſt, quod ſex Planetæ primarii una cùm ſuis ſinguli ſatellitibus ordinatis periodis reuoluantur circa Solem, in certa ab hoc Monarcha, vel foco, diſtantia. Id in Mercurio ac Venere confirmant Phaſes Lunaribus ſimiles, ut nunc pleni ſint illi, nunc noui, nunc creſcentes, nunc decreſcentes, reſpectu noſtri: nunc etiam in ipſo Sole formâ nigrarum macularum conſpicui, nunc retrò Solem ſeſe occultent, inuiſibiles. Superiores, Martem, Jouem & Saturnum, quod ſpectat, apparent hi nobis ſemper pleni, plenior quidem Mars in conjunctione, quàm in quadraturis. De Terra idem conſtat, non unâ obſeruatione, ſpeciatim ex Parallaxi annua.

Aliud *ſtatutum* DEI, quod ſex Planetarum primariorum tempora periodica ſint in ratione ſesquialtera diſtantiarum à Sole: Diſtantiæ radices Cubicæ ex quadratis reuolutionum. Quæ famoſa *Kepleri* regula adeò eſt innumeris obſeruationibus confirmata, ut non dubitent moderni Aſtronomi adſcribere eam veritatibus ipſis mathematicis. Prolucet ea ex Tabulis ſequentibus.

Mediæ Planetarum diſtantiæ à Sole.

	Saturnus	Jupiter	Mars	Terra	Venus	Mercurius
Juxta Keplerum	951000.	519650.	152350.	100000.	72400.	38806.
Juxta Bullialdum	954198.	522520.	152350.	100000.	72398.	38585.
Ex Periodis -	953806.	520116.	152399.	100000.	72333.	38710.

Planetarum Periodi.

	Dies.	Hor.	Min. vel Menſes.	Quadrata.	Radices cubicæ.
Mercurii	87.	23.	16.	3.	9.	2. circiter.
Veneris	224.	16.	49.	7.	57.	4.
Terræ cum Luna	365.	6.	9.	12.	144.	5.
Martis	686.	23.	27.	24.	576.	8.
Jouis	4332.	12.	20.	144.	20736.	27.
Saturni	10759.	6.	36.	360.	129600.	50.

Valet eadem hæc regula non ſolùm in motibus Planetarum primariorum, ſed & ſecundariorum, ſatellitum nempe quinque Saturni, & quatuor Jouis, fundamentalis & communis toti Vortici Solari.

Statutum aliud, quod Planetæ radiis ad Solem ductis areas deſcribant temporibus proportionales, æqualibus ſemper æquales. Progrediuntur nempe ſemper Planetæ in ſuis orbitis, licet nobis videantur nunc directi, nunc ſtationarii, nunc retrogradi: celeriores quidem in Perihelio, tardiores in Aphelio. Confirmant hanc veritatem ſpeciatim Eclipſes Jouiales, quarum obſeruationes calculo præcisè reſpondent; Lunæ item motus, ſi ejus diametrum apparentem conferas cum motu apparente, & diſtantia à terra. Iisdem legibus ſubjacent Satellites Jouiales, quorum periodi ſunt, ut ſupra dictum, in ratione ſesquialtera diſtantiarum: nempe

	Dies.	Hor.	Minut.
I.	1.	18.	$28\frac{3}{4}$.
II.	3.	13.	$17\frac{9}{10}$.
III.	7.	3.	$59\frac{3}{4}$.
IV.	16.	18.	$5\frac{1}{3}$.

Diſtantiæ à Centro Jouis.

	I.	II.	III.	IV.	
Juxta Caſſinum	5.	8.	13.	23.	Semidiam. Jouial.
Borellum	$5\frac{2}{3}$.	$8\frac{2}{3}$.	14.	$24\frac{2}{3}$.	
Townlej. per Microm.	5.51.	8.78.	13.47.	24.72.	
Flamſted. per Microm.	5.31.	8.85.	13.98.	24.23.	
Ecl. Sat.	5.578.	8.876.	14.159.	24.903.	
Ex temporibus periodicis	5.578.	8.878.	14.168.	24.968.	

Par eſt ratio Satellitum Saturni

Periodi.

	Dies.	Hor.	Min.
I.	1.	21.	18.
II.	2.	17.	41.
III.	4.	13.	47.
IV.	15.	22.	41.
V.	79.	7.	53.

Diſtantiæ à Centro Saturni.

I.	$\frac{39}{40}$.	Diam. annuli.
II.	$1\frac{1}{4}$.	
III.	$1\frac{3}{4}$.	
IV.	4.	
V.	12.	

Statutum aliud, quod vires Planetarum, tum primariorum, tum ſecundariorum, centripetæ ſint reciprocè ut quadrata diſtantiarum à centro, primariorum quidem à centro Solis, ſatellitum à centris primariorum. Confirmatur iterum hæc veritas ex æquabilitate arearum, quas deſcribunt primarii circa Solem, ſecundarii circa ſuos primarios, uti & ex periodicorum motuum ratione ſesquialtera ad diſtantias. Grauitant vi hujus ſtatuti conſtanter primarii Planetæ verſus Solem, Satellites Jouiales verſus Jouem, Saturnini verſus Saturnum, Luna verſus Terram. Conſiſtit in hoc ipſo grauitas, quæ coincidit cum vi centripeta. Hæc ſi diſtinctum quid eſſet à centralibus viribus, corpora grauia ſpatio minuti ſecundi non caderent per 16. pedum ſpatium, quod experientia docet, ſed per 32. Eſt hæc ipſa grauitatio reciproca, Solis verſus omnes Planetas, Jouis & Saturni verſus ſuos Satellites, reſpondens ſemper quantitati materiæ, ſeu fluida ea ſit, ſeu ſolida. Demonſtrant hanc veritatem pendula, quibus qualiacunque corpora appenſa ejusdem ponderis æquali tempore æqualia percurrunt ſpatia in aſcenſu atque deſcenſu. Ex hisce principiis computare norunt moderni Philoſophi Newtoniani non ſolùm grauitationes ipſas, ſed & denſitates ſingulorum Planetarum mutuas, & ad Solem reciprocas.

Statutum aliud, quo Planetæ & Cometæ, in ſpatio tenuiſſimo, non reſiſtenti, vacuo ſimili, prouoluti motus ſuos continuant absque retardatione ulla, id quod atteſtantur obſeruationes Aſtronomorum modernorum collatæ cum antiquiſſimis.

Statutum aliud, quo mouentur omnia conſtanter, ſed ordinatiſſimè. Sol, Cœli Planetarii centrum, circa ſuum axin, Planetæ circa Solem, corpora quæuis partialia. Par erit ratio Fixarum, tanquam totidem Solium, Planetarum item & Cometarum, eas ambientium. Centrum autem ipſum grauitatis in cœlo planetario nullibi locari poteſt commodius quàm in Sole ipſo, utpote in quem Planetæ omnes grauitant, & quidem in puncto mathematico Solis. Nullibi proin in rerum natura dabitur quies. Sol autem ipſe licet in conſtanti ſit motu, nunquam tamen excedit centrum illud grauitatis ſuum & Planetarum. Quodſi ex modernorum Mathematicorum computo quanti-

tas

tas materiæ in Sole ſeſe habet ad quantitatem materiæ in Joue, ut 1100. ad 1. & in eadem prope ratione eſt diſtantia Jouis à Sole ad ſemidiametrum Solis, cadet commune grauitatis centrum, Solis nempe & Jouis, in ipſam ſuperficiem Solis; ſed centrum grauitatis reſpectiuum ad Solem & Saturnum infra ſuperficiem, in ipſum corpus Solis, quoniam quantitas materiæ in Sole ſeſe habet ad quantitatem materiæ in Saturno ut 2360. ad 1. & in paulò minore ratione eſt diſtantia Saturni à Sole ad ſemidiametrum Solis. Proin ſi ex una parte ponantur Jupiter & Saturnus, ex altera Sol, centrum commune his tribus corporibus à centro Solis non diſtabit ultra diametrum Solis. Imò ſi in hac magna mundi bilance ex una parte fuerint Planetæ omnes, ex altera Sol, in quibusuis aliis caſibus & aſpectibus minor erit ſemper diſtantia centri grauitatis à centro Solis. Quinimò erit hoc ipſum commune grauitatis centrum in Cœlo Planetico, in quodam motu, ut Sol ipſe.

Vi alius *ſtatuti* mouentur Planetæ ſex primarii in orbitis ellipticis circa Solem tanquam focum. Spectat eadem lex, Obſeruationibus firmata Aſtronomicis, Satellites.

Fixo *ſtatuto* ſeruant Fixæ eundem conſtanter inter ſe ſitum & ordinem. Hanc Fixarum quietem indicant ipſi Planetarum continui motus, & horum motus viciſſim menſurant Fixæ.

Quandoquidem Parallaxis annua Fixarum vel nulla eſt, vel vix ac ne vix quidem eſt obſeruabilis, fluit inde per pronam conſequentiam, non operari illas ſenſibiliter in noſtrum vorticem Planetarum. Planetis ipſis quia nullo jure tribui poteſt influxus in hanc terram, Sole excepto ac Luna, tum propter diſtantiam nimiam, tum propter illorum paruitatem, cadet ſponte omnis Aſtrologia judiciaria, toties in ipſo Sacro Codice condemnata.

Alia mundo, ſpeciatim Planetario, præſcripta à DEO *ſtatuta* ſi enarrare vellem, & ſimul demonſtrare, deſcendendum foret in profundam Aſtronomiæ & Geometriæ modernæ abyſſum. Sed id non eſt inſtituti mei. Id ſaltem quiuis ſanæ mentis colliget ex hactenus dictis, neque noxiam eſſe, neque prohibitam Theoriam tantorum ſummi DEI operum, imò utiliſſimam deuotam eorum contemplationem, ac neceſſariam ad laudes Creatoris, ad multiuarios ſocietatis humanæ uſus, noſtramque ſalutem. Quis quæsò eſt mentis adeò impos, ut perſuadere ſibi queat, inductas fuiſſe & latas cœlo ac mundo leges ordinatiſſimas à DEO ſapientiſſimo & ſanctiſſimo, ut eas perſcrutari vel non liceret, vel non deceret? Quis crediderit, dari inter eruditos, inter Verbi Diuini Miniſtros, qui atro carbone notent eos, *qui arcana cœli, curſum Aſtrorum, motum maculasque Solis, Planetarum incolas & viſcera, quaſi opifici illorum ad manus fuiſſent, ad ceream rationis humanæ rebellatricis decempedam dimetiuntur.* (H. *Orat. Secular.* 1719.) Declamatori huic oppono afflatum diuino ſpiritu vatem Jeſaiam, qui ita XL. 26. *Attollite in ſublime oculos veſtros, & contemplamini, quis creauerit iſta, producens in numero exercitum eorum, ſingula ſuis nominibus vocans, à multitudine virium, & robore virtutis, ut ne unum quidem deeſſet. (Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte, quis creauit hæc; qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat: præ multitudine fortitudinis, & roboris, virtutisque ejus, neque unum reliquum fuit.)* Si quid eſt, quod hominem ducit ad cognitionem Entis ſupremi, ſi quid Atheos & Deiſtas conuincit, confundit, & ad ἐχεμυθίαν redigit, eſt ſanè conſideratio horum ipſorum *ſtatutorum*, ad quorum normam mouentur Stellæ tum erraticæ tum fixæ. Quò profundius quis myſteria hæc introſpicit, eò magis DEO appropinquat. Studium, quod θεόφιλος ſibi ipſi commendat & aliis.

Ex alto cœlo, per viam Fixarum, Solis, Lunæ deſcendit Propheta ad terræ globum, DEUMque quærit & inuenit ſpeciatim in mari. *Qui fremere facit mare, ut fluctibus tumultuetur: DOMINUS Exercituum nomen ejus eſt.* ὁ δὲς — κραυγὴν ἐν θαλάσσῃ, καὶ ἐβόμβησε τὰ κύματα αὐτῆς. ΚΥΡΙΟΣ παντοκράτωρ ὄνομα αὐτῷ. Ergo in genuino & proprio ſenſu eleuantur maris fluctus non à ventis, ſed à DEO per ventos, tanquam organa. *Ego* DOMINUS, DEUS *tuus, increpo mare, ut tumultuentur fluctus ejus, DOMINUS Exercituum nomen ejus.* Jeſ. LI. 15. Non natura, non Neptunus, ſed DEUS *per ſummitates maris incedit, (graditur ſuper fluctus maris.)* Job. IX. 8. DEUS is eſt, qui *cohibuit mare valuis, quum erumperet, ut egrederetur ex utero, — protulit decretum in illud, & obicem atque valuas oppoſuit, ac dixit: Hucusque peruenies, nec ulterius, & hic depones tuos tumentes fluctus. (Quis concluſit oſtiis mare, quando erumpebat quaſi de vulua procedens: — Circumdedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia: Et dixi: Usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.)* Job. XXXVIII. 8. 10. 11. *Compeſcit ſtrepitum marium, ſtrepitum undarum eorum, (qui conturbas profundum maris, ſonum fluctuum ejus.)* Pſ. LXV. 8. *Sedata tempeſtate reddit mare tranquillum, ut deſinant fluctus, quibus jactabatur. (Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ: & exaltati ſunt fluctus ejus.)* Pſ. CVII. 25. *An me non metuetis? ait* DOMINUS; *an à facie mea non contremiſcetis? quum poſuerim arenam terminum mari, idque perpetuo decreto, ne transgrediatur eum: ſæuiunt quidem fluctus ejus, ſed nihil poſſunt; tumultuantur, ſed non tranſibunt ipſum. (Me ergo non timebitis? ait DOMINUS: & à facie mea non dolebitis? Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum, quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumeſcent fluctus ejus, & non tranſibunt illud.)* Jer. V. 22.

Altipotens hic DEUS, ut jurat, promittit, comminatur per nomen ſuum, ita heic populo ſuo quaſi in pignus dat Statutorum & Decretorum ſuorum conſtantiſſimum ordinem. *Si amotæ fuerint leges iſtæ à conſpectu meo, dicit* DOMINUS, *etiam ſemen Iſraelis ceſſabit, ut non ſit gens coram me cunctis diebus.* ἐὰν παύσωνται οἱ νόμοι ἕτοι ἀπὸ προσώπε με, φησὶ ΚΥΣΙΟΣ, καὶ τὸ γένος Ἰσραὴλ παύσεται γενέσθαι ἔθνος κατὰ πρόσωπόν με πάσας τὰς ἡμέρας. Digniſſima attentione noſtra verba. DEUM cognoſcat prius oportet, qui fiduciam in eum collocare vult: qui fidem adhibere promiſſis diuinis, ſtatuta illa, quæ oppignorat, intelligere debet, Leges, Ordines, Decreta concinna adeò & probè commenſurata non extremis duntaxat tangere digitis, ſed penitius effectus harum legum & conſtantiam introſpicere, immutabilitatem ex ipſis mutationibus, quæ in momenta fiunt, diſcere. Eſt hic ex palmariis uſibus, ex contemplatione naturæ in θεογνωσίαν redundantibus.

Jer. Cap. XXXI. verſ. 37.

Sic dicit DOMINUS, ſi poterunt metiri cœli deſuper, & terræ fundamenta, quæ ſubtus ſunt, inueſtigari, ego quoque repudiabo uniuerſum ſemen Iſraelis, propter omnia, quæ fecerunt, dicit DOMINUS.

Hæc dicit DOMINUS: Si menſurari potuerint cœli ſurſum, & inueſtigari fundamenta terræ deorſum, & ego abjiciam uniuerſum ſemen Iſrael propter omnia, quæ fecerunt, dicit DOMINUS.

EX præmiſſa hac declaratione, *ſi poterunt metiri cœli deſuper, & terræ fundamenta, quæ ſubtus ſunt, inueſtigari*, inferat nemo contra Aſtronomos & Mathematicos, nemini horum licitum eſſe, dimetiri cœlos, ſidera, terram in magnitudine, figura, altitudine, qualitatibus aliis. Negatur conſequentia. Audebit utique nemo ad decempedam rationis menſurare trinam cœlorum, qui Fixas ſunt inter & erraticas, dimenſionem, determinare ſtructuram internam terræ, ſtratorum ſitum & materiam inde à ſuperficie terræ ad centrum. Non licuit nobis eſſe adeò felicibus hactenus, ut profundius penetrare potuerimus quàm paucis in locis ad dimidium milliare. Imo verò concedemus facile, deeſſe nobis adæquatam de qualicunque corpore, animali, planta, corpore humano, ſingularum ejus partium notitiam. Nemo ex genuina hac confeſſione noſtra argumentetur, ergo nulli uſui eſt rerum naturalium ſcientia, ergo contemnenda alto ſupercilio, rejicienda. Manifeſta eſt cauſa, qua fundatur impoſſibilitas. Sunt omnia opera DEI opera infiniti artificii, opera Entis infinitè perfecti, finito omni intellectu haud perſcrutabilia. Hoc non impedit, quò minus ſcrutemur, percontemur, metiamur, naturæ penetralia inueſtigemus, pro viribus noſtri intellectus; non ut ſatiemus curioſitatem, vel vanum ſciendi deſiderium, ſed gloriam DEI celebremus, proximi noſtramque ſalutem promoueamus. Siſtunt ſe heic imbecillitas, & limitatæ admodùm mentis noſtræ vires, rationis ſanæ uſus, ſed & deprauatæ abuſus. Inquirere utique licet in *numerum, pondus, menſuram*, quibus DEUS omnia fecit in cœlo & in terra, Sap. XI. 21. quæ inquiri quidem poſſunt, ſed nunquam penitus perquiri.

Jer. Cap. XXXII. verſ. 9.

Ego itaque agnoſcens, quod verbum DOMINI eſſet, emi agrum ab Hananeele, filio patrui mei, qui erat in Anathoth, & appendi ei pecuniam, ſeptem ſiclos, & decem argenteos.

Intellexi autem, quod verbum DOMINI eſſet: Et emi agrum ab Hananeel, filio patrui mei, qui eſt in Anathoth: & appendi ei argentum, ſeptem ſtateres, & decem argenteos.

EST caſus hic in ſuis circumſtantiis prorſus ſingularis: Ex mandato DEI acquirit ſibi Propheta carcere clauſus, durante obſidione Hieroſolymæ, emptionis jure agrum in Anathoth, loco jam ab hoſtibus occupato, utpote qui illac tranſiere. Colligitur id quoque ex

Jeſ.

Jeſ. X. 30. *Hinni voce tua, filia Gallim, fac ut attendat Laiſa, humilis (paupercula) Anathoth.* Sed diſcrepant Interpretes de pretio hujus prædii. In Textu legitur שִׁבְעָה שְׁקָלִים וַעֲשָׂרָה הַכֶּסֶף, LXX. ἑπτὰ σίκλας καὶ δέκα ἀργυρίε, *ſeptem ſiclos & decem argenteos*, *ſieben Sickel und zehen Silberling.* Verſiones Belgicæ & aliæ ſiclum & argenteum agnoſcunt pro eodem, quoniam Deut. XXII. 19. 29. כֶּסֶף ſumitur pro ſiclo: erunt proinde 17. Sicli. Ita judicant quoque Angli, *Junius*, *Piſcator*. Erit proin agri pretium 12. florenorum, 45. crucigerorum, pecunia modica pro prædio ſuburbano, ſed multa pro temporis circumſtantia. Ad pondus ſi attendas, erit id paulò majus 8. unciis. *Caluinus* & *Lutherus* habent ſeptem *Siclos* & decem *Gerah*, ſiue obolos. Ex hac hypotheſi pretium erit florenorum 5. crucigerorum 37. denariorum 2. ſiue lothonum 7. & 36, 70. gran. Chaldæus Interpres vertit שְׁקָלִים *minas*, quarum una habet 60. Siclos. Aſcendet ita pretium ad 212. Imperiales & crucigeros 45. in pondere ad libras 25. unciam 1. ſcrupulum 1. 5, 60. gran. Libra ſumta pro 12. unciis.

Jer. Cap. XLVI. verſ. 20. 21.

20. Buccula ſpecioſa eſt Ægyptus, exciſor *(a)* celerrimè venit ab aquilone.

(a) Venit venit. Ebr.

21. Mercenarii quoque (milites) ejus, qui ſunt in ea, ſunt ſicut vituli ſaginati, ipſi quoque retroſpexerunt, fugeruntque ſimul, neque conſtiterunt, quoniam dies interitus eorum venit ſuper eos, tempus viſitationis eorum.

20. Vitula elegans atque formoſa Ægyptus, ſtimulator ab aquilone veniet ei.

21. Mercenarii quoque ejus, qui verſabantur in medio ejus, quaſi vituli ſaginati verſi ſunt, & fugerunt ſimul, nec ſtare potuerunt: quia dies interfectionis eorum venit ſuper eos, & tempus viſitationis eorum.

EST *buccula ſpecioſa*, quæ omnibus ſuis partibus eſt perfecta, cui nihil deficit quoad formam, magnitudinem, proportionem. Quanquam in metaphyſico ſenſu omnes creaturæ ſint pulchræ, perfectæ, bonæ, utpote tales, quales DEUS infinitè perfectus eſſe voluit.

Buccula ſpecioſa, עֶגְלָה יְפֵיפִיָּה, δάμαλις κεκαλλωπισμένη LXX. cap. XXVI. *eſt Ægyptus.* Ita Hoſeas X. 11. *Ephraim eſt ceu vitula aſſueta, diligit triturare, & ego tranſiui ceruicem ejus pinguem. (Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego tranſiui ſuper pulchritudinem colli ejus.) Virg. Georg.* L. III.

Paſcitur in magnis ſyluis formoſa iuuenca.

Ouid. de Art. L. I.

Inuida formoſas oderat illa boues.

Metam. L. XV. de boue.

Victima labe carens & præſtantiſſima forma.

Fuere pulchri boues in Oriente oculorum deliciæ. Præceperat Ægyptiorum Rex *Mneuis* cultum boum, quod bouem crediderit animalium ſpecioſiſſimum, ἁπάντων ὡραιότατον αὐτὸν εἶναι πεπιϛευκὼϛ. *Ælian. Hiſt.* L. XI. c. 10. *Homer. Iliad.* β'.

Ἥυτε βοῦς ἀγέληφι μέγ' ἔξοχος ἔπλετο πάντων
Ταῦρος.

Taurus in armento præcellit ut omnibus unus.

Specioſam hanc bouis pulchritudinem in ſcenam produxerat *Cotta* ille cum Epicureis diſputans: *At mehercle ego, quamuis amem ipſe me, tamen non audeo dicere, pulchriorem eſſe me, quàm ille fuit taurus, qui vexit Europam.*

Mercenarii quoque milites (Ægypti,) *qui ſunt in ea, ſunt ſicut vituli ſaginati*, καὶ οἱ μισθωτοὶ αὐτῆϛ ἐν αὐτῇ ὥσπερ μόϗοι σιτευτοὶ τρεφόμενοι ἐν αὐτῇ, עֶגְלֵי מַרְבֵּק. Ubi notandum, עֶגֶל מַרְבֵּק heic idem eſſe quod עֶגֶל רָשָׁה Jer. LII. vitulum, qui inter triturandum ſaginatur. Notum quippe ex Lege veteri, boui trituranti non obligatum fuiſſe os, βοῦν ἀλοῶντα ἐ φιμώσεις, 1. Tim. V. 18. Deut. XXV. 4. licuiſſe proin illi manducare ad ſatietatem usque. Occurrit hæc phraſis עֶגֶל מַרְבֵּק tribus aliis Scripturæ locis proximè citandis. Videntur autem LXX. hæſitaſſe circa genuinum illarum vocum ſenſum. Nam 1. Sam. XXVIII. 24. vertitur δάμαλις νομὰς, *iuuenca paſcualis.* Amos VI. 4. μοσχάριον ἐκ βουκολίων γαλαθηνὸν, *vitulus ex armentis lactens.* Mal. IV. 2. μοσχάριον ἐκ δεσμῶν ἀνειμένον, *vitulus ex vinculis ſolutus.*

lutus. Chaldæa verſio pro מַרְבֵּק habet רִבְקָא, quæ vox *Kimchio* notat *locum ſaginationis, ſaginarium.* Et Arabibus *rabaca*, vel *ribca* eſt ligamentum vel funis à collo bouis pendens, quali alligabant Judæi palo bouem, qui pedibus conculcando frumenta trituraret. Fœneratur hæc explicatio lucem loco, qui extat Mich. IV. 13. *Surge, & extere, o filia Zion, quoniam faciam cornu tuum ferreum, & ungulas tuas faciam chalybeas, ut conteras populos multos.* De hoc triturandi more Judæis, Syris, Arabibus, Græcis, Romanis uſitato alibi protuli plura.

Jer. Cap. XLVIII. verſ. 6.

Fugite, ſeruate animam veſtram, & myricæ in deſerto eſtote ſimiles.

Fugite, ſaluate animas veſtras; & eritis quaſi myricæ in deſerto.

כְּעַרוֹעֵר בַּמִּדְבָּר reddimus nos, *ut myricæ in deſerto, wie ein Tamarisken-Stäudlein in der Wüſte.* Num עַרְעָר præcisè denotet *tamaricem*, vel aliam plantam ſylueſtrem, determinare non audeo. Ex hodiernis tamaricis ſynonymis, quæ in Oriente ſuperſunt, non inuenio affine, niſi huc referas Perſarum *ag, eg, tagh*, vel Arabum & Turcarum *æraſa. Meninzk. Lex.* p. 55. 1042. 3239. Etymologiam ſi ſpectes, denotat Hebræa vox plantam foliis penè nudam, vel facile deciduis, à radice עָרַר, *nudari*, hinc עַרְעָר, *nudatiſſimus.* Senſus proin Prophetæ hic erit, fugite protinus hinc, contenti, ſi vitam ſaluetis ſolam; abripite vos ſoos, omnia linquite; ut Syri illi, qui obſederant Samariam, *fugerunt in crepuſculo, relinquentes tentoria ſua, equos ſuos, aſinos ſuos, & caſtra ipſa, ut erant, fugeruntque, quò voluntas tulit,* vel, *ubi animam ſuam ſeruare poſſent; (fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria ſua, & equos & aſinos in caſtris, fugeruntque animas tantùm ſuas ſaluare cupientes.)* 2. Reg. VII. 7. Huc ſpectat illa fuga Judæorum: Ὁ ἐπὶ τοῦ δώματος, μὴ καταβαινέτω, ἆραί τι ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ. Καὶ ὁ ἐν τῷ ἀγρῷ, μὴ ἐπιστρεψάτω ὀπίσω, ἆραι τὰ ἱμάτια αὐτοῦ. Matth. XXIV. 17. 18. LXX. videntur legiſſe עָרוֹד pro עָרוֹעֵר, reddunt enim ita verba Textus, ἔσεσθε ὥσπερ ὄνος ἄγριος ἐν ἐρήμῳ. Notat enim עָרוֹד *onagrum.*

Jer. Cap. XLVIII. verſ. 11. 12.

11. Opulentus (& ſecurus) fuit Moab à pueritia ſua, & quieſcens ipſe in fecibus ſuis, neque defecatus de vaſe in vas, & in captiuitatem non abiit; hinc eſt, ut ſapor ejus duret in eo, & odor ejus non ſit immutatus.

12. Propterea, ecce! dies venient, ait DOMINUS, ut mittam ei vietores, qui diffundent ipſum, & vaſa ejus euacuabunt, lagenas ejus quaſſabunt.

11. Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua, & requieuit in fæcibus ſuis: nec transfuſus eſt de vaſe in vas, & in transmigrationem non abiit: idcirco permanſit guſtus ejus in eo, & odor ejus non eſt immutatus.

12. Propterea, ecce! dies veniunt, dicit DOMINUS, & mittam ei ordinatores, & ſtratores lagunculorum, & ſternent eum: & vaſa ejus exhaurient, & lagunculas eorum collident.

EST muſtum turbatus ex varii generis partibus, ſpirituoſis, aqueis, mucoſis, terreis, craſſis, ſalinis liquor, dulci ſapore commendatus. Clarificatur is ſucceſſu temporis, præuiâ fermentatione, quam expanſiua aëris vis cauſatur, & ſecedunt partes impuriores, craſſiores, terreſtres, mucoſæ, acido-ſalſæ, intermixtis etiam ſpirituoſis, ad latera & fundum, *fecesque* conſtituunt, ſupernatante *vino.* Linquitur id per annos in hoc ſtatu, partim ut clarius reddatur magis ac magis, partim ut melioretur ab euolutis ſenſim partibus ſulphureo-ſpirituoſis, in fæcibus latentibus. Exemplo ſint inprimis vina Heluetica noſtra, ſpeciatim Tigurina, quæ matureſcunt, ut loqui amamus, in doliis, *ſie reiffen im Faß*, & per annorum decurſum majores acquirunt vires. Sed accidit quoque, ut

vinum

vinum diu ſuper fæces relictum, etiam mucilaginoſas attrahat ſoluatque particulas, hinc lentorem induat; hoc, ne vappeſcat prorſus, abſtrahi debet à fæcibus, & aliis immitti doliis, ubi noua partium mucilaginoſarum præcipitatione factâ in meliorem redigitur ſtatum, præprimis ſi præcipitatio hæc promoueatur intermixtis corticibus ouorum, cretâ, abſorbentibus aliis. Inſeruit αἰτιολογία hæc illuſtrando Textui. *Opulentus & ſecurus Moab*, πεποιθὼς ἐπὶ τῇ δόξῃ αὐτῦ, populus quiuis alius longâ proſperitatis morâ vappeſcit tandem, diuitiis affluens, & voluptatibus indulgens effæminatur, poſtpoſitis virtutibus vitia omnis generis ſectatur, eas omnes vel artes vel ſcientias, quæ bello gerendo ſunt utiles, negligit, extra periculi aleam conſtitutus torpeſcit, usque dum veniant ים זרים *vietores*, qui vappidum tale vinum abſtrahunt, *diffundent*, *vaſa ejus euacuabunt*, *lagenas ejus quaſſabunt*, καὶ κλινοῦσιν (præcipitatione veluti facta) αὐτὸν, καὶ τὰ σκεύη αὐτῦ λεπτυνοῦσι, καὶ τὰ κέρατα αὐτῦ συγκόψουσι, *ſternent eum*, *& vaſa ejus comminuent*, *& cornua ejus concident*. Ubi Symmachus, καὶ σειρώσουσιν αὐτὸν, καὶ τὰ σκεύη αὐτῦ ἐκκενώσουσι, *& exhaurient eum*, *& vaſa ejus euacuabunt*, alii τὰ κεράσματα αὐτῦ συντρίψουσι, *pocula* (cornuformia) *ejus conterent*. Fuit ita *ſecurus Moab à pueritia ſua*. Occupauerat quidem Moabitidis partem Sihon, Amoritarum Rex, Num. XXI. ſed debebant ſecure viuere Moabitæ ab Iſraelitis, vi mandati diuini Deut. II. 9. *Moabitas non premas hoſtiliter, neque ferocias in eos bello, quoniam non dabo tibi de terra ejus poſſeſſionem. (Non pugnes contra Moabitas, nec ineas aduerſus eos prælium: non enim dabo tibi quicquam de terra eorum.)* Licet etiam ſub Dauide & Joſaphato haud fuerint à bellis immunes, manſere tamen Moabitæ, *in captiuitatem non abiit*, *ſapor ejus durauit in eo*, *& odor ejus non fuit immutatus*. Nempe ad hoc usque tempus, quo *vietores* venerant ex Chaldæa, abſtracturi vappidum hoc vinum.

Jer. Cap. XLVIII. verſ. 28.

Relinquite ciuitates, & habitate in petra, o habitatores Moab, & eſtote ſimiles columbæ, nidulanti in prominentiis foraminis foueæ.

Relinquite ciuitates, & habitate in petra, habitatores Moab, & eſtote, quaſi columba nidificans in ſummo ore foraminis.

Vid. Cant. Cap. II. verſ. 14. Jeſ. Cap. LX. verſ. 8.

Jer. Cap. XLVIII. verſ. 34.

Propter clamorem Heſebon dederunt vocem ſuam usque ad Eleale, & usque ad Jahaz, à Zoar usque Horonaim vitula trima, quoniam & aquæ Nimrim deſolatæ erunt.

De clamore Heſebon usque Eleale & Jaſa dederunt vocem ſuam: à Segor usque ad Oronaim vitulam conternantem; aquæ vero Nemrim peſſimæ erunt.

Vid. Jeſ. Cap. XV. verſ. 5.

Jer. Cap. XLVIII. verſ. 40.

Quoniam ſic dicit DOMINUS: Ecce, inuolabit (hoſtis) veluti aquila, & expandet alas ſuas ſuper Moab.

Hæc dicit DOMINUS: Ecce, quaſi aquila volabit, & extendet alas ſuas ad Moab.

Vid. Jeſ. Cap. XLIX. verſ. 22.

Jer. Cap. XLIX. verſ. 16.

Conquaſſatio tua decepit te, & petulantia cordis tui, quæ habitas in petrarum foraminibus, & tenes collium altitudinem; etiamſi fuſtolleris nidum tuum, ut aquila, tamen inde detraham te, ait DOMINUS.

Inquies tua & quaſſatio, qua terrebas omnes gentes, tumultus tui, quos excitas.

Arrogantia tua decepit te, & ſuperbia cordis tui: qui habitas in cauernis petræ, & apprehendere niteris altitudinem collis. Cum exaltaueris, quaſi aquila, nidum tuum, inde detraham te, dicit DOMINUS.

ACcommodus apprimè eſt Textus hic preſſæ olim ab innumeris dynaſtis Heluetiæ noſtræ, quæ ubique fere reliquias exhibet eorum, qui *habitabant in petrarum foraminibus, & tenebant collium altitudines.* Notum, aquilas non ſolùm ſeſe vibrare in altum aëra, ſed & in altis, præruptis, nidulari locis. Audi alloquium DEI ad Jobum XXXIX. 27. 30. 31. *Nunquid ad tuum imperium aquila volat in altum, & in ſublimi loco nidulatur? Habitatque in petra, & moratur in præruptis ſaxis, & loco inacceſſo. (Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum? In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus.)* Ubi de ſublimi hac aquilarum nidulatione plura. Veteres ſi elatum quid, ferox & ſuperbum deſcribere volebant, uſi fuere inter alia ſimilitudine petita ab aquila. Ipſi quoque Scriptores Gentiles. Debebant illi apud *Scholiaſten Ariſtophanis* aquilæ ad inſtar, præ omnibus aliis auibus euolantis ad nubes, τοσοῦτον αὐξηθήσεσθαι, ὅσον αἰετὸς τῶν ἄλλων ὀρνέων ἐν ταῖς νεφέλαις προύχει. Hinc diua vel diuina cluebat aquila. θεῖον οἱ ἄνθρωποι Φασιν εἶναι μόνον τῶν ὀρνέων, *Ariſt. Hiſt.* L. IX. c. 32. Hinc natæ fabulæ de aquila in ſinu Jouis, de aquila fulminatrice. Aquilis vecti Imperatores, quos Romani ἀποθεώσεως honore afficere volebant. Princeps, ſi in ſomnio ſibi viſus fuit inequitare aquilæ, prænuntium habebat mortis, juxta regulas Oneirocritices apud *Artemidorum* L. II. c. 20. Edomitarum jactantiæ apud Prophetam noſtrum, & Abdiam v. 4. parallela eſt gloriatio illa Babylonici Regis Jeſ. XIV. 13. *Cœlos conſcendam, ſuperne ſecundum ſtellas DEI exaltabo ſolium meum, & ſedebo in monte conſtituto, in lateribus aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, altiſſimo æqualis ero. (In cœlum conſcendam, ſuper aſtra DEI exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis: Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo.)* *Xerxis* item apud *Herodotum* L. VII. c. 10. Γῆν δὲ τὴν Περσίδα ἀποδέξομεν τῷ Διὸς αἰθέρι ὁμερέσσαν, *Perſiam eleuabimus ad cœlos usque.* Applicet ſibi hujusmodi Pyrgopolynices antiphoniam illam è cœlo Jeſ. XIV. 15. *Veruntamen ad inferos detractus es, ad latera laci. (Veruntamen ad infernum detraheris, in profundum laci.)* Et in Textu noſtro, *tamen inde detraham te, ait* DOMINUS. ἐκεῖθεν καθελῶ σε, LXX. cap. XXIX.

Jer. Cap. XLIX. verſ. 22. 24.

22. Ecce, ſicut aquila aſcendet (hoſtis,) inuolabit & expandet alas ſuas ſuper Bozram, eo die cor fortium heroum Idumeæ erit, ſicut cor fœminæ in anguſtiis (partus) comprehenſæ.

24. Exanimata eſt Damaſcus, atque in fugam verſa eſt, tremor obruit eam, anguſtia & dolor occuparunt eam ſicut parturientem.

22. Ecce, quaſi aquila aſcendet & auolabit: & expandet alas ſuas ſuper Boſram: & erit cor fortium Idumææ in die illa, quaſi cor mulieris parturientis.

24. Diſſoluta eſt Damaſcus, verſa eſt in fugam, tremor apprehendit eam: anguſtia & dolores tenuerunt eam, quaſi parturientem.

Sic

SIc & XLVIII. 40. *Ecce, inuolabit hoſtis veluti aquila, & expandet alas ſuas ſuper Moab.* Thren. IV. 19. *Velociores fuerunt perſequutores noſtri aquilis cœli.* De Equitatu Aſſyriorum Jer. IV. 13. *Equi ejus aquilis celeriores.* Dauid de Saule & Jonathane, fuiſſe *aquilis leuiores (velociores,)* 2. Sam. I. 23. Norunt Ornithologi, aquilis magnas eſſe & amplas alas. Latius id oſtendetur ad Ezech. XVII. 3. occaſione *aquilæ* illius *magnæ, magnis pennis, longis alis, plenæ plumis, (aquilæ grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plenæ plumis & varietate.)* Celerrimè volare, & *in prædam ſupernè ſeſe ruere fulminis vice, Apulej. Floridor.* L. I. Hinc & apud *Feſtum Aquilo à vehementiſſimo volatu ad inſtar aquilæ. Aquila* ipſa ἀετὸς ἀπὸ τῦ ἀΐσσειν, *cum impetu ferri, irruere.* Huc pertinet judicium illud, quod Judæis aliisque gentibus vicinis interminatur DEUS, executioni dandum à Chaldæis, Deut. XXVIII. 49. *Excitabit contra te* DOMINUS *gentem, quæ inuolabit ut aquila, è longinquo ab extremitate terræ. (Adducet DOMINUS ſuper te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu.)* Ubi LXX. ὡσεὶ ὄρμημα ἀετῦ, *Hieronymus, in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu.* Apud *Homerum Iliad.* φ'. v. 252. Achilles impetuosè in Trojanos irruens eſt ἀϊετὸς ὅιματ' ἔχων, *aquilæ impetus habens.* Nam ὅιματα Scholiaſtæ ſunt ὁρμήματα. Hector. *Iliad.* χ'. v. 308.

Ὅιμησεν δὲ ἀλεὶς, ὡς δ' ἀϊετὸς ὑψιπετήεις.

Irruit autem cum impetu conuerſus, ut aquila altiuolans.

Dolorum atque terrorum, quos Idumæa & Damaſcus ſufferre debebant ab irruptione Nebucadnezaris, paralleliſmus cum doloribus parturientis tantò minus eſt prætereundus ſilentio, quia & alibi obuius eſt in Sacris. 1. Theſſ. V. 3. ὅταν λέγωσιν· εἰρήνη καὶ ἀσφάλεια, τότε αἰφνίδιος αὐτοῖς ἐφίσταται ὄλεθρος, ὥσπερ ἡ ὠδὶν τῇ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ· καὶ ἐ μὴ ἐκφύγωσιν. Experientiâ teſte vel ſola dolorum partus memoria mulierem conjicit in extremos angores, ut neſciat, quò ſe vertat, ſudor diffluat undique. Appropinquante autem partu, exitum omni niſu quærente fructu, tenſis uteri ligamentis, ampliato per gradus matricis oſculo interno, infante ipſo ad enixum jam propinquo, irruunt dolores acerbiſſimi, plures conſecutiui, quibus haud rarò ſuccumbit prorſus afflictiſſima mater. Omnia hæc vi ſententiæ de prima mortalium matre latæ Gen. III. 16. *Dolorem tuum & conceptum tuum cumulatiſſimè multiplicabo, in dolore paries filios.*

Jer. Cap. L. verſ. II.

Quoniam gauiſi eſtis, & lætati eſtis conculcando hæreditatem meam, quia increuiſtis ut *(a)* vitula exterens, & ſicut *(b)* caballi hinniuiſtis.

(a) Vel, ut vitula ad gramen paſta.
(b) Abirim, per antonomaſiam pro caballis, cataphractis, vel equis admiſſariis.

Quoniam exultatis, & magna loquimini, diripientes hæreditatem meam: quoniam effuſi eſtis ſicut vitulus ſuper herbam, & mugiſtis ſicut tauri.

HEbræum תָּפוּשִׁי כָּעֶגְלַת דָּשֶׁא reddiderunt ita Græci, ἐσκιρτήσατε ὡς βοΐδια ἐν βοτάνῃ, vos, nempe Chaldæi, ob prædam, quam à populo meo reportaſtis, ouantes *increuiſtis*, exultaſtis, *ut vitula exterens*, vitula in pingui paſcuo, *wie die Kälber im Gras.* Quò pertinent illa Pſ. XXIX. 6. *Subſilire facit eas ſicut vitulum.* Mal. IV. 2. *Pingues eritis ut vituli ſaginati, (egrediemini & ſalietis ſicut vituli de armento,)* ubi iterum Græci, σκιρτήσετε ὡς μοχάρια. *Homer. Odyſſ. ι.*

Ὡς δ' ὅταν ἀγραυλοι πόριες περὶ βῆς ἀγελαίας
Ἐλθέμεν ἐς Κόπρον, ἐπὴν βοτάνης κορέσωνται,
Πᾶσαι ἅμα σκαίρεσιν ἐναντίαι. —

Ad mandram venientes, poſtquam herbâ ſaturæ ſunt,
Omnes ſimul oppoſitæ ſubſultant. —

Theocritus in Bucoliaſtis.

Ὠρχεῦντ' ἐν μαλακᾷ τῷ πόρτιες αὐτίκα ποίᾳ.

Et vitulæ ſtatim ſaltabant in molli gramine.

Noſtri Interpretes דָּשֶׁא legunt per א in fine, quæ vox notat gramen. Sic & Chaldæi, LXX. *Kimchi*, alii. Sed exemplaria benè multa Bibliorum, diuerſis in locis impreſſa, habent דָּשֶׁה cum ה. Hujus autem vocis genuino ſenſu, quem & agnoſcit *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 31. nititur Verſio noſtra Latina, *ut vitula exterens*, ſcil. impinguabimini. Vidimus

ſupra, pingues valde redditos fuiſſe boues triturantes. Hinc eſt, quod Hoſeas X. 11. Ephraim luxu & ſocordia perditum comparet *vitulæ aſſuetæ*, *quæ diligit trituram.* Accedit, quod verbum רָשָׁא vel רְשָׁאָה propriè non denotet, *paſci in paſcuis*, ſed *herbaſcere*, *gramis ad inſtar excreſcere.* Sic Gen. I. 11. תַּרְשֵׁא הָאָרֶץ *Progerminet terra germen, herbam, (herbam virentem.)* Joel. II. 22. רָשְׁאוּ נְאוֹת מִדְבָּר, *germinarunt amœna loca deſerti.* Quæ interpretatio proin vocis רָשָׁא per *gramen* obſcuraret admodùm genuinum Textus ſenſum.

Jer. Cap. L. verſ. 39.

Idcirco habitabunt in ea Zim cum Iim, & habitabunt in ea juuenes Struthiones: non habitabitur ultra in perpetuum, neque incoletur à generatione ad generationem.

Propterea habitabunt dracones cum fatuis ficariis: & habitabunt in ea ſtruthiones: & non inhabitabitur ultra usque in ſempiternum, nec extruetur usque ad generationem & generationem.

Vid. Job. Cap. XXX. verſ. 29. Jeſ. Cap. XIII. verſ. 22.

Jer. Cap. LI. verſ. 14.

Jurauit DOMINUS Exercituum per animam ſuam, quod implebit te hominibus ſicut (a) locuſtis, qui mutuo ſe contra te inhortabuntur celeuſmate.

(a) Al. brucis.

Jurauit DOMINUS Exercituum per animam ſuam: Quoniam replebo te hominibus quaſi brucho, & ſuper te celeuſma cantabitur.

OCcurrit heic vox יֶלֶק *jelek*, ſpecies *bruchi* vel *locuſtæ*, quæ juxta *Aben-Ezram* in *Joelem* deriuatur à *lingendo*, quod hujusmodi animalia fruges lingendo abſumant, vel corrumpant. Arabibus *lahaſa* notat lingere, *lahas* linctum ipſum, item locuſtam. Propius adhuc accedit Germanorum *ſchlecken*, *lecken* ad יֶלֶק. Hebræa radix לָקַק denotat non ſolùm lingere, ſed & lingendo deuorare, depaſcere. Num. XXII. 4. *Depaſcet nunc exercitus ille* (Iſraelitarum) *quicquid circum nos eſt, quemadmodum bos viridia campi depaſcit. (Ita delebit hic populus omnes, qui in noſtris finibus commorantur, quomodo ſolet bos herbas usque ad radices carpere.)* 1. Reg. XVIII. 38. *Tum decidit ignis DOMINI, & deuorat holocauſtum, ligna, lapides, & puluerem, ſed & aquas, quæ erant in elicibus, lambit. (Cecidit autem ignis DOMINI, & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides, puluerem quoque & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.)* Obuia iterum vox יֶלֶק Jer. LI. 27. cum adjuncto סָמָר, *adducite equos ſicut locuſtarum examen horridum, (adducite equum quaſi bruchum aculeatum.)* Ubi vox סָמָר propriè eſt φρίττων, ὀρθόθριξ, *horrens, horripilans.* Job. IV. 15. *Spiritus ante me hinc inde commeabat, & pili per totum corpus meum horruerunt,* תְּסַמַּר. *(Et cum ſpiritus me præſente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.)* Pſal. CXIX. 120. *Perhorreſcit,* סָמַר, *corpus meum præ timore tui. (Confige timore tuo carnes meas.)* Poëtæ.

Obſtupui, ſteteruntque comæ —
Arrectoque horrore comæ.

Caſtalioni, *Petro Roberto*, Anglis minus quadrare videtur vox סָמָר, horripilans, locuſtis utpote glabris, hinc ſeligunt illi pro יֶלֶק *erucam*, quæ utplurimum eſt horrida pilis. *Columella* in *Horto.*

Nec ſolum teneras audent erodere frondes
Implicitus conchæ limax, hirſutaque campe.

Sed obſtat interpretationi huic volatus τῆ יֶלֶק Nah. III. 16. *Auxiſti mercatores tuos ſupra ſtellas cœli, bruchum videlicet auolantem ſtatim, ut impetum cepit. (Plures feciſti negotiationes tuas, quàm ſtellæ ſint cœli; bruchus expanſus eſt, & auolauit.)* Magna quidem damna arboribus & agri frugibus inferre poſſunt erucæ, ſed tamen irruentibus hoſtibus conferuntur aptius locuſtæ. *Junio* & *Tremellio* placet pro יֶלֶק *melolontha*, Cantharus vi vocis poma deuorans. Heſychius: μηλολόνθη, εἶδος κανθάρων, ἅς τινες χρυσοκανθάρας λέγεσι. Chryſocantharus quaſi aureus ſcara-

ſcarabeus, nobis *Gold-Käfer*. *Ariſtophani* χρυσοιλολόνθιον. Deſcribit hoc animal Scholiaſtes ita, quod coloris ſit flaui, vel aurei, eoque ludant pueri, qui alligatum filo volatui committant. ζωύφιόν ἐϛι κατὰ κάνθαρον ξανθὸν, ὁ καὶ κατέχοντες οἱ παῖδες δεσμοῖσιν ἐκ τῶ ποδὸς, καὶ ἀφιᾶσι πρὸς τὸν ἀέρα. Quem locum adduco, quia noſtris quoque pueris in uſu eſt hic luſus cum Cantharis rutilis, & aureis, nec non ſcarabeis. Huc faciunt illa *Ariſtophanis in Nubibus*.

Ἀλλ' ἀποχάλα τὴν Φροντίδ' ἐς τὸν ἀέρα,
Λινόδετον ὥσπερ μηλολόνθην τῶ ποδὸς.

Sed dimitte curam in aërem,
Ut melolontham, quæ pedem habet lino vinctum.

Arabibus *gelæ-læ*, *giülæ-læ* inter alia denotet *ſcarabeum*. *Meninzk. Lex.* 6025. quem eundem Poloni nuncupant *jelonek*, voce propius adhuc accedente ad noſtrum יֶלֶק. Sanè ſi יֶלֶק *Cantharus* eſt vel *ſcarabeus*, commodè huc referri poſſunt *Canthari* illi, quos vocamus *Laub-Käfer*, qui omni triennio arboribus ingentia ſolent inferre damna. Niſi volatile eſſet animal יֶלֶק & agminatim irruens, propter affinitatem nominis adduci poſſet Arabum *lakka*, *læbæket*, quæ vox animalculum denotat lacertæ inſtar liuidum, fulgens, breui cauda, leuipes, velox, *Meninzk. Lex.* 4156. A ſemita veritatis haud deflectemus fortè, ſi cum veteribus Sacri Codicis Interpretibus יֶלֶק dixerimus locuſtam, quum canthari & ſcarabei ſint utplurimùm glabri. Nodum ſanè in ſcirpo quærere mihi videtur *Fullerus Miſc.* L. V. c. 9. ubi ἐνέργειαν additurus voci סָמָר cantharum quatuor ſuis alis volitantem confert erinaceo aculeis horrido. Habent & locuſtæ quatuor alas, ut canthari. Et de his ſciendum, non omnes eſſe cute glabras, ſed multas in capite cumprimis hirſutas, alias aculeatis prominentiis horridas. *Claudianus*.

Horret apex capitis, medio fera lumina ſurgunt
Vertice. —

Quadrant fortè huc Apocalypticæ illæ IX. 8. ᾗ εἶχον τρίχας ὡς τρίχας γυναικῶν. Hujusmodi locuſtas Arabes vocant *Orphan*, *Alphantapho*. Literæ ſi inhærere lubeat, oculis applica microſcopium, quod omnia fere inſecta exhibet pilis & aculeis horrida, *horrentia* ſimul & *horrenda* (quem poſtremum ſignificatum inprimis tribuit voci סָמָר *Bochartus)*; horrenda inquam *habitatoribus* illis *terræ*, qui *contremiſcebant*. Joel. II. 1. Sic apud *Heſychium* occurrit βρέττανα φοβερὰ, *locuſta horribilis*. Noſtra Latina haud malè pro יֶלֶק סָמָר habet *locuſtarum examen horridum*, eſt quippe adjectiuum hoc æquiuocum, ſumique poteſt pro horrenti vel horrendo. Vernacula verò noſtra, *rauhe Käfer*, Hieronymo propius accedit, qui vertit *bruchum aculeatum*, Græci, ὡς ἀκρίδων πλῆθος, *ut locuſtarum multitudinem*. Videtur Chaldæus Interpres pro יֶלֶק סָמָר legiſſe יֶלֶק סָגוּר, quoniam intelligit *bruchum nitentem*, *ſplendentem*, aurei coloris locuſtam, nam סָגוּר & סָגוֹר eſt aurum. Job. XXVIII. 15. & alibi. Dicuntur & Arabicæ Locuſtæ χρυσοειδῆ ἐνδύλματα καὶ ἐπ' αὐτῶν κατέϛικται, *auricoloribus figuris diſtinctæ*. *Ælian. Hiſt.* L. X. c. 13.

Jer. Cap. LI. verſ. 15. 16.

15. Qui fecit terram robore ſuo, orbem conſtituit ſapientia ſua, atque intelligentia ſua extendit cœlos.
16. Quum dat vocem, multitudo aquarum in cœlis (coit,) euocat nubes à finibus terræ, fulgura in pluuiam mutat, & educit ventum de loculis ſuis.

15. Qui fecit terram in fortitudine ſua, & præparauit orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cœlos.
16. Dante eo vocem, multiplicantur aquæ in cœlo: qui leuat nubes ab extremo terræ, fulgura in pluuiam fecit: & producit ventum de theſauris ſuis.

SAepe ſæpius repetita in Sacris chartis legas, quæ heic occurrunt perfectiſſimi Entis eſſentialia attributa, jure creationis, conſeruationis, gubernationis fundata, & nunquam ſatis repeti, inſinuari nunquam ſatis poſſunt. Cœco naturâ homini catarrhacta eſt deponenda quotidie, & in momenta: Aures ſurdo quauis occaſione ſunt pertundendæ. Scarificandus eſt ad neruos usque ἀναίσθητος. E ſomno vix euigilantes obruimur iterum ſopore. Oculos ferit κτίσις, mentem perrarò κτίσης. Attentione inprimis id eſt dignum, quod DEUS tunc cumprimis in theatrum producat creationis ſuæ opera, & ſapientiſſimæ prouidentiæ effecta, ſi agitur de ſaluanda gloria ſua, ſi infamiæ nota inurenda idolis,

in ruborem dandi idololatræ, puniendi εἰδωλομανεῖς, ut heic. Nam v. 17. legitur: *Stultus factus eſt omnis homo præ ſcientia, pudefactus eſt omnis fuſor propter ſimulachrum, quia mendacium eſt, quod conflat, & non eſt in eo ſpiritus. (Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia: confuſus eſt omnis conflator in ſculptili: quia mendax eſt conflatio ejus, nec eſt ſpiritus in eis.)*

Qui cunctipotens DEUS, æternus vitæ fons, *terram*, globum terr-aqua-aëreum *fecit robore ſuo*, verbo omnipotenti, magnitudine, figurâ, diſtantia à Sole proportionatis, *orbem* ad Polos compreſſum, ſphæroideum potius quàm ſphæricum, *conſtituit ſapientia* infinita, *atque intelligentia ſua extendit cœlos*, aëreum, & immenſos illos æthereos, Fixis atque Planetis interjectos. LXX. cap. XXVIII. ΚΥΡΙΟΣ ποιῶν γῆν ἐν τῇ ἰχύι αὐτε, ἑτοιμάζων οἰκεμένην ἐν τῇ σοφίᾳ αὐτε, ἐν τῇ συνέσει αὐτε ἐξέτεινε τὸν ἐρανὸν.

Quum dat vocem, ad primum voluntatis omnipotentis nutum, *multitudo aquarum in cœlis coit*, colliguntur à ventis nubes in aëre natantes, mutato in momenta æquilibrio. *Euocat nubes*, bullulas aqueas, *à finibus terræ*, ab omni terraquei globi puncto, à maribus, lacubus, fluminibus, montibus, vallibus, campis. *Fulgura in pluuiam mutat*, atmoſphæram adeò rarefaciens, ut vapores in libero aëre natare amplius nequeant, ſed collecti, inuicemque allisi frangantur, fracti labantur. *Et educit ventum de loculis ſuis.* LXX. εἰς Φωνὴν ἔθετο ἦχος ὕδατος ἐν ἐρανῷ, καὶ ἀνήγαγε νεφέλας ἀπ' ἐσχάτε τῆς γῆς, ἀςραπὰς εἰς ὑετὸν ἐποίησε, καὶ ἐξήγαγε φῶς ἐκ τῶν θησαυρῶν αὐτε.

Jer. Cap. LI. verſ. 27.

— Adducite equos ſicut locuſtarum examen horridum.

— Adducite equum quaſi bruchum aculeatum.

Vid. Jer. Cap. LI. verſ. 14.

TABB. DCXXVIII. DCXXIX.

Jer. Cap. LI. verſ. 34.

Deuorauit me, contriuit me Nabuchodonoſor, Rex Babylonis, conſtituit me vas vacuum, deglutiuit me ſicut Draco, & impleuit aluum ſuam delitiis meis, expulit me.

Comedit me, deuorauit me Nabuchodonoſor, Rex Babylonis: reddidit me quaſi vas inane: abſorbuit me quaſi draco: repleuit ventrem ſuum teneritudine mea, & ejicit me.

HAbent, ſi *Solino* fides, *Dracones*, ſiue Serpentes magni, *ora parua, & ad morſus non dehiſcentia, adeò ut verbere potius quàm rictu noceant. Iſidorus: Eſt ore paruo, & arctis fiſtulis, per quas trahit ſpiritum, & linguam exſerit. Vim autem non in dentibus, ſed in cauda habet, & verbere potius quàm rictu nocet.* Quum contra *Aetius* & *Auicenna* beſtiæ huic dent *hiantem oris rictum, ora valde ampla.* Fuerit ſanè Draconi illi in Macra Cœleſyria ampliſſimus oris rictus, qui ex relatione *Poſidonii* equitem unà cum equo deglutire potuiſſet, χάσμα ὡς τ' ἔφιππον δέξασθαι. *Plin.* L. VIII. c. 14. *Megaſthenes ſcribit, in India ſerpentes in tantam magnitudinem adoleſcere, ut ſolidos hauriant ceruos tauroſque.* Fabulam hæc redolerent, nî modernorum temporum obſeruationes Megaſthenis illam relationem confirmarent. Qui *Boiguacu* dicitur Braſilianis, *Jiboya Piſoni*, *Cobra de Veado* Luſitanis, ſerpentum maximus, ad 20. & ultra pedes longus, Dorcades integras deuorat, fugendo potius quàm maſticando. Quò pertinet ſerpens ille magnus Indiæ Orientalis, qui Urobubalum deglutierat, *Cleyero* teſte in *Ephem. Germ. Ann.* XII. *Obſ.* 7. Sanè cum hujusmodi magnis ſerpentibus conferri jure meretur Nabuchodonoſor, qui tanquam gulo inſatiabilis multos deglutiit populos & prouincias.

In gratiam Draconis Nebucadnezaris ſiſto heic ex ὀφεοταμείῳ *Linckiano*, quod Lipſiæ eſt, binas ſerpentum Tabulas cum Deſcriptionibus.

TAB. DCXXVIII. A. Serpens Surinamenſis aquaticus, dorſo cœruleo nigro, ventre albo, nigro quoque colore tæniato & ſtriato.

Ser-

Serpens vulgaris Surinamenſis aquaticus ſubniger & albidus.

Quo cum conferri merentur

Χλοάων Δράκων, *niger Draco. Nicand. Ther.* v. 438.

Ρεῖά γε μὴν ἀέκοντα μέλας ἠρύκακεν ὕδρος.

Ipſum verò inuitum retinuit niger Hydrus.

Orpheus de Lapid. in Oſtrite.

Et Tophus ſcaber, & nigris exeſa Chelydris
Creta — Virg. Georg. L. II.

Aſpis chelidonia hirundinum modo in dorſo nigra, & in aluo candida. *Aetius.*

Aſpis nigro cœruleoque colore. *Ælian.*

Ἀσπὶς μελαίνη. *Aſpis nigra. Pauſan. in Bœotic.*

Hirundo ſerpens ſeu aſpis chelidonias, colore hirundini ſimilis h. e. nigro dorſo. *Auicenn.*

Serpens corallinus Surinamenſis, capite, collo & corpore eleganter atro, tæniis latis & annulatis, cauda rotunda & obtuſa. *Vincent. Muſ. Cent.* III. n. 100.

Dipſas, Durſt-Schlang, Preſter, Brand-Schlang, hat einen breiten Hals, ſchwartzlichten Rucken. *Kolb. Cap. Bon. Spei.* p. 213.

Serpentes in rupibus morantes, plerunque nigri, quos vulgari gentis idiomate Snok appellant. *Olaus Magn. Deſcript. Terr. Sept.*

Alaſuad niger. Serpens magnus. *Alcamus.*

Alaſuad aſſalich, ſerpentis genus nigredinis intenſiſſimæ. *Damir.*

B. Amphisbæna Americana ex rubro, flauo & albido varia, tæniis nunc integris, nunc dimidiatis nigris angularibus, à capite ad extremam caudam picta.

Amphisbæna Americana rubra intermixta nigredine & ſubalbida.

Ibiracoa Braſilienſibus variegati coloris, albis, nigris, rubrisque maculis inſignis. *Raj. Syn. Quadr.* 328.

Vipera Indica tricolor major. Pala Parija Zeylonenſibus, i. e. Serpens Amaranthi tricoloris facie. Id. 331.

Vipera Zeylanica minor maculis fuſcis holoſericeis eleganter variegata. Tunupolon Zeylon. i. e. arcuum & ſagittarum more variegata. Id. l. c.

Serpens coralloides Surinamenſis cauda Amphisbænæ. *Vinc. Cent.* I. n. 94.

Amphisbæna Americana ſiue Coralloides. *Vincent. Cent.* II. 36.

Serpens Americanus Coralloides biceps ſiue cœcus. *Vinc. Cent.* II. 93.

Serpens Americanus coralloides rotundiſſimus, craſſo fere ubique corpore. *Vinc. Cent.* IV. 49.

C. Aſpis Angolenſis in dorſo fuſca, in ventre cœruleo alba, tractu per mediam dorſi longitudinem tortuoſo, è fuſco nigricante, capite ex fuſco & albo vario.

Serpens Americanus verſicolor marmorei coloris. *Vinc. Cent.* II. 25.

Vipera Surinamenſis eximii marmorei coloris. *Vinc. Cent.* II. 30.

D. Amphisbæna Americana ſubcinerea lineis plurimis transuerſis, nigricante colore ſtriatis, nullo ordine picta.

Amphisbæna Americana minor ſubcinerea & alba.

Cujus perpetua eſt cœcum caligine lumen,
Quod latas utrinque genas, porrectaque menta
Plus aliis alto ſerpentibus aggere tendat:
Terreus eſt illi color, & denſiſſima pellis
Plurima quam varie diſtinctam ſigna figurant.

Nicander.

Scytale à longa & terete figura, qua baculum ſeu lorum coriaceum imitatur, forma eſt tereti, & ita æquali, ut ubi caput vel cauda ſit vix diſcerni poſſit. *Raj. Syn.* 288.

Amphisbæna ſerpens exiguus, color terreus ſeu pullus. Id. l. c.

Ibijara Braſilienſibus, Bodty Tapuyis, Cega, Cobre vega, Cobre de los Cabecas Luſitanis: Caput à cauda vix diſcerni poteſt. Minimi digiti craſſitiem æquat, longitudine 1. ped. 2. dig. color albus, ſplendens inſtar vitri, & annulis & elegantibus lineis notatus, coloris bruni, aut ærei. Oculos habet minimos, vix conſpicuos. Id. 289.

Amphisbæna ſiue Serpens biceps Orientalis maculis albis & fuſcis interſtinctus. *Vinc. Cent.* III. 20.

Amphisbæna ſiue Serpens biceps Africanus, cute alba, tergo & ventre diuerſis laminis & maculis notato, marmorea, annulata. *Vinc. Cent.* IV. 60.

Amphisbæna Americana minoribus maculis interſtincta. *Vinc. Cent.* V. 18.

E. Vipera Iſebequenſis ſublutea, capite craſſiore, ſupernè veluti tuberculoſo, infernè reticulato, ſtriis transuerſo ſitu poſitis, & areolis albidis nigro colore marginatis, etiam transuerſis notata.

Vipera Iſebequenſis ſublutea variis ſtriis ex albo & nigro transuerſis poſitis.

Serpens callum in fronte tuberculi inſtar geſtans, aſpidem veterum putat Bellonius. *Raj. Syn.* 288.

Aſpides ptyades cinereo ſunt colore, viridique, & ad auri colorem declinante. *Aetius.*

Aſpidis ſiccæ & ſpuentis color eſt cinericeus, & ad citrinitatem declinans. *Auicenna.*

Præterea geminæ calli inſtar fronte caruncl æ
Hærent, ſanguineis ſcintillant lumina flammis.

Nicander.

TAB. DCXXIX. F. Amphisbæna Americana, capite diadematò, eodem & dorſo ex albo & nigro perbellè teſſellatis, teſſellis quoque nigris per interualla ventrem albo-flaueſcentem ornantibus, cauda ex nigro-fuſco & albo coloribus tæniata.

Serpens Americanus è genere bicipitis, in dorſo perbellè ex albo & nigro teſſellatus.

Serpens Americanus coloris corallini, dum viuit, lineis latis reticulatus. *Vinc. Cent.* I. 1.

G. Jaculatrix Surinamenſis dorſo cœruleo nigricante, capite ex cœruleo purpureo, tractu ad latus albo à capite ad caudam usque protenſo, quem ſequitur linea veluti catenulata nigra, dehinc imus venter flauicans.

Jaculatrix Surinamenſis ſubcœruleo-purpurea, nigra linea à capite ad caudam circa ventrem.

TAB. DCXXX.

Jer. Cap. LI. verſ. 37.

Et redigetur Babylonia in aceruos, & in habitationem Draconum, in ſtuporem & ſibilum, quod nemo iſthic habitet.

Et erit Babylon in tumulos, habitatio Draconum: ſtupor, & ſibilus, eò quòd non ſit habitator.

AMant *Dracones*, ſiue magni ſerpentes, deſerta loca, τὴν Ἐρημίαν περὶ τῶν ἀςικῶν. *Ælian.* L. VI. c. 63. Hinc negat *Plutarchus de defectu Oraculorum*, deſertam olim fuiſſe Delphim ab incolis, quod Draco ibi habitarit, quum contra ibi degiſſet Draco, derelicto celebri loco à Delphenſibus. ἡ γὰρ ἐρημία τὸ θηρίον ἐπηγάγετο, μᾶλλον ἢ τὸ θηρίον ἐποίησε τὴν ἐρημίαν. Fœneratur hæc de vita Draconum circumſtantia lucem locis Sacræ Scripturæ diuerſis, in quibus Prophetæ exitium urbibus minaturi eas *in habitationem Draconum*, εἰς ἀφανισμὸν, deſertas fore prænuntiant. Videantur Jeſ. XXXIV. 13. Jer. IX. 11. X. 22. Mal. I. 3.

En iterum ex *Linckiano* ὀφεοταμείῳ ſerpentes!

A. Jaculatrix Ceylanica ſubcœrulea major.

Acontia Ceylanica ex liuido, ſubcœruleo, albo viridi varia, lineis candidis ad latera ventris decurrentibus.

Serpens minor Capenſis coloris intensè plumbei, cauda breui, obtuſa. *Vinc. Cent.* V. 61.

B. Serpens Americanus craſſior ex coloribus fuſco & flauido varius, capitis vertice & collo prorſus bruno, tæniis per omne dorſum liuido-fuſcis excurrentibus, interſtitiis etiam fuſco colore maculatis, & utrinque coeuntibus.

Serpens Americanus vulgaris.

Jer. Cap. LI. verſ. 38.

Simul rugient ut Leunculi, ut catuli Leonum (a) vociferabuntur.

(a) Propriè, rudiuerunt: quod aſinorum eſt, hic transſumitur ad Leones.

Simul ut Leones rugient, excutient comas veluti catuli Leonum.

SUnt, quod notum, Orientales populi, cumprimis Arabes, ὀνοματοπλάσιοι. Propriam Leonibus vocem, rugitum, imo rugitum fortem exprimit Codex Sacer per שְׁאַג *ſchaag*, Amos. III. 8. *Leo ſi rugiat, quis eſt, qui non timeat?* fremitum Leunculorum per נָהַם Prov. XIX. 12. Heic iterum eſt Leunculis alia vox נָעַר, imò aſinina, hæc quippe vox propriè notat *rudere*. *Virgil. Æneid.* L. VII.

\- - - - - - *iræque Leonum*
Vincla recuſantum, & ſera ſub nocte rudentum.

Apoc. X. 3. ὥσπερ λέων μυκᾶται, bouis inſtar mugit. Qua voce veterani Leones utuntur, Leunculos ad communem prædæ uſum inuitaturi, teſte *Plutarcho de terreſtr. & aquat. animalib.* Jeſ. XXXI. 4. legitur הָגָה muſſitare. Sed eſt in genere digna attentione mutatio vocis animalium, quâ cogitationes, ſi quas habent, communicant inuicem, & ſermones quaſi miſcent. Jer.

Jer. Cap. LII. verſ. 21. 22. 23.

21. Erat enim columnæ unius altitudo decem & octo cubitorum, (a) funis autem, qui ambiebat eam, duodecim cubitorum, denſitas ejus quatuor erat cubitorum.
(a) Funis dicitur per catachreſin pro linea ambienti.

22. Et epiſtylium æreum fuit ſuper ipſam, & altitudo epiſtylii unius erat quinque cubitorum: ſuper epiſtylium erat opus reticulatum, & mala punica per circuitum omnia ex ære; & hujusmodi erant in altera columna unà cum malis punicis.

23. Fuerunt autem malorum punicorum nonaginta ſex ad(omnem) (b) ventum; omnium autem malorum punicorum in reticulato opere per circuitum erant centum.
(b) Alii legunt, in aëre pendentia.

21. De columnis autem, decem & octo cubiti altitudinis erant in columna una: & funiculus duodecim cubitorum circuibat eam: porrò groſſitudo ejus, quatuor digitorum: & intrinſecus caua erat.

22. Et capitella ſuper utramque ærea: altitudo capitelli unius, quinque cubitorum: & retiacula & malogranata ſupra coronam in circuitu, omnia ærea. Similiter columnæ ſecundæ, & malogranata.

23. Et fuerunt malogranata nonaginta ſex dependentia: & omnia malogranata centum, retiaculis circumdabantur.

Vid. 1. Reg. Cap. VII. verſ. 15. 17. 18. 19. 20.

Jer. Cap. LII. verſ. 28. 29. 30.

28. Hic eſt populus, quem transtulit Nabuchodonoſor anno ſeptimo, Judæorum tria millia, viginti tres.

29. Anno decimo octauo Nabuchodonoſor transtulit de Jeruſalem octingentos homines & triginta duos.

30. Anno viceſimo tertio Nabuchodonoſoris transtulit Præfectus rerum capitalium Nebuſar Adan Judæorum ſeptingentos quadraginta quinque. Summa omnium captiuorum numerus, quatuor millium & ſexingentorum.

28. Iſte eſt populus, quem transtulit Nabuchodonoſor, in anno ſeptimo: Judæos tria millia & viginti tres.

29. In anno octauo decimo Nabuchodonoſor transtulit de Jeruſalem animas octingentas triginta duas.

30. In anno viceſimo tertio Nabuchodonoſor transtulit Nabuzardan, magiſter militiæ, animas Judæorum ſeptingentas quadraginta quinque. Omnes ergo animæ, quatuor millia ſexcentæ.

Vid. Jer. Cap. XXV. verſ. 1.

THRENI JEREMIÆ.

Thren. Cap. I. verſ. 6.

Periit filiæ Zion omnis decor ejus, principes ejus ſimiles ſunt ceruis, qui non inueniunt paſcua, abeunt ante perſequentem, quod nullus ſuperſit vigor.

Et egreſſus eſt à filia Sion omnis decor ejus: facti ſunt principes ejus velut arietes non inuenientes paſcua: & abierunt absque fortitudine ante faciem ſubſequentis.

Vid. Jer. Cap. XIV. verſ. 5.

Thren. Cap. III. verſ. 5. 19.

5. Ædificauit contra me, & circumuallauit me felle & laſſitudine.
19. Recordando afflictionis meæ & rebellionis meæ, abſinthii & fellis.

5. Ædificauit in gyro meo, & circumdedit me felle & labore.
19. Recordare paupertatis & transgreſſionis meæ, abſinthii & fellis.

REddunt heic LXX. vocem רֹאשׁ χολὴν, *fel*, ſic & utraque Verſio noſtra. Sed *cicutam* vult *Helvigius*; intelligit proin non ſolùm ingentem amaritudinem, ſed grauiſſimam anxietatem, qualis homines diſcruciat inſtante morte, & ab aſſumto veneno lethali, nulla vitæ ſpe ſuperſtite. Obſtat Cl. *Hillero Hierophyt.* P. II. p. 54. quod cicuta amara non ſit, & רֹאשׁ cum abſinthio jungatur paſſim. Deut. XXIX. 18. Amos. VI. 12. & in ipſo Textu noſtro v. 19. quod etiam רֹאשׁ fel denotet Deut. XXXII. 32. 33. Job. XX. 16. Pſ. LXIX. 22. coll. cum Matth. XXVII. 34. quapropter ſeligit is *Centaurium minus*, quod ob ſummam amaritudinem Germanis *Erd-Gall*, Hiſpanis *Hiel da Tierra*, Gallis *fiel de terre*, veteribus etiam *fel terræ* dicitur. *Plin.* L. XXV. c. 6. *Hoc Centaurion noſtri fel terræ vocant, propter amaritudinem ſuam.* De hac voce רֹאשׁ egimus alibi.

Sequitur לַעֲנָה *laanah*, quam doctiſſimi Interpretes interpretantur per *abſinthium*, quæ planta, alibi jam deſcripta, eſt ex ſaluberrimis, ſed ob amaritudinem ſuam afflictionum ſymbolum.

Thren. Cap. III. verſ. 10.

Urſus inſidians factus eſt mihi, & Leo in latibulis.

Urſus inſidians factus eſt mihi: Leo in abſcondito.

NOn ſæua ſunt duntaxat animalia, *Leo* & *Urſus*, ſed & aſtuta. De *Leone* legatur Job. X. 16. *Me ceu Leopardus* (Leo) *venaris. (Quaſi leænam capies me.)* De *Urſo Ambroſ. in Hexaem.* L. VI. c. 4. *eſſe plenam fraudis feram. Baſil. Hom.* IX. Νωθρὰ ἡ φύσις τῆς ἄρκτου, ἰδιότροπον, καὶ τὸ ἦθος ὕπελον, βαθὺ ἐνδεδυκὼς. *Pigrum & ſolitarium, ſed fraudulentum animal. Plin.* L. VIII. c. 36. *Nec alteri animalium in maleficio ſtultitia ſolertior. Oppiano* Urſinum genus cluet αἰολόβολον, *verſutum*, cui δολερὸν κέαρ, αἰόλον ἦτορ, *cor ſubdolum, verſutum pectus. Martialis* L. VI. *Epigr.* 64. Urſo non fidendum vult:

Sit placidus licet, & lambat digitosque manusque.

Thren. Cap. IV. verſ. 3.

Et Dracones nudata mamma catulos ſuos lactant, filia verò populi mei crudelis ut Struthiones in deſerto.

Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos ſuos: filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto.

VErſiones noſtræ Tigurinæ תַּנִּין reddunt *Dracones*, ſecutæ τὰς LXX. Vulgata *lamiam*; ſed neque Dracones ſiue Serpentes, neque lamiæ *lactant catulos ſuos*, deſtitutæ *mammis*. Hinc, rectè judicante *Bocharto*, ſunt *thannin* quærendi inter *cetos*, de quorum mammillis & papillis adnotat *Ariſtot. Hiſt.* L. II. c. 13. non eſſe viſibiles, niſi lactentibus catulis, qui illas ſugendo protrahant, *Scaliger. Exerc.* 104. *Sect.* 10. quò & reſpicere videntur verba Prophetæ תַּנִּין חָלְצוּ שַׁד *Dracones mammam ſoluerunt*, vel, *cete mammam educunt*. Papillam Balænæ ex Ruyſchiano Theatro inſeri juſſi TAB. XVII. Notandum de cetis, non eſſe ouiparos, ſed viuiparos, & catulos ſuos lactare. *Ariſt. Hiſt.* L. III. c. 20. τὰ κήτη, ὅιον δελφὶς, καὶ φώκη, καὶ φάλαινα μαζὸς ἔχει καὶ γάλα. Teſtimonia de horum animalium mammis & lacte occurrunt apud *Ariſtot.* L. VI. c. 12. *Plin.* L. IX. c. 8. 13. *Ælian. Hiſt.* L. V. c. 4. L. X. c. 8. Contentus ero tribus. De *Delphino Oppianus Halieut.* L. I.

Μαζὸν δ' ἀμφοτέροισι παρίσχεται, ὅιον ἑκάστῳ
Θήσασθαι γάλα λαρὸν. ἐπεὶ ῥα οἱ ὤπασε δαίμων
Καὶ γάλα, καὶ μαζῶν ἱκέλην φύσιν, ὅια γυναικῶν.

Admouet uberibus catulos, & lactis utrique
Fundit in os latices: namque huic æqualia Diui
Ubera fœmineis, manantia lacte, dederunt.

De *Phoca* idem:

Ναὶ μὴν καὶ φώκη κομέει γένος ἔτι χέρειον,
Καὶ γὰρ τῇ μαζοί τε, καὶ ἐν μαζοῖσι γάλακτος
Ἔισὶ ῥοαὶ.

Nec minor eſt, quem Phoca pio ſub pectore verſat,
Prolis amor, mammasque pares, & lactis in illis
Flumen habet.

De *Delphino Phile* c. 65.

Τρέφει δὲ καὶ γάλακτι λευκῷ τὰς τόκας,
Προσθεῖσα μαζὸς, ὡς λεχὼ παιδοτρόφος.

Nutritque fœtus lacte, præbens ubera
Lactantis infantem in modum puerperæ.

Adde teſtimonium Cl. *Haſæi Leuiath.* p. 104. qui integra dolia lacte ex uberibus Balænarum hauſto plena ſe ſuis oculis vidiſſe teſtatur.

Clarum ex hactenus dictis, quid ſint *thannin* in noſtro Textu: certè non *lamiæ* illæ, quas finxere Poëtæ, infantum raptores. *Horat. de Arte:*

Neu pranſæ lamiæ viuum puerum extrahat aluo.

Sunt hæ lamiæ fictæ, mammis carentes, ad ſpectra potius relegandæ. Non beſtiæ illæ ex Lybia, de quibus *Dion*, mulierum eſſe formâ, mammis præditas, ſed Draconum ad inſtar ſquamoſas. De quibus neque Veteres nouerunt quidpiam, neque moderni, ſed ſolus *Dion*, qui, *Photio* judice, χαίρει μάλιστα καὶ μυθολογήμασι τὰς παραινέσεις συνδιαπλέκειν, *fabuloſas etiam narrationes ſuis hortationibus intexit lubentiſſime.*

Filia populi mei, inquit Propheta, *crudelis ut ſtruthiones in deſerto.* LXX. ἐθήλασαν σκύμνοι αὐτῶν θυγατέρας λαὸ μὲ εἰς ἀνίατον, ὡς στρθίον ἐν ἐρήμῳ, *lactauerunt catuli eorum filias populi mei in incurabile, quaſi ſtruthio in deſerto.* Eò quippe anguſtiarum redacti fuere Judæi durante obſidione Jeroſolymæ Nebucadnezarica, & ſecuta abductione in captiuitatem, ut *animi deliquium paterentur infantes & lactentes in plateis ciuitatis, (deficeret paruulus & lactens in plateis oppidi,)* Thren. II. 11. *adhæſerit lingua lactentis palato ejus præ ſiti, paruuli panem peterent, nec eſſet, qui frangeret eis*, Thren. IV. 4. *ut deuorarent mulieres fœtus ſuos infantes palmi magnitudine, (comedent mulieres fructum ſuum, paruulos ad menſuram palmæ,)* Thren. II. 20. De crudelitate ſtruthionum vide Job. XXX. 17.

Thren. Cap. IV. verſ. 7. 8.

7. Candidiores erant Nazaræi ejus niue, lacte nitidiores: rubebant ſpecie præ margaritis, polities eorum ſapphiro (ſimilis erat.)
8. Nunc forma eorum nigredine ipſa eſt obſcurior, non ſunt agniti in plateis, adhæſit cutis eorum oſſibus eorum, aret ac riget ut lignum.

7. Candidiores Nazaræi ejus niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores.
8. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis: adhæſit cutis eorum oſſibus: aruit, & facta eſt quaſi lignum.

SI quid formam hominis externam & adſpectum mutare valet, fames eſt & inopia rerum vitæ neceſſariarum, vel & ciborum inſuetorum, fœdorum, à quibus natura abhorret, uſus. Non reficitur corpus, ut quidem deberet, contrahit ſanguis vel viſcoſitatem, vel acrimoniam: augetur malum, ſi accedant ærumnæ, metus, terror, affectus alii, quibus redigitur ad anguſtias cor, ut expellendo ſanguini haud ſit ſuffenum. Quid proin mirum, ſi Naziræi, à vino & vinolento quouis abſtemii, & exquiſitæ diætæ obſeruantiſſimi, durante graui illa Hieroſolymæ obſidione mutati fuerint toti ab illis, *forma eorum nigredine ipſa fuerit obſcurior, non agniti in plateis, ſi adhæſerit cutis eorum oſſibus eorum, ſi aruerit ac riguerit ut lignum. Candidiores* antea *niue, rubentes ſpecie præ margaritis, politi ut ſapphirus?*

Occurrit in Textu vox פְּנִינִים *peninim*, quam Latina noſtra reddit *margaritas*, Vernacula *Rubin*, de qua ad Job. XXVIII. 18. fuſius oſtendi, denotari *margaritas*. Contrariari videtur ſententiæ huic Textus noſter, rubedinem τοῖς פְּנִינִים tribuens, quum margaritæ lacteâ albedine ſint celebratæ. Nodum non ſoluit, quod dentur rubentes etiam & flauæ margaritæ. *In noſtro mari*, verba ſunt *Plinii*, *reperiri ſolebant crebrius circa Boſphorum Thracium uniones rufi ac parui, in conchis, quas myas appellant. Athenæus:* Καὶ ἔστιν ἡ μὲν χρυσοειδὴς σφόδρα, ὥστε μὴ ῥᾳδίως διαγνῶναι, ὅταν παρατεθῇ παρὰ τὸ χρυσίον. Ad quem locum adnotari velim, *Androſtheni* fortaſſis apud *Athenæum* pro margaritis oblatos fuiſſe calculos renales bouinos margaritæformes, qui haud rarò auri ad inſtar nitent. Accedit, quod teſte *Tauernerio Voyag. des Ind.* L. II. 297. flaueſcenti colore tinctæ margaritæ præferri ſoleant albis tanquam maturiores, & conſtantiores. Hæc inquam nodum non ſoluunt, à potiori, colore albo, fit denominatio. Nemo rectè dixerit, eſſe hoc vel illud nigrius homine, licet dentur Æthiopes. Ad rarithecia relegandæ ſunt margaritæ rufæ, vel flauæ. Difficultatem potius è medio tollit vox אָדַם *adam*, quæ in genere quidem notat *rubere*, ſed & *rutilare*, imo *ſplendere, nitere*. *Virgil. Æn.* L. VIII.

Arma inter nubem cœli regione ſerena
E cœlo rutilare vident. —

Philoxeni Gloſſæ, λάμπω, *ſplendeo, niteo, rutilo.* Hac voce, *rutilare*, utuntur Latini de Luna & Stellis non propter rubedinem, ſed ob nitorem, & ſcintillantem lucem. Sic apud Poëtas *purpurea* cluent albiſſima quæque, nix, cygnus. *Albinouanus* in Mecœnatis obitum:

Brachia purpureâ candidiora niue.

Horatius ad Venerem L. IV. *Od.* 1.

Tempeſtiuius in domo
Pauli, purpureis ales oloribus,
Commeſſabere Maximi.

Heſychius: λευκὰ, φοιβὰ, λαμπρὰ, λευκανθίζοντα, λάμποντα. Imò candor ipſe nomen habet à *candere*. Quod magis ſtringit, per *candere* interpretantur Arabes vocem Hebræam אָדַם. Poterunt ita optimo jure verba Textus noſtri ita reddi, *candebant*, ſiue *nitebant præ margaritis, ſie waren an ihrem Leib gläntzender und weiſſer als die Perlen.* Pondus interpretationi addit Leuit. XIII. 19. ubi בְּהֶרֶת *ſplendor*, puſtula vel cruſta lepræ nitens, vocatur לְבָנָה אֲדַמְדֶּמֶת, *albus impensè rufus*, phraſi paradoxa ſanè, ſi אָדַם notat duntaxat *rubere*. De qua re ad citatum locum plura. Sic ſenſus redditur clarus. Siue per Naziræos intelligamus Monachorum illud Judæorum genus, ſiue proceres populi, fuere illi ante Captiuitatem Babylonicam albidiores, nitentiores lacte, niue, margaritis. Sed nec caret effugio Vernacula noſtra Verſio, quæ pro פְּנִינִים *Rubinum* ponit: dici quippe poteſt, ex lacteo tenerrimæ cutis candore promicaſſe gratam quandam rubedinem, ſanguine per extremos tubulos transparente.

Corallia

Corallia pro פְּנִינִים agnoſcit *Boet. Anim-adv. Sacr.* L. IV. c. 3. & in ſubſidium hujus ſuæ ſententiæ inprimis allegat locum hunc Jeremiæ, atque genuinum roboris ſenſum, quem exhibeat vox אַרְמִים. Sed reſponſi loco eſſe poterunt, quæ modò de hac voce in medium protulimus. Addimus, corpus delicatuli hominis haud comparari aptè coralliis, ſed quidem labia, *labra corallina* apud Poëtas. Genæ rubentes *roſis* potius conferuntur & *purpuræ*, quàm coralliis. *Virg. Æn.* L. XII.

Et roſeas laniata genas.

Ouid. Amor. L. I. *Eleg.* 4.

Purpureas tenero pollice tange genas.

Rubra facies ebrioſorum eſt potius, quàm Naziræorum, abſtemiorum. Sic de fœmina bibaci, cujus oculi animusque natabant vino, *Juuenalis Sat.* 6.

— *Tandem illa venit rubicundula: totum Oenophorum ſitiens.*

Martialis L. V. *Epigr.* 4.

Hanc tu rubentem prominentibus labris
Quoties venire, Paule, videris contra.

Et notandum probè, non labia duntaxat aut genas Naziræorum deſcribi rubras, ſed totum corpus. Quadraret ſanè præ corallio *Sarda* ſiue *Carneolus*, quam gemmam Syrus habet, שַׁרְדָא. Sed eſt *Sarda* vel *Sardonyx* ex viliioribus gemmis, uti & corallia, *peninim* autem Jobo atque Solomoni pretioſiſſimis adnumerantur rebus. Diffiteri haud poſſumus, quod jam olim *Plinius* ſcripſerat, in Indiis corallia non minoris æſtimari, quàm margaritas abEuropæis. Sed de Judæa vel Idumæa non idem conſtat.

Reſtat Naziræorum *polities ſapphiro ſimilis*, quæ iterum *AbenEzræ* anſam dat Sapphiro tribuendi ruborem. Sed non tam heic ſermo eſt de colore, quàm de nitore, unde *Hieronymus* reddit *Sapphiro pulchriores*, LXX. ὑπὲρ λίθα σαπφείρε τὸ ἀπόσπασμα αὐτῶν, quibus noſtræ quoque Verſiones concordant. Illuſtrat Locum Sapphirus ipſa cœrulea: transparet ſanguis per tenerrimam corporis pulchri cutim colore cœruleo.

Thren. Cap. IV. verſ. 19.

Velociores fuerunt perſequutores noſtri aquilis cœli, in montibus ipſis perſequuti ſunt nos, in deſerto inſidiati ſunt nobis.

Velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis cœli: ſuper montes perſecuti ſunt nos, in deſerto inſidiati ſunt nobis.

Vid. Jer. Cap. XLVIII. verſ. 40.

Thren. Cap. V. verſ. 18.

Propter montem Zion, qui vaſtatus eſt, ut vulpes in eo (verſentur.)

Propter montem Sion, quia diſperiit: vulpes ambulauerunt in eo.

Vid. Cant. Cap. II. verſ. 16.

PROPHETA EZECHIEL.

Ezech. Cap. I. verſ. 4.

Et vidi, & ecce ventus turbinis veniens ab Aquilone, nubes magna, & ignis ſeſe reciprocans, ſplendens per circuitum, de medio autem ejus tanquam (a) ſpecies (b) Hasmal, de medio inquam ignis.

(a) Al. legunt tanquam oculus Hasmal, vel Angeli.
(b) Hasmal variè exponunt, reliqui ergo vocem Hebraicam; ſignificat autem electrum, ſeu tacitam muſſitationem.

Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone: & nubes magna, & ignis inuoluens, & ſplendor in circuitu ejus: & de medio ejus, quaſi ſpecies electri, id eſt, de medio ignis.

QUæſtio eſt inter Literatos agitata valde de חַשְׁמַל *Chasmal*, quod Ezechiel vidit, & Græci reddiderunt ἤλεκτρον. Eſt quippe hæc ipſa vox æquiuoca, & primariò quidem denotat *Succinum*, magni inprimis habitum, ſi fuerit aurei coloris, χρυσίζον *Heſychio*, χρυσοήλεκτρον *Calliſtrato* apud *Plinium*. Hinc & *electri* nomen obtinuit aurum argentiferum, μίγμα ἔχον ἀργύρε καὶ χρυσε, *Strab.* L. III. ἀναμεμιγμένος ἀργύρε χρυσὸς, *Pauſan. in Eliacis prioribus*. Certum hoc eſt, eſſe nomen & uſum electri antiquiſſimum. Ex eo confectum ſcyphum Templo Mineruæ Lindiæ intulit Helena: inde parabatur clypeus Herculis apud *Heſiodum:*

Ἠλέκτρῳ τ' ὑπολαμπὲς ἔην, χρυσῷ τε Φαεινῷ
Λαμπόμενον.

Nitebat Menelai ædes laminis ex auro, argento, ebore & electro. *Homer. Odyſſ. δ'.*

Χρυσε τ' ἠλέκτρε τε καὶ ἀργύρε, ἠδ' ἐλέφαντος.

Cryſtallus ipſa Veteribus cluebat electrum.

Ἠδυφανὴς ἤλεκτρος ἀέξεται.

Naſcitur electrum præfulgens luce nitenti.

Dion. Perieg. v. 317. Quæritur nunc, qualisnam inter tot ſignificatus quadret Ezechielis Chasmal? Variant, quod mox videbimus, Interpretes.

Arabica Verſio ſibi non conſtat. Ezech. I. 4. habet *al-karabe*, *Succinum:* ſed I. 27. & VIII. 2. *maha*, *Cryſtallum.*

LXXviralem ſi introſpiciamus penitius, patebit, Græcos ἤλεκτρε nomine neque *Succinum* intellexiſſe, neque *Cryſtallum.* Ita hi in noſtro Textu, πῦρ ἐξαςράπτον. Καὶ ἐν τῷ μέσῳ αὐτε ὡς ὅρασις ἠλέκτρε ἐν μέσῳ τε πυρὸς. *Ignis fulgurans: & in medio ejus quaſi viſio electri in medio ignis, & ſplendor in eo.* Succinum igni immiſſum opaceſcit & fumat, ardens inſtar picis. Cryſtallus verò igne fœdatur fuligine.

Naturæ rei congruit magis, ut quæramus חַשְׁמַל inter *metalla*, de quibus notum, igne liquata nitere magis & fulgere. Sic aliud obtinebimus ἤλεκτρον, mixturam auri argentiue, quam intellexere *Theodoretus*, *Gregorius*, *Dionyſius Areopagita*, *Origenes*, *Hieronymus.* Judæos ſi conſulas Doctores, tenebras obtinebis pro luce. Veterum plerique volunt *Angelum*, recentiores, *Jarchi*, *Kimchi*, *Pomarius*, colorem igneum: ſic & *Junius* reddit *colorem viuidiſſimum.*

Bocharto Hieroz. P. II. L. VI. c. 16. placet mixtura ex auro & ære. Eſt ei חַשְׁמַל Chaldaica vox, compoſita ex נְחָשׁ & כַּלַּל, ære & auro. Erit igitur חַשְׁמַל idem quod נְחָשְׁמַלָּל vel נְחָשְׁמַל. Eſt autem aurum hocce æriferum, χαλκὸς χρυσοειδὴς *Diod.* L. V. non unius generis.

I. *Æs Indicum* ſiue *Perſicum*, de quo *Ariſtot.* in *Mirabil.* Φασὶ καὶ ἐν Ἰνδοῖς τὸν χαλκὸν εἶτως εἶναι λαμπρὸν καὶ καθαρὸν καὶ ἀνίωτον, ὡς μὴ διαγινώσκεσθαι τῇ χρόᾳ πρὸς τὸν χρυσόν. Ἀλλ' ἐν τοῖς Δαρείε ποτηρίοις βατιακὰς εἶναί τινας καὶ πλείε. ἃς εἰ μὴ τῇ ὀσμῇ, ἄλλως ἐκ ἦν διαγνῶναι, πότερον εἰσὶ χαλκαὶ ἢ χρυσαῖ. *Dicunt & in Indiis æs adeò eſſe fulgens, nitidum, ac purum, ut quoad colorem dignoſci nequeat ab auro, ſed odore. Habuiſſe inde pocula Darium.* Hujusmodi æs ſi Ezechielis ætate jam fuit cognitum in Babyloniæ Regno, commodè id exprimere poſſet Chasmal. Hujusdem materiæ fuere fortaſſis *vaſa* illa *ænea auricoloria elegantia duo, expetibilia ut aurum, (vaſa æris fulgentis optimi duo, pulchra ut aurum.)* Esdr. VIII. 27. ubi LXX. habent σκεύη χαλκᾶ ςίλβοντος. Illud item æs, ex quo parari juſſit Solomon Mare æneum, & vaſa ſacra 1. Reg. VII. 45. *Joſephi* judicio *Antiq.*

L. VII.

L. VII. c. 6. *auro pretioſiora*, τῷ χρυσῷ κρείττονα.

II. *Æs cyprium* felle bouillo tinctum, in tenues laminas cuſum, *coronarium* dictum, ex quo Comœdi parare ſolebant coronas, ut hodienum puellæ ruſticæ paſſim diademata geſtant, hujusmodi ære fulgentia. Græcis dicitur χολοβάφον, χολοβάφινον, felle tinctum. Poteſt & hoc conferri cum Chasmale noſtro.

III. *Æs* item *pyropum*, aureo colore fulgens, quod prodiit auri quinta parte addita æri coronario.

IV. *Æs Corinthium*, ex ære, argento & auro conflatum, cujus prima inuentio refertur communiter ad Corinthi vaſtationem ſub L. Mummio Achaico A.V.C.608. *Plin.* L. XXXIV. c. 2. *Ex illa verò antiqua gloria Corinthium maximè laudatur. Hoc caſus miſcuit, Corintho, cum caperetur, incenſa. Florus* L. II. c. 16. *Quicquid Corinthii æris toto orbe laudatur*, (Corinthi) *incendio ſuperfuiſſe comperimus. Nam æris notam pretioſiorem ipſa opulentiſſimæ urbis fecit injuria, quia incendio peruſtis plurimis ſtatuis, atque ſimulachris, æris, auri, argentique venæ in commune confluxere.* Sed fabulam redolet hæc æris Græci ſeu Corinthii origo (quam *Iſidorus* L. XVI. c. 19. minori adhuc jure à Corintho per Hannibalem vaſtata deriuat): quandoquidem Phidias trecennis annis ante primam illam Plinio memoratam vaſtationem in ære Corinthio laborauit: & rei adeò memorabilis nulla fit mentio apud *Strabonem, Ariſtidem in Iſthmicis, Pauſaniam in Corinthiacis, Chryſoſtom. Orat.* 37. Ut omnino ſuſpicari liceat, fuiſſe *Aurichalcum* illud, *Heſiodo* & aliis Poëtis vetuſtiſſimis celebratum, æris Corinthiaci genus: ſic & vaſa illa Solomoni ab Hiramo miſſa, quod comprobant Verſiones Syriaca & Arabica, vertentes Græcum, ſiue Corinthiacum, æs. Hæc ſi ita ſint, non ſolùm poterit Chasmal huic æri conferri, ſed ſequeretur porrò, fuiſſe Corinthum celebrem 900. annis ante vaſtationem memoratam ſupra.

V. Percommodè Chasmal noſtrum verteris per *Aurichalcum*, quod ipſi Etymologiæ ſupra datæ reſpondet; id *Feſtus, Seruius in Æneid.* L. XII. *Iſidor. Orig.* L. XVI. c. 19. *Ambroſ. in Apoc.* c. 1. & alii benè multi deriuant *ab aureo colore*, ſed malè; genuinum quippe, authoritate *Horatii, Virgilii, Statii* probatum, vocabulum eſt *Orichalcum*, ὀρείχαλκον, cui quidem nomini anſam dedit traditio vetus, de auro argentoue profluis ex montibus, occaſione ſyluarum igne conſumptarum; quale incendium de Gallicis Alpibus memorat *Poſidonius* apud *Athenæum* L. VI. de Hiſpanicis *Ariſtot. in Mirab.* de Pyrenæis *Diodor.* L. V. imo omnis μεταλλοξύξεως cauſam perhibent *Lucret.* L. V. v. 1250. *Seneca Epiſt.* 90. *Iſid.* L. XVI. c. 17. *Seruius in Æneid.* L. XII. Sed notari meretur, quod Aurichalcum veterum auro haud fuerit multò inferius, teſte *Platone in Critia.* Suffragantur Poëtæ. In *Heſiodi Scuto* Hercules armaturam geſtauit auream, & ex Orichalco ocreas, κνημίδας ὀρειχάλκοιο φαεννάς. Apud *Virgilium* Turnus

— auro ſqualentem, alboque orichalco
Circumdat loricam humeris.

Plautus multoties *Aurichalco contra* pro *Auro contra*: in *Pſeudolo Act.* 2. *Sc.* 3.

Dii immortales, aurichalco contra non charum fuit
Meum mendacium, hic modo quod ſubito commentus fui.

Hinc *Scholiaſtes Heſiodi* de orichalco, eſſe ære pretioſius, εἶναι ὕλην τινα μεταλλικὴν χαλκὸ τιμιοτέραν. Sed poſteris temporibus aurichalci nomen tributum fuit æri cadmiâ tincto, quod adhuc in communi eſt uſu. De hoc intelligenda veniunt loca, in quibus aurichalcum inferiori longè ſede ponitur, quàm aurum, *Cicer. L. III. Offic. Sueton. in Vitellio* c. 6. *Digeſt. Tit. de contrahenda emptione L. Labeo.* 45. De pretioſiori illo aurique æmulo orichalco quærere licet, an foſſile fuerit. *Platoni* ſi fides, fuit nominetenus duntaxat cognitum, ὀνομαζόμενον μόνον, imo non Ens, ſi *Ariſtoteli* apud *Scholiaſten Apollonii* L. IV. v. 973. credamus.

Ex allatis hactenus opinionibus palmam præripere mihi videtur, quæ per Chasmal Ezechielis, & χαλκολίβανον Apoc. I. 15. II. 18. intelligit aurei illud coloris pretioſum æs, ex quo Darius conflari juſſit pocula, & bina Eſdras habuit pretioſa vaſa. Id adhuc hodie in India Orientali *Suaſſa* nomine eſt cognitum, annulis & poculis conficiendis adhiberi ſolet à Regibus, & parari ex anaticis auri & æris ruberrimi, quale Japanicum eſt, partibus. Fusè id deſcribit Indiæ Plinius, *Rumph. Amboin. Rarit. Kammer.* L. III. c. 4. p. 202.

Quamuis auerſo haud ſim animo à Copernicano Mundi Syſtemate, quin potius ei ſubſcribam lubens & ſciens, pollicem tamen premere haud poſſum *Henrico Moro*, celebri Theologo Anglo, qui in *Expoſitione Mercauæ* viſione hac Ezechielica adumbrari vult vortices Carteſii & Copernici Syſtema: ut nec *Zimmermanno Scriptur. Sacr. Coperniz.* c. 7. qui in Ezechielis *igne ſeſe reciprocante, ſplendente per circuitum*, vidit primum Carteſii elementum, in *nube magna* ſecundum, in *animalibus* & *rotis* tertium, quod naturâ ſua opacum ab efficaci Solis fulgore animari debet. Quod ipſum tertium elementum in quatuor animalia, totidemque rotas ſubdiuiſum pro emblemate currus illius Ariſtotelici à quatuor elementis, igne, aëre, aqua & terra tracti poſſet aſpectare quispiam: vel nominatus modò ξυλοτέκτων, qui viſionibus aliàs delectari ſolebat, rotam terræ, Lunæ, Veneris & Mercurii, quæ rotæ omnes eo ſeſe verterint, quo רוּחַ, πνεῦμα, *ventus*, nem-

pe Solaris. Quæ explicatio ſi locum inuenit, vidit Ezechiel vorticis mundani eam partem, quæ ſeſe extendit inde à terra ad Solem, imo, ſi *Zimmermanno* credimus, primam vorticis Solaris creationem, in quo Sol עַיִן *ut oculus*, & *ventus turbinis veniens ab Aquilone* denotat *ſtatum profundiſſimum abſconſionis*, explicante *Moro*, vel *principium hypoſtaticum actiuum ex principio paſſiuo* veluti matrice prodiens, per omnipotens *Fiat*, totumque Uniuerſum colluſtrans. Sic philoſophari amat quoque P. *Rheita* in *Oculo Enochi & Eliæ*. Stet per me ſuum cuique judicium, ſed & mihi libertas venerandi viſionem hanc Ezechielis pro tali, quæ altius quid & præclarius deſignet, quàm mundi ſyſtema.

Ezech. Cap. I. verſ. 16.

Aſpectus rotarum, & (a) factura earum ſicut aſpectus (b) maris. —

Aſpectus rotarum, & opus earum, quaſi viſio maris. —

(a) Al. legunt, opus eorum.
(b) Al. Tharſis, & lapidem intelligunt: videtur autem cæruleus color ſignificari.

Vid. Exod. Cap. XXVIII. verſ. 20.

Ezech. Cap. I. verſ. 22.

Jam ſimilitudo firmamenti erat ſuper capita animalium, ſicut aſpectus Cryſtalli admirandæ, expanſa ſuper capita eorum ſuperne.

Et ſimilitudo ſuper capita animalium, firmamenti, quaſi aſpectus Cryſtalli horribilis, & extenti ſuper capita eorum deſuper.

עַיִן הַקֶּרַח reddit *Arias Montanus*, *ut oculus gelu*, qui lapis eſt grandinis, diaphanus. Hinc nos, ſecuti τὸς LXX. vertimus κρύσταλλον, *Cryſtallum*, qui lapis pellucidus quoque eſt ut glacies, imò viſus multis glacies ætate indurata. Quam erroneam opinionem diſcuſſam lege in *Hiſtoria* mea *Heluetiæ naturali*.

Ezech. Cap. I. verſ. 26.

Super extenſionem autem, quæ erat ſuper caput eorum, ſpecies veluti lapidis ſapphirini, effigies ſcilicet ſolii; ſupra effigiem ſolii erat forma tanquam hominis ſuper ipſum ſupernè.

Et ſuper firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quaſi aſpectus lapidis ſapphiri, ſimilitudo throni: & ſuper ſimilitudinem throni, ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper.

Vid. Ezech. Cap. XXVIII. verſ. 18.

Ezech. Cap. I. verſ. 27. 28.

27. Et vidi veluti formam Hasmal, quemadmodum aſpectum ignis, intra illum per circuitum ab aſpectu lumborum ejus & ſupra, & ab aſpectu lumborum ejus & infra, vidi ſicut viſionem ignis, habebatque ſplendorem per circuitum.

27. Et vidi quaſi ſpeciem electri, velut aſpectum ignis, intrinſecus ejus per circuitum: à lumbis ejus & deſuper, & à lumbis ejus usque deorſum, vidi quaſi ſpeciem ignis ſplendentis in circuitu.

28. Sicut

28. Sicut forma arcus, qui fit in die pluuiæ, ſic erat aſpectus ſplendoris per circuitum, & hic erat aſpectus & imago Gloriæ DOMINI. —

28. Velut aſpectum arcus, cum fuerit in nube in die pluuiæ, hic erat aſpectus ſplendoris per gyrum, hæc viſio ſimilitudinis gloriæ DOMINI. —

Vid. Ezech. Cap. I. verſ. 4. Gen. Cap. IX. verſ. 16.

Ezech. Cap. II. verſ. 6.

Et tu, fili hominis, ne timeas eos, neque à verbis eorum formides, quia contentioſi & ſpinoſi tecum ſunt, & cum (a) Scorpionibus tu habitas: à ſermonibus eorum ne metuas, & à facie eorum ne terrearis, quia domus rebellis ſunt.

(a) Sunt homines peſtilentiſſimi.

Tu ergo, fili hominis, ne timeas eos, neque ſermones eorum metuas: quoniam increduli & ſubuerſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas. Verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides, quia domus exaſperans eſt.

EST, quod notum, Scorpio animal venenatum, noxium, ipſis illis, qui ei benè faciunt, infeſtum, lectis amicum, ut cimices. Ictus in climatibus cumprimis calidioribus lethalis, ni ſuccurratur maturè. Haud proin mirum, ſi malè audiat in hominum ſocietate, ſi Arabibus *Scorpionibus odioſior* dicatur, qui omnium in ſe contrahit odia. Talis fuit Ezechieli Populus Iſraeliticus: bombylii hi homines, horumue maledica ora, prauique affectus Scorpionum fuere ictus. Imo DEUS ipſe rebelles hosce Scorpionum inſignit titulo, Prophetam ſuum hortans, *ne timeat eos.* Ita Hercules in *Caſſandra Lycophronis* v. 476. σκορπίος audit, διὰ τὸ Φονικὸν, propter cædes patratas, interprete Scholiaſte. De hujusmodi μισανθρώπῳ *Ammianus Antholog.* L. II. c. 43.

Θᾶττον ποιήσει μέλι κάνθαρος, ἢ γάλα κώνωψ,
Ἢ σύ τι ποιήσεις, σκορπίος ὢν, ἀγαθόν.

Potius mel faciet ſcarabeus, aut lac culex,
Quàm tu quid boni facies, quum ſis ſcorpius.

Apulejus L. IX. *Noſti quendam barbarum noſtræ ciuitatis decurionem, quem Scorpionem præ morum amaritudine vulgus appellat. Procopio* apud *Suidam* mali moris mulier cluet σκορπιώδης, utpote πληκτικὴ καὶ ὀργὴν σκοτεινὴ, *ad percutiendum prona, & iram occultans. Polluci* rixoſus ὁ δὲ ὀργίλος λέγοιτ' ἂν ἄγριος, θηριώδης, ἰὲ γέμων, σκορπιώδης, σκορπίος. *Iracundus autem dicatur ferus, ferinus, veneni plenus, Scorpioni ſimilis, Scorpio.* Græcis σκορπιᾶν, σκορπιαίνεσθαι, ἀγριαίνεσθαι, ἐρεθίζεσθαι, ἀποθηριᾶσθαι, τραχύνεσθαι, ἀπαυθαδίζεσθαι, *efferari, exaſperari, irritari, arroganter pertinacem eſſe.* Siracides XXVI. 10. *de mala muliere*, herba, *qui eam ſibi adjungit, perinde facit ac qui apprehendit Scorpionem.* Et conferri merentur cum Scorpionibus illis, qui Ezechielem vexabant, *locuſtæ* illæ myſticæ, quæ habebant ἵππων ὁμοίας σκορπίοις Apoc. IX. 3. 10. Monendum reſtat, Hebræum סַרְבִּים emphaticè reddi à LXX. παροισρήσασι, *tanquam œſtro perciti inſanient*, illi Judæi, recalcitrantes equi ad inſtar indomiti, à culicibus vexati. Hoſ. IV. 16. *Sicut buccula indomita defecit Iſrael. (Sicut vacca laſciuiens declinauit Iſrael.)* Ubi plura in rem præſentem.

Ezech. Cap. III. verſ. 9.

Sicuti Adamantem, qui ſilice durior eſt, reddidi frontem tuam. —

Ut adamantem, & ut ſilicem dedi faciem tuam. —

Vid. Jer. Cap. XVII. verſ. 1.

TAB. DCXXXI.

Ezech. Cap. IV. verſ. 1. 2. 3.

1. Tu verò, fili hominis, accipe tibi laterem, & pone eum ante te, & (a) inſculpe ſuper eum urbem Jeruſalem.

(a) Al. exarabis.

2. Pone deinde obſidionem contra eam, extrue aduerſus eam propugnaculum, & affunde ei aggerem, caſtra pone contra eam, & pone contra eam per circuitum arietes.

3. Cape tibi deinde ſartaginem ferream, poneque eam murum ferreum inter te, & inter ciuitatem, & dirige faciem tuam contra eam, eritque obſeſſa, & oppugnabis eam. Signum hoc eſt domui Iſraelis.

1. Et tu, fili hominis, ſume tibi laterem, & pones eum coram te: & deſcribes in eo ciuitatem Jeruſalem.

2. Et ordinabis aduerſus eam obſidionem, & ædificabis munitiones, & comportabis aggerem, & dabis contra eam caſtra, & pones arietes in gyro.

3. Et tu ſume tibi ſartaginem ferream, & pones eam murum ferreum inter te & inter ciuitatem: & obfirmabis faciem tuam ad eam, & erit in obſidionem, & circumdabis eam: ſignum eſt domui Iſrael.

INgeniarium agit juſſu DEI Propheta, obſidionem delineat Hieroſolymæ, & quidem *in latere* fictili, circumuallationum lineas format, valla, propugnacula, reductus extruit, omnemque rei militaris apparatum præſentat. Oſtendi alibi, bella gerendi modos olim alios fuiſſe à nunc uſitatis, aliam fuiſſe Architecturam tum offenſiuam tum defenſiuam à moderna, approximaſſe veteres, ante pulueris pyrii, tormentorum & ſclopetorum inuentionem, ſupra terram, ut nunc peragi ſolent omnia per cuniculos, adductus ſubterraneos. Muris obſeſſæ urbis admouebantur olim ſcalæ, vel, ſi militibus parcere volebant Duces, erigi jubebant circumcirca vallum, quod ſenſim atque ſenſim propius urbi admotum tandem ejusdem fuit cum pinnis murorum Horizontis. Sic reſcindebatur obſeſſis omne cum amicis commercium, ut redacti in anguſtias ſeſe dedere fuerint coacti. Hujus generis fuit, de qua nunc, Hieroſolymæ obſidio, imo & ea, quæ poſt CHRISTI mortem ultimum attulit maledictæ urbi excidium. Luc. XIX. 43. ἥξουσιν ἡμέραι ἐπί σε, καὶ περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σε χάρακά σοι, καὶ περικυκλώσουσί σε, καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν. In Ezechielica delineatione offerunt ſeſe conſpectui noſtro רֵיק LXX. προμαχὼν, *propugnaculum*, Ariæ Montano *turris lignea*, quales nempe adducebant muris hoſtes, obſeſſis exinde noxas illaturi jactu lapidum, jaculis, ſagittis. Porrò סוֹלְלָה, χάραξ, *agger*, vallum, quod haud dubiè in certa diſtantia defendebatur alis ſeu turribus, ut hodie defendi ſolent lineæ circumuallationum & contravallationum reductibus, *Redoutes*, aliisque operibus. מַחֲנוֹת, παρεμβολαὶ, *Caſtra*, & כָּרִים βελοσάσεις, *machinæ miſſilium*, nos *arietes*, *Böcke*, de quibus mox plura.

Suffoſſiones non quidem adeò fuere frequentes Veteribus, neque adeò formidabiles, ut nunc ſunt, haud tamen ignotæ. Locus extat apud *Vegetium* L. IV. c. 24. *Aliud genus oppugnationis & ſubterraneum atque ſecretum, quod* cuniculum *vocant, à leporibus, qui cauernas ſub terris fodiunt, ibique conduntur. Adhibita ergo multitudine ad ſpeciem metallorum, in quibus auri argentique venas foſſorum rimatur induſtria, magno labore terra defoditur, cauatoque ſpecu in exitium ciuitatis, inferna quæritur via. Quæ fraus duplicibus operatur inſidiis. Aut enim penetrant urbem, & noctu non ſentientibus oppidanis egrediuntur per cuniculum, reſeratisque portis, ſuorum agmen inducunt, hoſtesque in ipſis domibus perimunt ignorantes: Aut certè, cum ad murorum fundamenta peruenerint, ſuffodiunt eorum maximam partem, &, appoſitis ſiccioribus lignis, ruinam muri tumultuario opere ſuſpendunt. Sarmenta inſuper jungunt aliaque fomenta flammarum. Tunc præparatis bellatoribus ſubter ignis immittitur, combuſtisque columnis ligneis atque tabulatis,*

muro

EZECH. Cap. IV. v. 1. 2. 3.
Hierosolymæ oppugnatio prævisa.

Ezech. Cap. IV. v. 1. 2. 3.
Vorher gesehene Belagerung Jerusalems.

H. Sperling sculps.

muro ſubitò corruente, inruptioni aditus reſeratur. Curt. L. IX. *Validiſſimam gentis urbem cuniculo cepit. Barbaris ſimile monſtri viſum eſt, rudibus militarium operum. Quippe in media ferme urbe è terra exiſtebant, nullo ſuffoſſi ſpecus ante veſtigio facto.* Tale quid fortè intelligi poteſt de vaſtatione illa Babelis Jer. LI. 58. *Murus Babylonis ille denſus (altiſſimus) diruendo diruetur, & portæ ejus excelſæ igni comburentur.* Pſal. CXXXVII. 7. *Euacuate, euacuate usque ad ipſius fundamentum. (Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.)*

Τῶν כָּרִים mentio fit quoque Ezech. XXI. 22. *Ad dexteram ejus fuit diuinatio Jeruſalem, ut ponat arietes,* כָּרִים, *ut aperiat os ad cædem, ut exaltet claſſicum, ut ponat arietes, affundat aggerem, & extruat turrem. (Ad dexteram ejus facta eſt diuinatio ſuper Jeruſalem, ut ponat arietes, ut aperiat os in cæde, ut eleuet vocem in ululatu, ut ponat arietes contra portas, ut comportet aggerem, ut ædificet munitiones.)* XXVI. 9. *Tormentum feriendi è regione ponet ad muros tuos, & demolietur turres tuas telis ſuis. (Et vineas & arietes temperabit in muros tuos, & turres tuas deſtruet in armatura ſua.)* Vocatur aliàs machina hæc Hebræis אֵירֹ *aries*, & אֵירֹ נְחֹשֶׁתֹ *aries ferreus* apud *Druſium*. Et volunt *Joſephus, Abulenſis, Vatablus*, hujusmodi arietibus *ruptam eſſe urbem* (Hieroſolymam) *anno undecimo Zedekiæ, menſe quarto, nona die menſis, (undecimo anno Sedeciæ, menſe quarto, quinta menſis, aperta eſt ciuitas.)* Jer. XXXIX. 2. Fuit autem *aries* machina mole grauis ferrea, anteriore ſui parte acuminata, vel capite arietino aut hircino armata, quâ ex catena ferrea ſuſpenſa, vel nudâ, magno impetu irruebant in muros. Nomini originem dedit ipſa arietini capitis figura, & arietum hircorumue inſultandi mos. Sic vidit Daniel VIII. 4. *Arietem cornibus impetentem verſus Occaſum, & Aquilonem, & Meridiem.* Hinc fortè Germanorum vox, qua arietem deſignant, *Widder* ab impetendo originem traxit, *weilen er wider, oder entgegen, ſtoſſet*, vel à *wehren*, defendere: ut Latinorum *aries* ab ἄρης, à Marte. Hinc Belgæ peraptè in Textu noſtro & XXI. 22. machinas hasce exprimunt per *Storm-rammen*, nos diceremus *Sturm-Widder, Sturm-Böcke*. Galli in mediis ſeculis vocabant *Carcamouſſes*, poſtmodùm *Foutouers, Fututores* apud *Fauchetum*. Etymologiam reticere malo, quàm inquirere. Inuentionem tribuunt *Tertullianus* & *Vitruuius* Carthaginenſibus, qui in expugnatione Gadium impetebant muros trabibus ligneis, & ſubruebant. *Vitruuius: Primum ad oppugnationes aries ſic inuentus eſſe memoratur. Carthaginienſes ad Gades oppugnandas caſtra poſuerunt. Cum autem caſtellum ante cepiſſent, id demoliri ſunt conati. Poſteaquam non habuerunt ad demolitionem ferramenta, ſumpſerunt tignum, idque manibus ſuſtinentes, capiteque ejus ſummum murum continenter pulſantes, ſummos lapidum ordines dejiciebant, & ita gradatim ex ordine totam munitionem diſſipauerunt.* Materiam hanc de *ariete* pertractatam vide fuſius apud *Stewechium ad Vegetii* L. IV. c. 14. & *Lipſium Poliorcet.* L. III. *Dial.* I. ex quo præcipua heic excerpo.

A. *Aries* eſt *rudis*, quem manibus lacertisque validi homines ſuſtinent & agunt. Pictus ſic extat in Columna Trajani. *Lucanus Lib.* I.

> *Tu quoscunque voles in planum effundere muros,*
> *His aries actus diſperget ſaxa lacertis.*

B. C. *Aries compoſitus*, qui à trabe altera pendulus vi majore, conatu leuiore libratur, cujus inuentio quoque Carthagini, ſtudiis illi aſperrimæ belli, tribuitur. Hunc ita deſcribit *Joſephus Bell. Jud.* L. III. *Eſt aries trabs prægrandis, quæ malum nauis adſimilat. Is ſolidatur in capite graui ferro, in arietis formam, unde & nomen adſumpſit. Dependet medius, funibus ſuſpenſus ex alia trabe, velut trutina, quæ trabs tignis utrimque firmis munita eſt & fulta. Repulſus porrò magna virorum manu retrorſum, iisdemque antrorſum ſtatim & cum impetu reflectentibus, quatit muros prominulo ferro. Neque eſt ulla turris tam valida, aut mœnia tam lata, quæ, ut primas maximè plagas tulerunt, ſuſtinere & ſubſiſtere aſſiduas eas poſſint. Lucanus* iterum:

> *- - - nunc conjunctas adſtringere nodis*
> *Inſtabat ferroque trabes, quo frangeret altos*
> *Portarum poſtes, quateretque morantia clauſtra.*

D. *Teſtudo arietaria*, vel *teſtudo aries*. De quo *Vitruuius* L. X. *Cetras Carchedonius de materia primùm baſin ſubjectis rotis fecit, ſupraque compegit arrectariis & jugis varas, & in his ſuſpendit arietem, coriisque bubulis texit, uti tutiores eſſent, qui in ea machinatione ad pulſandum murum eſſent collocati. Id autem quia tardos conatus habuerit, teſtudinem arietariam cœpit appellare.* De nominis origine aliter *Vegetius: Teſtudo à ſimilitudine veræ teſtudinis nomen ſumpſit, quia ſicut illa modò reducit, modò profert caput, ita machinamentum trabem. Claudianus:*

> *Tum tua murali libretur machina pulſu,*
> *Saxa rotet præceps aries, protectaque portas*
> *Teſtudo feriat, ruat emerſura juuentus.*

Sartago ferrea, τήγονον σιδηρᾶν, quam ponere debuerat Propheta inter ſe & ciuitatem, non pertinet ad machinas militares, ſed inſeruiebat ad id, ut per clathrata ferramenta obſidionem adſpiceret.

Ezech. Cap. IV. verſ. 10. 11.

10. Porrò cibus tuus, quem comedes, in pondere viginti ſiclorum ſit in diem, à tempore usque in tempus comedes illum.
11. Aquam quoque in menſura bibes, ſextam nempe partem Hin, & bibes à tempore in tempus.

10. Cibus autem tuus, quo veſceris, erit in pondere viginti ſtateres in die, à tempore usque ad tempus comedes illud.
11. Et aquam in menſura bibes, ſextam partem Hin: à tempore usque ad tempus bibes illud.

EST Tragœdia communiter imitatrix rerum geſtarum, ſed heic proluſoria & ſancta repræſentatio earum rerum, quæ contingere debebant durante obſidione Hieroſolymitana, quâ ad paucorum Siclorum pondus porrigebatur panis, ad paucas uncias aqua. Et fuit hoc ſimul Jejunium Propheticum. Pondus ipſum panis fuit 9. unciarum, drachmarum 4. & 48. granorum. Aquæ dimenſum dat incirca $\frac{1}{3}$. de dimidia menſura agraria, ſiue $\frac{11}{14}$. quartalis urbici Tigurini.

Ezech. Cap. IV. verſ. 12. 15.

12. Et placentam hordeaceam comedes, quam videntibus illis coquas in ſtercoribus excrementi humani.
15. Et dixit ad me: Ecce, tibi fimum boum loco ſtercoris humani, cum quo coquas panem tuum.

12. Et quaſi ſubcineritium hordeaceum comedes illud: & ſtercore, quod egreditur de homine, operies illud in oculis eorum.
15. Et dixit ad me: Ecce, dedi tibi fimum boum pro ſtercoribus humanis: & facies panem tuum in eo.

OCcurrunt heic duo animaduertenda, *panis*, eumque coquendi modus. De *pane* ſcil. encryphia, ſubcineritio, placentæ genere ſub cineribus cocto, lege Gen. XVIII. 6. Lucem mutuatur, præter alia loca, 1. Reg. XIX. 6. ubi *quum reſpexiſſet* fugitiuus à Jeſabele Elias, *ecce erat ad caput ejus placentula ſuper prunas cocta*, עֻגַת רְצָפִים, *(ecce ad caput ſuum ſubcineritius panis.)* Hoſ. VII. 8. ubi *Ephraim inter gentes commixtus*, harumque fœdâ idololatria pollutus, dicitur factus *placenta*, *quæ non eſt verſa*, *(ſubcineritius panis*, *qui non reuerſatur*,) id eſt, ex una duntaxat parte cocta, ab alterâ cruda, mollis. Hujusmodi quippe placentæ ſupra infraue igne vel carbonibus ignitis opus habent, ut nos parare ſolemus ex ouis & lacte, item tortas, vel, ſi ex una duntaxat parte ſit ignis, verti debent, ut calor ignis penetret ex æquo. Hujusmodi placenta ἐπανθρακὶς dicitur *Diocli Caryſtio* apud *Athenæum*: Ἡ δ' ἐπανθρακὶς ἐϛι τῶν λαγάνων ἀπαλωτέρα. ἔοικε δὲ ἡ ἔτος ἐπ' ἀνθράκων γίνεσθαι, ὥσπερ γὰρ ὁ παρ' Ἀττικοῖς ἐγκρυφίας. *Epanthracis in laganis eſt cæteris delicatior; videtur autem etiam hic panis ſuper carbones coqui, ut Athenienſium encryphias.*

Coqui debebat juſſu DEI *placenta hordeacia in ſtercoribus excrementi humani*, ἐν βολβίτοις κόπρε ἀνθρωπίνης, vel, renitente Propheta, *in fimo boum*, ἐν βολβίτοις βοῶν. Ubi Hebræum וְעֻגֹתָהּ, *coques illum*, conuenit cum עֻגַת, ἐγκρυφίας, & redditur à LXX. ἐγκρύψεις, *abſcondes*, ſcilicet more ſolito ſub cineribus, heic ſub ſtercoribus. Ne quis autem exiſtimet miſcuiſſe Prophetam ſtercus ipſi maſſæ placentæ, vel abſcondidiſſe ita, ut fuerit ſtercori immerſus, quo ſenſu ſumſiſſe videtur *Hieronymus*, & ipſa Vernacula noſtra Verſio, *du ſolt ſie mit Menſchen-Koth backen*, quamuis hæc æquiuoca ſanum quoque, quem mox dabimus, admittat ſenſum, coquere ligno, vel prunis dicimus, *mit Holtz*, *mit Kohlen backen*: Senſus genuinus hic eſt, loco ligni vel carbonum ſumere debuiſſe Prophetam ſtercus humanum, vel fimum bouinum, eò namque inopiæ rerum inflammabilium redigendos fore Judæos, ut immundis aliàs rebus uti deberent. Gentes offendimus, quæ ex defectu ligni vel ceſpitum bituminoſorum utuntur fimo vaccino. Ex eo paratos ad uſum culinarium ceſpites *Schocken*, *Schitten*, vocant Brabantiæ & Friſiæ ruſtici, teſte *Schoock. de Turff.* p. 222. Et quò, quæſo, redigerentur

Bel-

Belgæ, ſi Turffa deficeret? Miſeriorem hi traherent vitam præ Ægyptiis, qui in ipſa Metropoli Cairo ceſpitibus ex fimo equino & aſinino uti tenentur; præ Melitenſibus, qui cardui ſpeciem in minutias conciſam cum ſtercore vaccino commixtam in ceſpites redigunt. Eſt & fimus vaccinus ligni loco Erzeronenſibus. Audi *Tournefortium Voyage du Levant.* T. II. p. 259. *Outre la rigueur des hivers ce qu'il y a de plus facheux a Erzeron, c'eſt que le bois y eſt fort cher, & rare. On n'y connoit que le bois de Pin, que l'on va chercher a deux ou trois journées de la ville, tout le reſte du pais eſt decouvert. On n'y voit ny arbres ny buiſſons, & l'on n'y brule communement que de la bouze de vache, dont on fait des mottes, mais elles ne valent pas celles des tanneurs, dont on ſe ſert a Paris, encore moins celles du marc des olives, que l'on prepare en Provence — on ne ſçauroit s'imaginer, quel horrible parfum fait cette bouze dans des maiſons, qu'on ne peut comparer qu'a des renardieres, & ſur tout les maiſons de la campagne. Tout ce qu'on y mange, ſent la fumée: leur creme ſeroit admirable ſans cette caſſolette, & l'on feroit fort bonne chere, ſi l'on pouvoit y faire cuire avec du bois la viande de boucherie, qui y eſt fort bonne.* Huc ſpectat fimi ouilli uſus in Valle Auerſana Rhætiæ, paleæ in Tractu Magdeburgico. Lege p. 372. modum, quo hodienum Arabes placentas coquunt igne fimi vaccini.

Ezech. Cap. VII. verſ. 16.

Qui reliqui facti fuerint ex eis, euadentes ſcilicet, erunt in montibus, ſicut columbæ vallium, omnes frementes, quisque in iniquitate ſua.

Et ſaluabuntur, qui fugerint ex eis: & erunt in montibus quaſi columbæ conuallium omnes trepidi, unusquisque in iniquitate ſua.

Vid. Jeſ. Cap. XXXVIII. verſ. 14. LIX. verſ. 11.

Ezech. Cap. VIII. verſ. 2.

Et vidi, & ecce ſimilitudo veluti (a) ignis, ab aſpectu lumborum ejus, & infra ignis, à lumbis autem ejus ſupraque tanquam aſpectus ſplendoris, ſicut aſpectus Haſmal.

(a) Quidam pro eſch, ignis, legunt iſch, viri, ut viderit imaginem viri, qui extenderit manum.

Et vidi, & ecce ſimilitudo quaſi aſpectus ignis: ab aſpectu lumborum ejus & deorſum, ignis: & à lumbis ejus, & ſurſum, quaſi aſpectus ſplendoris, & viſio electri.

Vid. Ezech. Cap. I. verſ. 4.

Ezech. Cap. XIII. verſ. 4.

Tanquam vulpes in deſertis facti ſunt Prophetæ tui, o Iſrael.

Quaſi vulpes in deſertis, Prophetæ tui, Iſrael, erant.

Vid. Cantic. Cap. II. verſ. 15.

Ezech. Cap. XIII. verſ. 11.

Dic ad eos, qui inutili cruſta oblinunt, quod caſurus ſit. Erit imber inundans, & vos lapidibus grandinis cadetis, & ventus procellæ disrumpet.

Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quod caſurus ſit: erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes deſuper irruentes, & ventum procellæ diſſipantem.

COlligimus ex hoc loco, Ezechielis ævo cognitam fuiſſe calcem, atque tectorium. De hac re ne γεὺ quidem legitur in deſcriptione ſtructuræ Templi Solomonei. Eſt *calx* non ornamento duntaxat muris, ſed defendit quoque eos ab injuriis externis, quibus ſunt expoſiti. Fieri proin ita debet tectorium, ut non ſolâ placeat albedine, ſed reſiſtere queat tempeſtatibus: parari ex ſilicibus, vel marmoribus, vel conchis, ſed præciſa obſeruari proportio calcis ad arenam, qua in re nobis præcelluere longè Romani, qui arenæ foſſitiæ ſumſere partes tres, calcis unam: fluuiatilis partes duas ad unam calcis: fluuiatili & marinæ addidere ⅓. teſtaceorum contuſorum & cribratorum. Quod conſtat ex *Vitruv.* L. II. c. 5. L. VIII. c. 11. Inprimis verò, quod communiter negligunt noſtrates, diu & exactè commiſcebant Græci & Romani ingredientia mortarii, ut arctiori nexu cohærerent. *Græcorum tectores non ſolùm his rationibus, ut inde faciant opera firma, ſed etiam mortario collocato, calce & arenâ ibi confuſâ, decuria hominum inducta ligneis vectibus pinſant materiam, & ita ad certamen ſubactâ ſic utuntur.* Teſtatur hinc ipſe *Vitruuius*, & poſt eum experientia, ſiue ſtructurarum veterum aſpectus, tectorium Romanis fuiſſe adeò ſubactum, ut hodie in tabulas poliri queat, quam artem imitantur moderni incruſtaturis ex marmore factitio. Et ex hactenus dictis conſtat diſcrimen inter bonæ notæ calcem & inutilem, ſeu mortarium tectoriumue, quâ *inutili* comparat DEUS per Prophetam Pſeudo-Prophetarum vanos labores, qui ventri ſuo inſeruiebant unicè, & populo tectorium præſentarunt, album quidem, ſed nullius vel firmitatis, vel durationis, quæ *cruſta inutilis* unà cum muris *ab imbre inundante, & lapidibus grandinis* debebat *cadere*, & *à vento procellæ disrumpi.* πεσεῖται, καὶ ἔξω ὑετὸς κατακλύζων, καὶ δώσω λίθας πετροβόλας εἰς τὰς ἐνδέσμας αὐτῶν, καὶ πεσοῦνται, καὶ πνεῦμα ἐξαίφνης, καὶ ῥαγήσεται. LXX.

Ezech. Cap. XVI. verſ. 4. 9.

4. Et quod ad natiuitatem tuam (attinet), non eſt præciſus umbilicus tuus, neque aquis lota es ad leniendum, neque ſale es ſalita, neque faſcia inuoluta.
9. Et laui te aquis, ablui ſanguines tuos à te, & unxi te oleo.

4. Et quando nata es, in die ortus tui non eſt præciſus umbilicus tuus, & aqua non es lota in ſalutem, nec ſale ſalita, nec inuoluta pannis.
9. Et laui te aqua, & emundaui ſanguinem tuum ex te, & unxi te oleo.

OBſtetricium munus in ſe ſuſcipit DEUS. Beneficia, quæ DEUS præſtitit populo ſuo, imo præſtat fideli cuiuis, comparantur functionibus ſollicitæ & peritæ obſtetricis in caſu nati infantis.

Clauſus jacet infans per nouem menſes in carcere tenebricoſiſſimo, absque quod per momentum ei reſpirare liceat: natans intra ſuas membranas, imo ſæpe immerſus limo: nutritus à matre primis quidem menſibus per ſolam ſecundinam, funiculumue umbilicalem. Sanguinem aduehunt infanti venæ, & ſui generis lymphatici ductus lympham nutritiam: quod à tenelli corpuſculi nutritione ſupereſt, redit per arterias ad ipſum funiculum umbilicalem, & ſecundinam. In partu rumpuntur membranæ Chorion & Amnios, quibus claudebatur fœtus, diffringitur carcer, effluit contenta in illis lympha, abſcinditur fœtum inter & matrem communicatio, & nutriri nunc debet ille per os. Nato infante, ligat obſtetrix funicu-

niculum umbilicalem in certa ab umbilico diſtantia, & ſupra ligaturam abſcindit, placentamque poſthac inutilem rejicit. Hæc ligatura ni fiat, perit hæmorrhagiâ infans. En igitur tenellam ſimul & miſellam κτίσιν, cujus conſeruatio unicè pendet ab obſtetricis, aliarumue mulierum parturienti aſſiſtentium cura; miſeriorem omnibus brutis, utpote quæ immediatè à partu ſibi ipſis ſunt auxilio. Notandum inſuper, limo viſcoſo obductum eſſe infantem, & ſæpe ſanguine pollutum, ſi in dias venerit luminis auras. Quapropter absque mora purgari debet in balneo tepido ex aqua, vel aqua & lacte, cui ex formula in Textu præſcripta addi poteſt *ſal*, ut viſcoſæ cutique proximius adhærentes particulæ tanto facilius queant abſtergi. Læuor autem cuti conciliatur *oleo*, vel butyro. His omnibus ritè peractis, *præciſo umbilico, aquis loto* infante, *abluto ſanguine*, aliisque impuritatibus, *ſale ſalitus*, *oleo unctus faſcia involuitur*, ne quid detrimenti patiantur membra in ſitu, & à qualibuscunque injuriis externis. LXX. ἡ γένεσίς σε, ἐν ᾗ ἡμέρᾳ ἐτέχθης, οὐκ ἔδησας τὰς μαξές σε, καὶ ἐν ὕδατι οὐκ ἐλούθης, εἰς ἅλα ἁλίσθης, καὶ ἐν σπαργάνοις οὐκ ἐσπαργανώθης — καὶ ἔλουσά σε ἐν ὕδατι, καὶ ἀπέπλυνα τὸ αἷμά σε ἀπό σε, καὶ ἔχρισά σε ἐν ἐλαίῳ. Ubi obſeruandum, Græcos loco *præciſionis umbilici* poſuiſſe *mammillarum obligationem*, οὐκ ἔδησας τὰς μαξές σε, quæ operatio pertinere videtur ad matrem potius, quàm fœtum, ſed illam, quæ infantem haud lactat, quum omnia reliqua ſpectent ad partum in lucem editum. Non tamen dixero, hallucinatos eſſe viros eruditiſſimos; fieri quippe poteſt, ut iis in locis, ubi Verſionem ſuſcepere illi, in more fuerit, obligare non ſolùm infantis umbilicum, ſed quoque mammillas, de quibus conſtat, eſſe aliquando lacte turgidas. Hallucinatio hæc eſt, quam aliorum judicio lubens ſubmitto, imo cenſuræ.

Ezech. Cap. XVI. verſ. 10.

Indui te acupictis, calceaui te melino (pelle), amiciui te byſſo, obtexi te ſerico ſubtiliſſimo.

Et veſtiui te diſcoloribus, & calceaui te hyacintho: & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus.

OStendimus fusè ſatis ad Exod. XXV. 5. non eſſe תחש *taxum*, ſed colorem elegantem ex purpureorum genere. Communi ſanè Verſioni, quæ taxum habet, obſtat inprimis præſens hic Ezechielis locus, quo inter alias res pretioſas ſponſæ Iſraeliticæ à DEO donatas comparent *calcei ex melino (pelle)*, quos vix geſtaret ruſticus ex quadratiſſimis. Quadrant mehercle potius calcei purpurei, parati ex tenui delicato corio: quales memorat *Liuius Andronicus Hymno ad Dianam* apud *Terentianum Maurum*.

Et jam purpureo ſuras include cothurno.

Tali quoque habitu Venus Æneæ apparuiſſe dicitur prope Carthaginem: ſic &

Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram,
Purpureoque altè ſuras vincire cothurno.

Cant. VII. 1. legitur: *O quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, o filia Principis?* Heic quoque intelligit Chaldæus interpres סנרלין רססנונא *ſandalia ſasgona*, purpurea. Et ex antiquitate notum, verum purpuræ colorem Imperatoribus & Regibus fuiſſe proprium, ſic & calceos hujusdem coloris. Teſtimonium en *Procopii L. III. de Ædificiis Juſtiniani!* ὑποδήματα μέχρι εἰς γόνυ Φοινικῆ χρώματος, ὃ δὴ βασιλέα μόνον Ῥωμαίων τε καὶ Περσῶν ὑποδεῖσθαι θέμις. *Calcei usque ad genua purpurei coloris, quibus ſolis Romanorum & Perſarum Imperatoribus calceari licet.* Apud *Curopalatem* inter Bulgarici Regni ornamenta coronaria leguntur στέφανος ἐκ χρυσοῦ, καὶ τιάρα νενησμένη ἐκ βύσσου καὶ πέδιλα ἐρυθρά, *corona aurea, & tiara ex byſſo neta, & calcei rubri.* Et refert idem, ab *Iſaacio Comneno* fuiſſe Patriarcham Conſtantinopolitanum dignitate ſua exutum, quod geſtaſſet purpurei coloris calceos, ἐπεβάλλετο κοκκοβαφῆ περιβαλεῖν πέδιλα. Fuere nihilominus ex Romanis priuati, qui purpureis ſe induebant calceis. *Martialis* de ſeruo ad ſenatoriam dignitatem euecto:

Coccina non læſum cingit aluta pedem.

Hodie coccineis, ſcarlatinis, purpureis calceamentis ſuperbiunt non fœminæ duntaxat nobiles, ſed haud rarò ipſæ ancillæ.

De *Byſſo* egimus alibi.

Ezech. Cap. XVII. verſ. 3. 7.

3. Et dices: Sic dicit DOMINUS DEUS: Aquila magna, magnis pennis, longis alis, plena plumis, quas picturatas habuit, venit in Libanum, & tulit ſupremum faſtigium Cedri.

7. Rurſus erat aquila quædam grandis, magnis alis, & multas habens plumas —

3. Et dices: Hæc dicit DOMINUS DEUS: Aquila grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri.

7. Et facta eſt aquila altera grandis, magnis alis, multisque plumis —

A Ratione haud eſt alienum, neque ab uſu, conferri Principes rebus magnis, reges aquilæ, auium regi, βασιλεῖ οἰονῶν ἁπάντων, καὶ ἀλκιμωτάτῳ *Joſeph. Bell. Jud.* L. III. c. 5. Ita heic bini magni Reges, Babyloniæ atque Ægypti, comparantur *aquilæ*, eique *magnæ*, ἀετῷ μεγάλῳ. Et Romanorum prima Legio fuit Aquiligera.

Magnis animalibus conueniunt magna & craſſa membra, ita *aquilæ magnæ pennæ, longæ alæ*. Talis fuit Nebucadnezar, ὁ ἀετὸς ὁ μέγας, ὁ μεγάλε πτέρυγος, ὁ μακρὸς τῇ ἐκτάσει, LXX. Extendebat is ſe longè latèque, totam vaſtabat Judæam, Hieroſolymam Templumque igni. Vi comminationis dudum factæ Deut. XXVIII. 49. *Excitabit contra te DOMINUS gentem è longinquo ab extremitate terræ, quæ inuolabit ut aquila. (Adducet DOMINUS ſuper te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu.)* Longitudo alarum, quæ ſæpe ad ſeptem ſeſe extendit pedes, anſam dedit τανυπτέρε epitheto. *Heſiod. Theog.* v. 523.

Καὶ οἱ ἐπ' αἰετὸν ὦρσε τανύπτερον.

Et illi excitauit aquilam alis extenſam.

Pindar Pyth. 5.

Τανύπτερος ἐν ὄρνιξιν αἰετὸς.

Aquila in auibus alis maximè extenſa.

Homer. Iliad. v. 317.

Ὅσση δ' ὑψορόφοιο θύρη θαλάμοιο τέτυκται
Ἀνέρος ἀφνειοῖο ἐυκληΐς ἀραρυῖα,
Τόσσ' ἄρα τῶ ἑκάτερθεν ἔσαν πτερὰ.

Quanta autem eſt janua alti cubiculi
Viri diuitis benè ſerrata, affabrè facta,
Tantæ utrimque erant hujus alæ.

Ex aquilis autem in rerum natura exiſtentibus Ezechielicæ deſcriptioni accedit quàm proximè *Chryſaetos*, χρυσαίετος, vel Ἀςερίας, aureis conſperſus maculis veluti ſtellis fulgentibus. Depicta eſt hæc auis TAB. XIII. Lit. A. Deſcripta in *Willoughby Ornitholog.* p. 27.

Verba Hebræa מָלֵא הַנּוֹצָה & רַב הַנּוֹצָה Græci reddunt πλήρης ὀνύχων, & πολὺς ὄνυξι, *plena unguibus, multa unguibus.* Ita & Syrus & Arabs. Sed non caret hæc expoſitio ſua difficultate. Non plures habet ungues aquila, quàm rapaces aliæ aues. Quapropter Chaldæus interpres, Judæi omnes, Hieronymus, Tigurini נוֹצָה reddunt per *plumas, plena plumis, voller Pflaum-* (rectiùs *Flum-*) *Federen.* Ipſa radix נָצָה notat *volare.*

Ezech. Cap. XVIII. verſ. 2.

Quæ hæc Parabola, quam vertitis inter vos? dicentes in terra Iſraelis: Patres comederunt labruſcam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.

Quid eſt, quod inter vos parabolam vertitis in prouerbium iſtud in terra Iſrael? dicentes: Patres comederunt uuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.

Vid. Jer. Cap. XXXI. verſ. 29.

Ezech.

Ezech. Cap. XIX. verſ. 2. 3. 8.

2. Cur mater tua Leæna inter Leones accubuit, & in medio Leonum educauit catulos ſuos?
3. Effecit, ut unus ex catulis ſuis aſcenderet, Leunculusque fieret, qui didicit diripere prædam, comedere homines.
8. Et conſtitutæ ſunt gentes contra eum per circuitum ex regionibus, expanderuntque ſuper eum rete ſuum, captusque eſt in fouea eorum.

2. Quare mater tua Leæna inter Leones cubauit, in medio leunculorum enutriuit catulos ſuos?
3. Et eduxit unum de leunculis ſuis, leo factus eſt: & didicit capere prædam, hominemque comedere.
8. Et conuenerunt aduerſus eum gentes undique de prouinciis, & expanderunt ſuper eum rete ſuum, in vulneribus earum captus eſt.

Nil me moratur explicatio myſtica, juxta quam *mater*, *Leæna*, eſt populus Judaicus, vel, Chaldæo interprete, Synagoga Judaica, *Leones, inter quos* Leæna *accubuit*, vicini Reges Gentiles, *catuli in medio Leonum educati*, filii Joſiæ Regis, unus Joachas, qui *deſignauit malum in oculis* DOMINI, *juxta omnia, quæ deſignauerant patres ſui*, 2. Reg. XXIII. 32. id eſt, ex Textu, *didicit diripere prædam, comedere homines;* ſed *à Pharaone Necho vinctus in Ribla in regione Hamath, quod regnum occupaſſet Hieroſolymis, (ne regnaret in Jeruſalem,) captusque in fouea eorum, abductus fuit in Ægyptum, (& adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti,)* ubi & *obiit:* Alter Jehojakim, qui & ipſe v. 6. *verſatus inter Leones*, Ægyptio & Babylonio Regi amicitiæ fœdere junctus, *didicit diripere prædam, comedere homines, ciuitates vaſtauit, ut deuaſtata fuerit terra cum omnibus, quæ in ea erant, à voce rugitus ejus, (didicit prædam capere, & homines deuorare, ciuitates eorum in deſertum adducere: & deſolata eſt terra, & plenitudo ejus, à voce rugitus illius,)* v. 7. nil impietate cedens fratri & anteceſſori, tandem in mercedem injuſtitiæ ſuæ in ſe concitauerat Chaldæos, Syros, Moabitas, Ammonitas, quæ *per circuitum gentes expanderunt ſuper eum rete ſuum, concluſerunt eum, & hamis duxerunt eum ad Regem Babylonis, (miſerunt eum in caueam, in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis,)* v. 8. 9. Cujus Hiſtoriæ ampliorem deductionem linquo aliis.

Ex commatibus 2. & 3. colligere licet, כְּפִיר à גּוּר אַרְיֵה differre, ut juuencus à vitulo, vel adoleſcens à puero differt. Id clarè docet Textus. *Mater tua Leæna in medio Leonum educauit catulos ſuos*, מִגּוּרֶיהָ, hic factus eſt *Leunculus* כְּפִיר *qui didicit diripere prædam, comedere homines.* Statim igitur atque Leunculus, à lacte matris abductus, ipſe venando cibum quærit, & absque matris auxilio viuit, non amplius גּוּר vocatur, ſed כְּפִיר. Talem deſcribit *Horatius* L. IV. *Od.* 4.

> *Qualemue lætis caprea paſcuis*
> *Intenta, fuluæ matris ab ubere*
> *Jam lacte depulſum Leonem*
> *Dente nouo peritura vidit.*

Singularis eſt hæc DEI pro generis humani conſeruatione prouidentia, quòd animalia ſæuiſſima, ἀνθρωποφάγα, minori numero ſeſe multiplicent quàm illa, quæ hominibus veniunt in cibos, uſusque alios. Sunt ſanè, qui prætendunt, Leænam unicâ per vitam vice, unicumque catulum utero gerere. *Herodotus* L. III. c. 108. *Antigonus Hiſt.* 25. *Horus Hieroglyph.* L. II. c. 78. *Baſilius in Hexaëm. Hom.* 9. *Euſtath. in Hexaëm.* p. 35. Addunt, traditioni addentes colorem, in unico hoc ſuo partu deponere ipſam à Leunculo disruptam matricem, & hinc conceptui ac partui alii reddi ineptam. Fabulam hanc diſcutiunt ſufficientibus rationibus *Ariſtot. Hiſt.* L. VI. c. 31. *Plin.* L. VIII. c. 16. *Ælian. Hiſt. Anim.* L. IV. c. 34. *Philoſtratus in Apollonio* L. I. c. 16. *Oppianus Cyneget.* L. III. *Gellius* L. XIII. c. 7. ex *Homeri Iliad.* ε'. & ϛ'. Deſtruit ipſam hanc fabulam Sacra Scriptura, & ipſe hic locus Ezechielis, qui Leunculos duos memorat unius matris filios, ſic & Nah. II. 13. (12.) *Leo rapiens, quantum ſatis eſſet catulis ſuis. (Leo cepit ſufficienter catulis ſuis.)* Attamen ex Hiſtoria Naturali nondum nobis certò conſtat, quoties per vitam ſuam utero geſtet Leæna, & quot pariat catulos. Vetus traditio apud *Euſtath. in Iliad.* ε'. vult binos, quoniam duas habeat mammas. *Philoſtratus*, parere ter in vita, primâ vice tres, altera binos, tertiâ unicum. Alii adſcendunt ad numerum quinarium, & ab hoc deſcendunt ad unitatem. Ita *Ariſtot. de Gener. Anim.* L. III. c. 1. 10. *Plinius, Solinus*, alii. De graduali hoc deſcenſu nil reperias apud Zoo-

logos modernos; quin imo fuere ex veteribus, qui tradiderunt, geſtare nunc unum fœtum, nunc duos, ad ſummum verò 6. vel 8. ut apud *Philoſtratum* in diſſecto Leænæ ventre reperti dicuntur fœtus 8. Cadit ita paralleliſmus, quem *Epiphanius* inſtituit uniparam inter Leænam & Diuam virginem θεοτόκον.

Inuitat nos v. 8. ad venationem Leonum, mentionem faciens *retis expanſi*, & *foueæ*, in qua *Leo fuerit captus*. Ita quoque Ezech. XXXII. 3. *Ego expandam ſuper te rete meum*, nempe ſuper Pharaonem Ægypti Regem, qui v. 2. *Leunculus* audit. Παράδοξον id videtur, poſſe adeò ſæuum & robuſtum animal capi retibus. Apud *Pollucem* quippe legimus, adultum Leonem non facile capi πλέγμασιν, ἀλλὰ μηχανήμασι καὶ σοφίσμασι, *non pedicis, ſed machinamentis, & dolis*. Sed contra *Oppianus* de captura Leonum ad Euphratem, loco, quo ipſe noſter Prophetiam ſuam ſcripſit, *Cyneg. l. III. 119. ſqq.*

Πεζοὶ δ' ἐκτανύσαντο λίνοιο περίδρομον ἕρκος,
Ἄρκυας ἀσσυτέρῃς ἐπιδειμάμενοι σαλίκεσσι,
Τόσσον δ' αὖ ἑκάτερθεν ἐπιπρονένευκε κεραίη,
Ὅσσον ἐπημύει κέρας ἀρτιτόκοιο σελήνης.
Τρισσοὶ δ' αὖ λοχέωσι λίνων ἔπι θηρητῆρες.
Εἷς μέσατος, δοιοὶ δ' ἄρ' ἐπ' ἀκροτάτοισι κορύμβοις,
Ὀππόσον ἐκ μεσάτοιο γεγωνότος ἀμφοτέροισιν
Ἐισαΐσιν ἑκάτερθε διπλῶν ἀκρόπτερα φωτῶν.

Bodino interprete.

Retia tum pedites ſinuoſâ indagine pandunt,
Prælongos denſo figentes ordine varos,
Ut cornu caſſis tanto flectatur utrimque,
Quanto curuatur reparans noua cornua Phœbe.
Tres ſtatione rata inſidiantur caſſibus: unus
In medio; latitant alii per cornua ſumma,
Quo facile à medio voces utrimque capeſſant.

Et v. 144. ſq.

Καὶ τότε δειδιότες κύκλον ἀνδρῶν, ἠ φλόγα πυρσῶν,
Αὐτόματοι πλεκτοῖσι λίνων λαγόνεσσι πέλασσαν.

Et tunc (Leones) metuentes turmam virorum & flammam lampadum
Ultrò plexis retium lateribus accedunt.

Eſt proin רֶשֶׁת apud Prophetam idem, quod πλεκτοὶ λίνων λαγόνες apud *Oppianum*, πλέγμα *Polluci*. Et ἄρκυς *Oppiano* rete, quo Leones capiuntur. Suidas: Ἄρκυς τὸ θηρευτικὸν δίκτυον. τὰ λίνα, ἃ ἐξᾶσι πρὸς ἄγραν τῶν λεόντων. Etymologus: Ἄρκυς, εἶδος δικτύου ἐκ παχέως σχοινίου, ὃ ἐξᾶσι πρὸς θήραν λέοντος, ἢ ἄρκτου, ἢ ἐλάφων.

Ezech. Cap. XXI. verſ. 22.

Ad dexteram ejus fuit diuinatio Jeruſalem, ut ponat arietes, ut aperiat os ad cædem, ut exaltet Claſſicum, ut ponat arietes, affundat aggerem, & extruat turrem.

Ad dexteram ejus facta eſt diuinatio ſuper Jeruſalem, ut ponat arietes, ut aperiat os in cæde, ut eleuet vocem in ululatu, ut ponat arietes contra portas, ut comportet aggerem, ut ædificet munitiones.

Vid. Ezech. Cap. IV. verſ. 2.

Ezech. Cap. XXII. verſ. 18. 19. 20.

18. Fili hominis, qui ſunt de domo Iſraelis, facti ſunt mihi in ſcoriam, uniuerſi ipſi æs ſunt, plumbum candidum, ferrum, plumbum nigrum in medio fornacis, ſcoria argenti facti ſunt.

18. Fili hominis, verſa eſt mihi domus Iſrael in ſcoriam: omnes iſti æs, & ſtannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis, ſcoria argenti facti ſunt.

19. Propterea ſic dicit DOMINUS DEUS: Quandoquidem omnes vos ſcoria eſtis, idcirco ecce ego congrego vos in medio Jeruſalem,

19. Propterea hæc dicit DOMINUS DEUS: Eò quod verſi eſtis omnes in ſcoriã, propterea ecce ego congregabo vos in medio Jeruſalem,

20. Maſſam argenti, æris, ferri, plumbi nigri atque plumbi candidi in

20. Congregatione argenti, & æris, & ſtanni, & ferri, & plumbi in medio

medio fornacis, ad ſufflandum ſuper ipſam ignem, & ad excoquendum: ſic congregabo in ira mea, atque furore meo, & collocabo, atque excoquam vos.

medio fornacis: ut ſuccendam in ea ignem ad conflandum. Sic congregabo in furore meo & in ira mea, & requieſcam, & conflabo vos.

Vid. Jer. Cap. VI. verſ. 28. 29. 30.

Ezech. Cap. XXII. verſ. 25.

Conjuratio Prophetarum ejus in medio ejus, ſicut Leo rugiens, & qui prædam rapit, comederunt animam: opes, & quicquid pretioſum eſt, acceperunt, atque viduas ejus multiplicauerunt in medio ejus.

Conjuratio Prophetarum in medio ejus: ſicut leo rugiens rapiensque prædam, animas deuorauerunt, opes & precium acceperunt, viduas ejus multiplicauerunt in medio illius.

Vid. Jer. Cap. XII. verſ. 8.

Ezech. Cap. XXII. verſ. 27.

Principes ejus in medio ejus ſunt, quemadmodum Lupi diſcerpentes prædam, ut effundant ſanguinem, ut perdant animas, & ut auaritiæ & lucro inhient.

Principes ejus in medio illius quaſi lupi rapientes prædam: ad effundendum ſanguinem, & ad perdendas animas, & auarè ſectanda lucra.

COmmodius non poteſt auara impiorum Magiſtratuum rapacitas præſentari quàm *luporum* ſymbolo, ut heic, & Zeph. III. 3. *Judices ejus lupi veſpertini, oſſa non reliqua faciunt usque manè. (Judices ejus lupi veſperè, non relinquebant in mane.)* Luporum indoles eſt, *prædari.* Hinc & Benjamin *lupus diripiens* cluet Gen. XLIX. 27. Lupus Poëtis *rapax, raptor. Virgil. Æn.* II.

- - - Inde Lupi ceu
Raptores atra in nebula.

Horat. L. IV. *Od.* 4.

Cerui Luporum præda rapacium.

Epodon Od. 16.

Agros atque lares patrios, habitandaque fana
Apris reliquit, & rapacibus lupis.

Ouid. Triſt. L. I. *Eleg.* 5.

Utque rapax, ſtimulante fame, cupidusque cruoris
Incuſtoditum captat ouile lupus.

Oppiano lupus πολύπλοκος ἁρπακτὴς, *verſipellis raptor*, audit. Prædari, quod ſupra dixi, lupi eſt indoles, quam à DEO eſt nactus: Gentiles dixere, à Joue. *Virgil. Georg.* L. I.

Ille malum virus ſerpentibus addidit atris,
Prædarique lupos juſſit. —

Ezech. Cap. XXIII. verſ. 14.

Hæc adjecit ad fornicationes ſuas; videns enim viros ſculptos in pariete, imagines Chaldæorum expreſſas Minio —

Et auxit fornicationes ſuas: cumque vidiſſet viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expreſſas coloribus. —

Vid. Jer. Cap. XXII. verſ. 14.

Ezech. Cap. XXVI. verſ. 8. 9.

8. — Ponet aduerſum te munitionem, fundet contra te aggerem, eriget contra te lanceam.
9. Tormentum feriendi è regione ponet ad muros tuos, & demolietur turres tuas telis ſuis.

8. — Circumdabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro: & eleuabit contra te clypeum.
9. Et vineas & arietes temperabit in muros tuos, & turres tuas deſtruet in armatura ſua.

Vid. Ezech. Cap. IV. verſ. 2.

TAB. DCXXXII.

Ezech. Cap. XXVII. verſ. 5.

Abietibus de Senir ædificabant tibi omnia tranſtra; Cedrum de Libano tulerunt, ut facerent malum in te.

Abietibus de Sanir extruxerunt te, cum omnibus tabulatis maris: Cedrum de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum.

FUit urbs maritima Tyrus, quod nemini non notum, commercio per omnem terræ tunc cognitæ orbem celebratiſſima, ut hodie Amſtelodamum, vel Londinum, quò confluebant veluti in cumulum omnes theſauri. Palatiis & nauibus pretioſiſſimè exornandis contribuebat Architectura ciuilis & naualis, quod habuit cunque, *ædificata tranſtra abietibus de Senir*, בְּרוֹשִׁים מְשֻׁנִּיר, id eſt, ex monte *Hermon*. Conſtat id ex Deut. III. 9. ubi legitur mons hic à Zidoniis vocatus *Sireon*, ab Amorrhæis *Senir*. Num בְּרוֹשׁ præcisè notet *abietem*, vel aliud pretioſius lignum ex coniferis, diſcuſſimus alibi. Κέδρον habent LXX. Abiegnum lignum nauibus conſtruendis aptius eſt quàm ædibus, utpote omnium leuiſſimum. Pro *malis* non ſufficiebat abies, adferri debebant *Cedri ex Libano*.

TAB. DCXXXIII.

Ezech. Cap. XXVII. verſ. 6.

Ex quercubus de Baſan fecerunt remos tuos, & tabulas tuas fecerunt ex ebore, (a) fori tui ex Inſulis Chittim.

(a) Alii legunt, Aſſyrii, alii prætoriola.

Quercus de Baſan dolauerunt in remos tuos: & tranſtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico, & prætoriola de Inſulis Italiæ.

SUperbiæ ducitur Tyro, quod *ex quercubus de Baſan fecerit remos, tabulas ex ebore, foros ex Inſulis Chittim*, quæ Aſiam habuere ad Orientem, Mediterranei proin Maris, vel Archipelagi. LXX. ἐκ τῆς βασανίτιδος ἐποίησαν τὰς κώπας σε, τὰ ἱερά σε ἐποίησαν ἐξ ἐλέφαντος, ὄικας ἀλσώδεις ἀπὸ νήσων τῶν Χεττιείμ. Disjungit Hebraicus Textus verba בְּנוֹת אַשֻּׁרִים: vertunt, qui hanc agnoſcunt lectionem, *filiam greſſuum*, *ebur foſſile*, quod Elephantibus deciduum ab ipſis defodi dicitur. *Plin.* L. VIII. c. 3. *Deciduos* (dentes) *caſu aliquo vel ſenecta defodiunt*. Quæ explicatio parum ſolido nititur fundamento; eſt quippe ebur foſſile fragile admodùm, Architecturæ ciuili prorſus ineptum, quod reliquiis diluuii accenſemus hodie.

EZECH. Cap. XXVII. v. 5.
Tyrus Emporium maritimum.

Ezech. Cap. XXVII. v. 5.
Tyrus eine Handels-Stadt.

G. D. Heümann sculps.

EZECH. Cap. XXVII. v. 6.
Navis bellica ex maximis.

Ezech. Cap. XXVII. v. 6.
Engl. Kriegs-Schiff vom ersten Rang.

I. G. Pintz sculps.

hodie. Præferenda ſententia *Bocharti*, qui verba illa Hebraica jungit בַּתְּשׁוּרִים & explicat, *in Buxo*, ex qua confecta fuerint nauium tranſtra, & eburneis tabulis egregiè exornata; ex Buxo nempe Corſicæ Inſulæ. Ita quoque Jeſ. XLI. 19. & LX. 13. per תְּאַשּׁוּר intelligitur *Buxus*. Lucem fœneratur *Virgilius Æneid.* L. X.

- - - - - - *quale per artem*
Incluſum Buxo, aut Oricia Terebintho,
Lucet Ebur. —

Stant interim pro ſeparatione LXX. qui בַּת אֲשֻׁרִים reddunt οἴκας ἀλσώδεις, *domos ſylueſtres*, *nemoroſas*, quæ exornatæ fuerint tabulis ligneis ex Chittim. Hieronymus habet *prætoriola*, *cellaria*, quibus pretioſiſſimæ merces fuerint cuſtoditæ, quæ explicatio tolerari poteſt, ſi *cellaria* illa quærantur in nauibus ipſis mercatoriis, ſcopus enim Prophetæ tendit ad rem Tyriorum naualem.

Illuſtrandæ tam præſenti quam XLI. TAB. inſeruit repræſentatio hæc nauis bellicæ ex maximis ad normam Architecturæ Naualis Anglicæ, quam obtinui fauente Nob. Dn. Jacobo Theobaldo, Londinenſi. Comparent in proſpectu ejusdem

	pedd.	poll.
a b. Longitudo Carinæ -	146.	6.
c d. Longitudo Tabulati inferiùs, ubi maxima locata ſunt tormenta bellica - -	174.	6.
e f. Longitudo à roſtro usque ad ſummam puppim -	210.	7.
g h. Latitudo maxima -	50.	—
i k. Profunditas caueæ -	19.	10.
Immerſio in aqua -	22.	—
l m. Altitudo à carina ad ſummam puppim - -	64.	8.
Longitudo antennæ maximæ - - -	110.	—
Longitudo mali principalis	200.	—
Diameter - - -	3.	3.
Funis anchoralis diameter -	1.	10.
Numerus tormentorum bellicorum - - -	110.	—
Numerus virorum - -	850.	—
Pondus anchoræ ſacræ, millia pondo - - -	8.	— 300.lib.
Onus, millia pondo -	3906.	—

Ezech. Cap. XXVII. verſ. 7.

Byſſus variegatus ex Ægypto fuit expanſio tua, ut eſſet tibi velum: Hyacinthus & Purpura de Inſulis Eliſa fuit operimentum tuum.

Byſſus varia de Ægypto texta eſt tibi in velum, ut poneretur in malo: hyacinthus & purpura de inſulis Eliſa facta ſunt operimentum tuum.

Vid. Exod. Cap. XXV. verſ. 4.

Ezech. Cap. XXVII. verſ. 12.

(a) Tharſis fuit negotiatrix tua propter copiam omnium diuitiarum (b) in argento, ferro, plumbo albo, & plumbo nigro, quæ repoſuerunt in emporio tuo.

(a) Tharſis videtur poni pro Mediterraneo Mari.
(b) Ebræi ablatiuis mercium præpoſitionem *in* apponunt, quod Latinis non adeò frequens eſt, ſed Germanis. *Der treibt Kauffmannſchafft in Eiſen*, vel, *mit Eiſen.*

Carthaginenſes negotiatores tui, à multitudine cunctarum diuitiarum: argento, ferro, ſtanno, plumboque repleuerunt nundinas tuas.

INquirenda heic venit terra tantùm non incognita, *Tharſis*, Emporium celebre, quod Ezechieli in Textu, & v. 25. nec non Jeſaiæ XXIII. 1. 6. memoratum, cum Tyro commercia fouit, non Tharſis illa, cujus mentio fit in Libris Regum, in Hiſtoria Solomonis & Joſaphati. De illa variant Interpretum mentes. Hieronymus per תַּרְשִׁישׁ in genere intelligit *Mare*, ſcilicet *Mediterraneum*, quod Gloſſa Latinæ noſtræ Verſionis ponit. Subſcribit Chaldæus Interpres, & multi Doctores ex Judæis. Et forſan Jeſ. XXIII. 1. ſunt אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ mercatoriæ naues ita dictæ, quod ſolitæ fuerint tenere iter verſus Tharſis. Hoc tamen non impedit, quò minus Tharſis denotet certum quendam locum, ſiue Emporium, quod

omnis generis *diuitias in argento, ferro, plumbo albo, & plumbo nigro repoſuerit in emporio Tyri*, merces, quas expiſcaberis fruſtra ex mari. In eadem eſt ſerie Tharſis cum aliis Gentibus, quibus cum Tyriis fuit commercium.

Quærit *Joſephus Ant. Jud.* L. IX. c. 11. hoc noſtrum *Tharſis* in *Cilicia*. Sed nullibi legimus, fuiſſe hanc urbem vel metallis diuitem, vel mercaturâ celebrem. Et diſtabat hoc quinque ſtadiis à littore maris, neque eſt fluuius *Cydnus*, qui urbem hanc perluit, ejus amplitudinis, cujus eſt Albis prope Hamburgum, ut naues onerarias ferre queat.

Africæ littora legunt LXX. quæſituri Tharſis in Carthagine, reddentes תַּרְשִׁישׁ אֲנִיּוֹת πλοῖα καρχηδόνος. Ponit & Chaldæus interpres 1. Reg. XXII. 48. Jer. X. 9. pro Tharſis *Africam*, אַפְרִיקִי. Obſtat his, quod Africæ littora haud fuerint metallis diuitia, interiores Mediterraneæ Prouinciæ veteribus ignotæ, & Pharao Necho, Ægypti Rex, primus Africam circumnauigauerit, teſte *Herodoto*. *Lucanus* de Africa L. IX.

In nullas vitiatur opes, non ære nec auro
Excoquitur, nullo glebarum crimine, pura
Sed penitus terra eſt.

In Aſia & Africa non inuenientes, quod Tharſi ex aſſe reſpondeat, multi ex modernis eruditis quæſiuere in Europa, & inuenerunt in Hiſpania *Tarteſſum*, nominetenus Tharſi noſtro affine emporium celebre; ſed & ipſi hi ſunt inter ſe diuiſi, ubinam Hiſpaniæ hæreat locus, de quo vix nomen ſupereſt. Veteres ipſi Geographi triplex ſiſtunt *Tarteſſum:* primum eſt *Carteja* ad radicem montis Calpe, ad Fretum Gaditanum, *Tarteſſos* dicta urbs, teſtibus *Pomponio Mela* L. II. *Strabone* L. III. *Plinio* L. III. c. 1. Secundum *Gades*, Inſula ad Fretum memoratum, apud *Plin.* L. IV. c. 22. *Arrian. Exped. Alex. Al.* L. II. quæ poſtea nomen dedit portui & urbi celebri *Cadix*. Tertium, quod Ezechielis videtur, ſitum erat ad oſtium Bætis, hodie *Guadalquivir* in Andaluſia, qui fluuius olim bina inter oſtia formauerat inſulam, in qua ſtetiſſe videtur Tharſis. De hoc ita *Strabo* L. III. ἐϛὶ ἡ πόλις αὕτη πρὸς τῷ Ὠκεανῷ μεγάλη λίαν. *Heſychio* in voce γαλὴ, ταρτησία. Haud poterat Phœniciis eſſe ignota hæc urbs, quum Hercules heroicis illis temporibus littora Hiſpaniæ legerit, & ad Gaditanum Fretum columnas illas adeò celebres erexerit.

Confirmabunt hanc ſententiam merces Prophetæ memoratæ, ſiquidem eas heic inuenerimus. Ignorari id nequit, fuiſſe olim Hiſpaniam omnibus rebus ad vitam neceſſariis abundantiſſimam, detectis Americæ ditiſſimis auri argentique venis deſertam, ut de fodinis illis argenti celebribus *Plinio* L. XXXIII. c. 6. memoratis hodie vix locus nomenque ſuperſit. Ita ille: *Argentum in Hiſpania reperitur pulcherrimum. — Mirum, adhuc per Hiſpanias ab Annibale inchoatos puteos durare, ſua ab inuentoribus nomina habentes. Ex queis Bebelo appellatur hodieque, qui 300. pondo Annibali ſubminiſtrauit in dies, ſed mille quingentos jam paſſus cauato monte. Agricola* quoque *de vet. & nov. metall.* p. 405. Pyrenæos montes argento diuites celebrat, quod facile poterat transferri Tarteſſum. Ipſe fluuius Guadalquiuir oriri dicitur in monte argenteo, & paſſim ad ejus, uti & Tagi, littora inueniri auri, argenti, æris venas. Stadiis viginti à Carthagine noua, ſeu Cartagena, Romani, Hiſpaniâ ſubactâ, mille hominum operâ utebantur in fodina argento diuiti, ex qua quotidie protrahebant 25000. drachmas. Imo foſſores fuiſſe, qui tridui ſpatio Talentum dederint Euboicum, ſiue 80. Libras Romanas, ex *Liuio* oſtendit *Villalpand.* T. III. P. II. p. 371. Quinimo, ſi traditionibus fides, fodinis metallorum omnibus natalia prima dederunt Pyrenæi Montes, & nomen hi acceperunt ab igne, qui à paſtoribus accenſus ſyluas corripuerit, tanto inſecuto ardore, ut ex montibus integri argenti fuſi profluxerint riuuli. Argento inprimis diuitem volunt Prouinciam Bæticam, quæ Andaluſiam & Granadam comprehendit. Ex quibus conſtat, ſuffeciſſe Tyro argentum ex Tarteſſo, ut abundè hodie ſufficit Hiſpanis aurum ex America.

Plus faceſſit negotii *ſtannum*, ſeu *plumbum album*. Memorantur *Plinio* L. IV. c. 22. *ex aduerſo Celtiberiæ Inſulæ, Caſſiterides dictæ Græcis à fertilitate plumbi*, ſed de his nihil hodie conſtat. Inuenitur & ſtannum in Luſitania & Gallicia, teſte *Plinio* L. XXXIV. c. 16. & ad ſcaturigines Bætis fluuii plumbum argenti ferax, quod facile veteres poterant ſumſiſſe pro plumbo candido. Sed quoque conjectare licet, habuiſſe Tarteſſanos plumbum ſuum candidum ex Britannia, cujus venæ antiquiſſimis temporibus fuere cognitæ, & ſubſiſtunt adhuc, fuiſſeque proin plumbum candidum Tyro illatum ſtannum Anglicum, toto orbe celebratiſſimum.

De *ferro* nulla verſatur difficultas. Obuium eſt hoc metallum in omnibus penè Europæ Prouinciis, & celebrata olim ferro fuit Bilbilis in Hiſpania. *Cantabriæ maritima parte, quam Oceanus alluit, mons præruptè altus, incredibile dictu, totus de ea materie eſt. Plin.* L. XXXIV. c. 14.

Par ratio eſt *plumbi*, nempe *nigri*, quo *abundat Cantabria. Plin.* L. XXXIV. c. 16.

Ezech. Cap. XXVII. verſ. 13.

Jauan, Thubal & Mæſech ipſi mercatores tui, in anima hominis & vaſis æreis dederunt negotiationem tuam.

Græcia, Thubal, & Moſoch, ipſi inſtitores tui: mancipia & vaſa ærea adduxerunt populo tuo.

JUncti paſſim in Sacris occurrunt *Thubal* & *Meſech*, vicini haud dubiè populi. LXX. pro תוּבַל וָמֶשֶׁךְ ponunt, καὶ ἡ σύμπασα, καὶ τὰ παρατείνοντα, intelligentes Græciam & Prouincias adjacentes. Sed vero eſt ſimilius, eſſe Thubal & Meſech *Moſchos* illos & *Tibarenos*, qui etiam juncti leguntur apud *Herodotum* L. III. c. 94. Caucaſi montis accolæ Caſpium inter Mare & Pontum Euxinum; Jauan autem eſſe Græciam. *Joſepho* placent *Iberi*, non illi nempe Hiſpaniæ, ſed Colchidi vicini, & *Cappadoces*.

Græci hi, & qui hodie nuncupantur *Georgiani* & *Mengreliani*, mercaturam exercebant circa *animas hominum*, ψυχὰς ἀνθρώπων, & *vaſa ærea*, σκεύη χαλκᾶ. Magni æſtimabantur olim mancipia ex Græcia, unde Atoſſa, Darii conjunx, marito ſuo ſuaſerat bellum cum Græcis potius, quàm cum Scythis, ut non deeſſet occaſio mancipia Perſiæ inferendi Spartâ, Athenis, Corintho, Argo, quod legitur apud *Herodotum* L. III. c. 134. *Æris* copiam dabat Græcis *Eubœa*, inprimis *Chalcis* urbs, quæ ipſa æri, χαλκῷ, vel nomen dedit, vel ab ære nomen habet. *Strabo* L. X. *Chalce, oppidum in Theſſaliæ tractu Lariſſæo, ex ærariis fodinis nomen videtur inueniſſe.* — *In Eubœæ campo Lilanto, qui ſupra Chalcidem ſitus eſt, fuit, ut Strabo ſcribit, admirabile æris & ferri metallum commune, quod nuſpiam alibi inueniri memoriæ proditum eſt, Agricola vet. & nov. metall.* L. II. p. 409. Legere quoque eſt in *Wheeler Voyage d'Athenes* L. III. p. 547. fuiſſe olim ad Sunium Promontorium metallifodinas diuites. Fuit porrò Græcis copia *ferri*.

Commercium hominum quod attinet, applicatiuè ad Thubal & Meſech, notum eſt, fuiſſe illud accolis Ponti Euxini familiare olim. *Horat.* L. I. *Ep.* 6.

Mancipiis diues eget æris Cappadocum Rex.

Polyb. L. IV. de Ponticis Prouinciis, ſuppeditare τῶν εἰς τὰς δαλείας ἀγομένων σωμάτων πλῆθος. *Æs* dabant *Moſſinœci* (à quibus forte Germanorum *Meſſing*, nobis *Möſch,*) idque λαμπρότατον καὶ λευκότατον, *Ariſt. de Mirabil.* L. II. In eodem tractu habitabant quoque *Chalybes*, qui *Chalybi* nomen dedere. *Per hos primitus ortum & domitum eſt ferrum. Ammian. Marcellin.* L. XXII.

Ezech. Cap. XXVII. verſ. 14.

De domo Thogarma equos & equites ac mulos dederunt negotiationem tuam.

De domo Thogorme equos & equites, & mulos adduxerunt ad forum tuum.

FUit *Thogarma* filius *Gomer*, *Japheti* nepos. Gen. X. 3. Habitabant illius poſteri ad Aquilonem Palæſtinæ. Conſtat id ex Ezech. XXXVIII. 6. *Gomer, & cunctas alas ejus, domus Thogarma, latera Aquilonis cum uniuerſis alis ejus, populosque multos tecum. (Gomer, & uniuerſa agmina ejus, domus Thogorma, latera Aquilonis, & totum robur ejus, populique multi tecum.)* Attamen Thogarmitas quæſituris aſcendere haud licet ad Scythas usque & Tartaros, quandoquidem illi Tyro intulerunt mulos neque in Tartaria, neque in Ruſſia obuios; ſed neque in cenſum venit Germania, quam Chaldæus vult Interpres, Tyriis quippe cum Germanis non fuit commercium, ſed neque muligena eſt Germania. Propius accedit *Phrygia* apud *Joſephum*, propius adhuc *Cappadocia*, quam multis rationibus fulcit *Bochart. Phaleg.* L. III. c. 11.

Celebrati admodùm fuere *Equi Cappadocici*. De iis *Nemeſianus*.

Illis ampla ſatis læui ſunt æquora dorſo,
Immodicumque latus, paruæque ingentibus alui,
Ardua frons, auresque agiles, capitique decoro
Altus honos, oculique vago ſplendore micantes,
Plurima ſe validos ceruix reſupinat in armos,
Fumant humentes calida de nare vapores,
Nec pes officium ſtandi tenet, ungula terram
Crebra ferit, virtusque artus animoſa fatigat.

Oppian. Cyneget. L. I.

Κρωπνότεροι δὲ πέλεσιν ὅσῳ μάλα γηράσκεσι,
Κείνας εἰς πόλεμον μεγαλήνορα θωρήσσοιο,
Αἰθωνας τ' ἐπὶ θῆρας. ἐπεὶ μάλα θαρσήεντες
Ὅπλοις ἀντιάαν, πυκινὴν ῥῆξάι τε Φάλαγγα,
Θηρσὶ τ' ἐνυαλίοισιν ἐναντία δηρήσασθαι.

At virtus animusque virent ætate virili,
Nec niſi decrepito ſenio vis illa fatiſcit:
Hos in ſanguinei fulgentia prælia Martis
Intrepidè armato, inque ferocia bella ferarum
Haud equidem ſæuis terrentur ab hoſtibus unquam,
Quin acies nitidas rumpant, denſasque phalanges,
Immanesque feras infracto pectore vincant.

Laudatos hosdem equos videas apud *Dionyſium Periegetem* v. 973. *Solinum cap. de Cappadoce*, *Claudian. in Ruffin.* L. II. *Iſidor. Orig.* L. XIV. c. 3. *Abſyrtum* c. 115. *Strab.* L. XI. ubi Perſæ quotannis equos 1500. pro tributo à Cappadocibus obtinuiſſe leguntur. Et Geographus anonymus, qui ſub Conſtantio vixit, Cappadociæ hos equos *diuina* nuncupat *animalia*. *Grex dominicus* L. 7. *Cod. Theodoſ. de Greg. Dominic.* hujusmodi equorum fuit, qui ſoli Imperatori ſtabant à ſeruitiis. Morte luebat Eutropius Conſul ſub Arcadio exceſſiuam, quam ſibi ſumſerat ille, libertatem utendi Cappadocicis equis absque licentia Imperatoris, teſte *Philoſtorgio* L. II. c. 6. qui & ipſe Cappadox fuit. Cappadocibus finitimi erant *Heneti* ſeu *Paphlagones*, quorum equi pariter valde fuere æſtimati. Votum en *Phædræ* in *Euripidis Hippolyto* v. 230.

Εἴτε γενοίμαν ἐν σοῖς δαπέδοις
Πώλας ἑνέτας δαμαζομένα.

Utinam eſſem in tuis campis
Equas Heneticas domans.

Horundem *Trogmitarum*, *Thogarmitarum*, *Galatarum*, *Cappadocum*, *Phrygiorum* celebrat *aſinos* & *mulos Apulejus de Aſino* L. VIII. Teſtis eſt iterum *Strabo* l. c. Perſis quotannis Cappadoces miſiſſe 2000. mulos. Galatarum mulos laudat *Plutarchus* περὶ φιλοπλατίας, & *Homer. Iliad. β'*. v. 852.

Ἐξ ἑνετῶν, ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων.

Ex Heneta urbe, genus mulis agreſtibus unde eſt.

Ezech. Cap. XXVII. verſ. 15.

Filii Dedan fuerunt mercatores tui, & inſulæ multæ negotiantur tecum, *(a)* cornua, Ebur & *(b)* Habanim munera tibi attulerunt.

(a) Alii conjunctim legunt cornua eburnea.
(b) Habanim reliqui. Quidam enim Hebenum lignum intelligunt, quidam Pauones.

Filii Dedan negotiatores tui: inſulæ multæ negotiatio manus tuæ: dentes eburneos & hebeninos commutauerunt in precio tuo.

BIni occurrunt in Sacris nomine *Dedan*, unus filius Rhegma, Chuſi nepos, Chami abnepos, Gen. X. 7. alter nepos Abrahami ex Jakſan, filio Keturæ, Gen. XXV. 3. Prioris poſteri ſedes ſuas poſuere in media Arabia, Idumæis finitimi, quod conſtat ex Jer. XLIX. 8. alterius in Arabia Felice ad Perſicum Sinum, ubi adhuc extet urbs *Daden*, inter fretum *Baſora*, & flumen *Om*, quod in Perſicum Sinum ſe exonerat. Et vero eſt ſimile, in ultimo hoc Dedan repoſuiſſe ſe poſteros Chami, eſſeque id ipſum, cujus Ezechiel meminit, quoniam Judææ intulerant Dedanitæ ebur & ebenum lignum, Æthiopiæ & Indiæ merces, quæ vix aliâ quàm maris viâ ad Arabes poterant deferri.

Ex Dedanitarum mercibus primum tenent locum שֵׁן קַרְנוֹת, ὀδόντες ἐλεφάντινοι, in nonnullis LXX. exemplaribus præcedunt κέρατα, *cornua*, Hebræa ipſa vox vult *dentes cornutos*. Sunt ſanè dentes elephantum, qui heic intelligi debent, dubii inter cornua & dentes. Sejungit Chaldæus Hebræas voces veluti interpoſita litera ו, קַרְנוֹת וְשֵׁן, *cornua & dentes*. Pollicem premere videtur Latina noſtra, quæ habet *cornua, ebur*; intelligendo per שֵׁן *ebur*, per קַרְנוֹת *ibicum cornua*, reputata olim etiam inter pretioſas merces. Ex iis parata fuere pocula, *Æliano* teſte L. XIV. c. 16. à Cretenſibus arcus pro ejaculandis ſagittis. Neque eſt dubium, quin apud *Homerum Iliad. δ'*. v. 105. ἴξαλος ſit ibex, qui κέρατα ἐκκαιδεκάδωρα, cornua ſedecim palmorum, gerit, è quibus confectus fuit Pandari arcus. Sed præſtat, jungere voces illas Hebræas in unam, & intelligere *ebur*.

Altera Dedanitarum merx vocatur הָבְנִים, quam vocem nos cum plerisque Interpretibus reddimus in Vernacula noſtra *Heben-Holtz*, *ebenum lignum*, ſpecioſum, graue, firmum, quod & in aqua fundum petit. Creſcit id etiam in Æthio-

Æthiopia & India. *Herodoto* teſte L. III. c. 97. Æthiopes Perſis pro tributo trienni mittere debebant hujus ligni 200. *phalangas* juxta cum ebore & auro. De India teſtem habemus *Plinium* L. XII. c. 4. & notum illud *Virgilii* carmen:

India fert ebenum, molles ſua thura Sabæi.

Sed Chaldæus interpres הַוֹּבְנִים reddit *pauones*, ſic & *Santes Pagninus*. Benè ſtant in eadem ſerie ebur & ebenum non tam ob affinitatem vocum in Lingua Latina, quàm propter nitorem, illud candidum, hoc nigrum. Socia viſa quoque in pompoſa illa *Ptolomæi Philadelphi* Proceſſione apud *Callixenum Rhodium*, qua Æthiopes ipſi ipſa ſua donaria portabant, dentes elephantinos 600. palangas ex ebeno 2000. pocula aurea atque argentea 60. Cujusdam Regis pompa in quodam Adonidis Feſto adeò illuxerat oculis mulierum Syracuſanarum, ut mirabundæ exclamarint *Idyll.* 15. v. 123.

Ὦ ἔβενος, ὦ χρυσὸς, ὦ ἐκ λευκᾶ ἐλέφαντος
Ἀιστοί!

O ebenum, ô aurum, ô ex albo ebore Aquilæ!

Dubium ſi quod fortè circa ebenum lignum moueatur, quod in plurali numero exprimatur הַוֹּבְנִים, notandum, intelligi poſſe vel duo hujus ligni genera, memorata quoque *Theophraſto Hiſt.* L. IV. c. 5. *Plinio* L. XII. c. 4. vel φάλαγγες, *phalangas*, *palangas*, illas cylindriformes, quas memorant *Herodotus*, *Arrianus* in *Periplo*, & *Plinius*, & *Callixenus Athenæi* L. V. vocat ἔβένε κορμὸς, *ebeni ſtipites*, *Apulejus Apologia* 1. *Ebeni baculos*, mercatores Tyrii פַּלְכִין, qualismodi baculi hodienum ex Ebeno, Braſiliano, aliis Indiæ ſeu Orientalis ſeu Occidentalis lignis in Europam transferri ſolent. Accedit, pro confirmatione hujus interpretationis, quod in Sacris alia quoque ligna pretioſa in plurali numero exprimantur, שִׁטִּים, *ſchittim*, in Exodo vigeſies, אַלְגּוּמִּים vel אַלְמֻגִּים 1. Reg. X. 11. 12. 2. Paral. IX. 10. 11. Imo ab Hebræo הַוֹּבְנִים vel הָבְנִים deriuari videtur Latinorum *ebenum*, Græcorum ἔβενος, omnium Europæorum ſynonyma, Turcarum *ebenos aghagi* in *Meninzk. Lex.* p. 2507.

Ezech. Cap. XXVII. verſ. 16.

Syria quoque fuit in negotiatione tua, propter multitudinem operum ſuorum (a) Smaragdo, purpura, acu pictis, Byſſo, Corallo & Carbunculo, (quæ) dederunt in emporium tuum.

(a) Alii pro Smaragdo Carbunculum interpretantur, pro Corallio Margaritas, pro Carbunculo Uniones.

Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum: gemmam, & purpuram, & ſcutulata, & byſſum, & ſericum, & chodchod propoſuerunt in mercatu tuo.

Aram, אֲרָם, extra controuerſiam Syros denotat, poſteros Aram, filii Sem, Gen. X. 22. & eos quidem, qui cis Euphratem circa Antiochiam, Comagenen, & Metropolin Damaſcum habitabant, *Arami* & *Aramæi Straboni* quoque nuncupati L. XIII. Syri hi ab omni æuo mercaturæ fuere valde addicti. *Usque hodie permanet in Syris negotiationis ardor, qui per totum mundum lucri cupiditate diſcurrunt, & tantam mercandi habent veſaniam, ut occupato nunc orbe Romano inter gladios & miſerorum neces quærant diuitias, & paupertatem periculis fugiant. Hieronymus ad h. l.*

Merces, quas Syri Tyro intulerant, ſunt

1. נֹפֶךְ, *nophech*, gemma, de qua ad Exod. XXVIII. 18.

2. אַרְגָּמָן, *argaman*, occurrit etiam v. 7. Eſt *purpura* aliàs ex Tyriorum mercibus, unde naſci poteſt dubium, quî eam Tyro inferre potuerint Syri? Sed ſciendum, celebratam fuiſſe olim non Tyriam ſolam, ſed quoque Syriacam, ſeu Babylonicam purpuram, qua tincta fuerat *chlamys* illa *Babylonica* Joſ. VII. 21. βαβυλώνιος πόκος in Epiſtolis *Philoſtrati*. Notandum autem, fuiſſe Babyloniam partem Syriæ Meſopotamicæ. Eſt אַרְמְנָן vi vocis idem quod אַרְגָּמָן contractè אַרְנָן, Syrius color. Qui proin à loco nomen accepit, ut olim Sinopis, Creta, hodie Lacca Veneta, terra Colonienſis rubra, Cöllniſch Roth &c.

3. רִקְמָה reddimus *acu picta*, *geſtickte Arbeit*.

4. בוּץ *Byſſus*, *weiſſe Leinwat*.

5. רָאמוֹת *Corallum*, *Corallen*.

6. כַּרְכֹּד *Carbunculus*, *Cryſtall*.

De his mercibus egimus alibi.

TAB. DCXXXIV.

Ezech. Cap. XXVII. verſ. 17.

Sed & Juda, & Terra Iſraelis fuerunt mercatores tui, tritico minith, balſamo, melle, oleo & reſina, quæ dederunt ad negotiationem tuam.

Juda & terra Iſrael ipſi inſtitores tui in frumento primo: balſamum, & mel, & oleum, & reſinam propoſuerunt in nundinis tuis.

TYri maximo emporio intulere Judæi & Iſraelitæ

1. Σίτον, *triticum Minith*, ſine dubio præſtantiſſimum, à loco, ubi creuit, ita dictum. Mentio autem fit hujus Minnith Jud. XI. 33. tanquam urbis trans Jordanem in confiniis Ammonitarum ſitæ. Hyperbolizant pro more Judæi Doctores, prætendentes, frumenti hujus grana adeò fuiſſe magna, ut non fuerint menſurata, ſed numerata, cujusmodi hodie extat nullibi. Legendæ anſam dedit fortè radix מָנָה, *numerare*. LXX. vertunt *minnith* in μύρα, *unguenta*, פַּנָּג, *phannag*, in Κασίαν, *Caſiam*. Sed vero eſt ſimilius, fuiſſe & פַּנָּג loci nomen, pingui frumento nobilitati. *Fr. Junius Phœniciam* vult. Sed *Hieronymo* hæc vox denotat *balſamum*, aliis bellaria ſeu placentas, quales nos parare ſolemus ex melle, farina, & aromatibus, & quales vel domi ſuæ parare poterant ipſi Tyrii. Mouit affinitas, & mercis uſus Cl. *Hillerum*, ut פַּנָּג exponeret per *Panacem* in *Hierophyt.* P. II. p. 51. Et quis dubitare auſit, ſi Panax vel Panaces πᾶσιν eſt ἄκος, omnibus remedium affert? Intelligi autem debet, quod heic ſiſto, *Panax Paſtinacæ folio*, *an Syriacum Theophraſti* C. B. *Panax coſtinum* C. B. *Sphondylio vel potius Paſtinacæ Germanicæ affinis Panax vel Pſeudo-Coſtus flore luteo* I. B. *Panax Heracleum* ſeu *Herculeum* aliis. Quod foliis viget interdum ſesquicubitalis longitudinis, latitudinis cubitalis, aſperis, hirſutis, atrouirentibus cum nitore quodam, in alas diuiſis ex aduerſo ſitas, easque rurſus pinnatim ſubdiuiſas in folia Paſtinacæ Germanicæ foliis ſimilia, ſerrata, tres quatuorue uncias longa, binas lata, in obtuſum mucronem deſinentia, pediculo admodùm hirto & aſpero. Caules aliquot cubitorum, brachiati. Umbellæ inæqualis longitudinis muſcariis Peucedani in morem conſtant florum luteorum. Semina majora quàm Paſtinacæ Germanicæ, Sphondylii ſeminibus paria, compreſſa, lata, fimbriam albam habentia, cum in medio nigricent, acria & linguam mordentia. Ex radicis ſucco *Opopanacem* ipſum deriuant, vel huic ſimile Gummi, magni olim & hodie uſus. Lit. A. ex Moriſono ſiſtitur *Panax Paſtinacæ folio an Syriacum* C. B. & B. *Panax coſtinum* C. B. quod *Paſtinaca ſylueſtris altiſſima* eſt *Tournef.* quapropter & Paſtinacæ characteriſticas notas in margine exprimimus Lit. C.

2. דְּבַשׁ *debhaſch*, *mel*, Judææ familiaris merx, utpote quæ lacte fluebat & melle.

3. שֶׁמֶן *oleum*.

4. צֳרִי *reſina*, balſamum, de quibus mercibus alibi plura, nominatim Jer. VIII. 22.

Ezech. Cap. XXVII. verſ. 18.

Damaſcus quoque negotiator tecum propter multitudinem operum tuorum, & propter copiam opum, in vino Helbon, & lana candida.

Damaſcenus negotiator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diuerſarum opum, in vino pingui, in lanis coloris optimi.

FUit Damaſcus, Syriæ metropolis, Tyriis, quod mercatoribus noſtris Lipſia. Inde quippe petebatur lana præſtantiſſima. Textus Hebræus habet צֶמֶר צָחַר, quod Syri & Judæi reddunt *lanam candidam*, ſic & nos in utraque Tigurina. Sic & illi אֲתוֹנוֹת צְחֹרוֹת Jud. V. 10. *aſinas candidas*. Græci in Textu ἔριον φιλβον, *lanam lucidam*, legentes צָהֹר pro צָחַר. Hieronymus *lanas coloris optimi*. Aquila & Theodotion *lanas Soor* fortè à loco, unde

EZECH. Cap. XXVII. v. 17.
Israelitæ σιτέμποροι.

Ezech. Cap. XXVII. v. 17.
Die Jüdische Früchte-Händler.

I. G. Pintz sculps.

unde fuere petitæ. Sic & LXX. ἔριον ἐκ Μιλήτε, *lanam ex Mileto*, quam lectionem acceptat quoque Arabs. Sufficiat nobis lana vel niuis ad inſtar alba, vel fulgore rutilans. Arabibus quippe *aſhar* & *aſhab* color eſt albiſſimus, ſed quodammodo rutilans. *Sabur* camelus, vel aſinus, ex albo rubens. Affinitatem hanc albi coloris & rutili probant lux & nix. Hinc *Albinouanus ad Liuiam:*

— purpurea ſub niue terra latet.

Horat. L. IV. *Od.* 1.

Purpureis ales corporibus.

Hujusmodi color ἐρυθρὸς audit Græcis, Latinis *rutilus*. Accendit hæc obſeruatio lucem loco Plinii L. VIII. c. 48. de ouium & lanæ coloribus. *Hiſpania nigri velleris præcipuas habet, Pollentia juxta Alpes cani, Aſia rutili, quas Erythræas vocant.*

Præterea negotiabatur Damaſcus vino, eoque præſtantiſſimo, בְּיַיִן חֶלְבּוֹן, *vino chelbon*, *mit dem beſten Wein*, propriè οἴνῳ ἐκ Χελβῶν, ut LXX. habent, *vino de Chelbon*, vel *Chalybon*, quod pro Perſarum Regum menſa commendatum teſtatur *Strabo* L. XV. Διά τε τὸν πλοῦτον εἰς τρυφὴν ἐξέπεσον οἱ βασιλεῖς, ὥςε πυρὸν μὲν ἐξ Ἀσσε τῆς Αἰολίδος μετήεσαν, οἶνον δὲ ἐκ Συρίας τῶν Χαλυβωνίων. *Eò delapſi ſunt luxu Reges propter diuitias, ut triticum petierint ex Æoliæ Aſſo, & vinum ex Chalybone Syriæ.* Hinc apud *Heſychium:* Χαλυβώνιος, εἶδος οἴνε ἀπὸ τόπε τινὸς τῆς Συρίας. *Chalybonium, vini ſpecies à loco quodam Syriæ.* Apud *Suidam* & *Plutarchum* L. II. legas Χαλυδώνιος. Creuerat hoc vinum non ſolùm in Chelbon, ſed & circa Damaſcum, quò transtulerant vites Perſæ, teſte *Athenæo* L. I. c. 22. Chaldæus habet *vinum de Chelath.*

Fuit Damaſcus adhuc *Hieronymi* æuo lana vinoque celebris. Ita is de Tyro: *Ad nundinas ejus de Damaſco deferebatur vinum pinguiſſimum, & lana præcipua, quod usque hodie cernimus.* Et de περιχώρῳ Damaſci ſequentia habet *Villalpandus* ad h. l. *Qui ciuitati adjacet campus, quamuis naturâ ſterilis & infœcundus, tamen fluminibus Abana & Pharphar & Chryſorrhoa h. e. auriſluo, variisque aliis fontibus, & aquarum deductis fluminibus, totus irrigatur, & tam fertilis euadit, ut frumenti optimi vinique generoſiſſimi ferax, pecoribus, armentis ac beſtiis paſcendis opimus aptiſſimusque euadat.*

Ezech. Cap. XXVII. verſ. 19.

Dan & Jauan ſubinde (a) conuehunt in emporium tuum ferrum factum, (b) Caſſia & Calamus fuit in negotiatione tua.

(a) Alii legunt, adductus.
(b) Pro Caſſia alii Gingiber legunt.

Dan, & Græcia, & Mozel in nundinis tuis propoſuerunt ferrum fabrefactum: ſtacte & calamus in negotiatione tua.

FUere Danitæ finitimi Tyriis, illi cumprimis, qui vicini fuere Aſeritis, & vel ipſi venas habuere ferri, vel ferrum habere poterant facile ab Aſeritis, quibus ferrum pro hæreditate adjudicat moriens Moſes Deut. XXXIII. 25. *Ferrum & æs ſub calceamentis tuis.* Per *Jauanitas* intelliguntur communiter Græci, de quibus, eorumque metallis vide v. 13.

Sed *Caſia* & *Calamus* aduehi debebant ex *Meuſal*, מְאוּזָל, quæ vox varium admittit apud varios Interpretes ſenſum. *Bochart. Phaleg.* L. II. c. 21. præeuntibus Aquila & Hieronymo, מ pro ſeruili agnoſcit litera, *Uſal* autem oppidum perhibet in Arabia Felici, *Suana* nunc dictum, ſenſum proin Prophetæ eſſe, quod Jauani merces illas exoticas in Uſal collectas intulerint Tyro. Eſt hæc ſententia probabilior tantò, quia neceſſariò præmitti deberet copula ו, ſi מְאוּזָל eſſet nomen proprium. *Jauan* autem ipſe vult oppidum *Jeman*, intimæ Arabiæ. De mercibus ipſis קִדָּה *Kiddah* & קָנֶה *Kaneh* egimus alibi. Pro iis habent LXX. τροχὸν ἐν τῷ συμμίκτῳ σε, *rota in commixto tuo.* Eſt autem τροχὸς, *rota, trochus*, inter ludibundas puerorum res. Suſpicari poſſet heic quispiam Nundinis Tyriis intuliſſe Arabes Uſalitas varia puerorum delectamenta, & omnis generis artefacta, qualia Norimbergenſium mercium nomine veniunt hodie. Sed vix vero eſt ſimile, ad hujusmodi minutias deſcendiſſe Spiritum Sanctum.

Ezech. Cap. XXVIII. verſ. 13.

In delitiis hortorum DEI fuiſti, omnis lapis pretioſus umbraculum tuum, Sardius, Topaſius, Adamas, (a) Hyacinthus, Onyx, Jaſpis, Sapphirus, Carbunculus, Smaragdus & Aurum. —

(a) Pro Hyacinthus alii legunt, Chryſolithus. Ebr. Tharſis colore cœruleo.

In delitiis paradiſi DEI fuiſti: omnis lapis precioſus operimentum tuum: Sardius, Topazius, & Jaſpis, Chryſolithus, & Onyx, & Beryllus, Sapphirus, & Carbunculus, & Smaragdus, & Aurum. —

Vid. Exod. Cap. XXVIII. verſ. 17. &c.

Ezech. Cap. XXIX. verſ. 3. 4.

3. Loquere, & dic: Sic dicit DOMINUS DEUS: Ecce, ego contra te, Pharao, Rex Ægypti, Draco magne, recubantem in medio fluuiorum ſuorum, qui dixit: Meus eſt fluuius, & ego feci mihi.
4. Ego ponam hamos in maxillas tuas, & efficiam, ut hæreant piſces fluminum tuorum in ſquamis tuis, & extraham te de medio fluuiorum tuorum, atque omnes piſces fluuiorum tuorum adhærebunt ſquamis tuis.

3. Loquere, & dices: Hæc dicit DOMINUS DEUS: Ecce, ego ad te, Pharao, Rex Ægypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: Meus eſt fluuius, & ego feci memetipſum.
4. Et ponam frænum in maxillis tuis: & agglutinabo piſces fluminum tuorum ſquamis tuis: & extraham te de medio fluminum tuorum, & uniuerſi piſces tui ſquamis tuis adhærebunt.

THannin, תנין, heic loci neque *Cetum* ſignificat, quem Vernacula noſtra vult, *Wallfiſch*, neque *Draconem* ſiue Serpentem, quem Latina, ſed Leuiathan eſt, ſi *Crocodilus* Leuiathan. Circumſtantiæ in Textu obuiæ id clarè indicant: Ceto neque pedes ſunt, neque ſquamæ, neque is degit in aquis Ægypti, non egreditur in terram, neque retibus capitur, neque ponuntur hami in maxillis ejus. Quæ omnia adſignantur τοῖς תנין partim in Textu, partim XXXII. 2. 3. *Es veluti Draco* תנין *in æquoribus, qui laſciuiſti in fluminibus tuis, turbaſti aquas pedibus tuis, & calcaſti flumina earum. Sic dicit* DOMINUS DEUS: *Ego expandam ſuper te rete meum. — (Draconi aſſimilatus es, qui eſt in mari: & ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina earum. Propterea hæc dicit* DOMINUS DEUS: *Expandam ſuper te rete meum. —)* Quadrat eò magis interpretatio hæc, quoniam non ſolùm egregiè Crocodili ſymbolo delineatur Ægypti Rex, ſed ipſa quoque vox *Pharao* Arabico Idiomate denotat Crocodilum. *Bochart. Hieroz.* P. II. L. V. c. 18.

Placet *Draco* Cl. *Juſto Martino Gläſenero* in *Bibl. Brem. Claſſ.* VII. p. 976. inſigne Regum Ægyptiorum Hieroglyphicum, Imperatorum Sinenſium, Romanorum, Lacedæmoniorum, Gothorum, Vandalorum, Anglorum. Conciliandus autem facile eſt Vir Clar. cum *Bochart*o & *Theod. Haſæo*, qui, licet in promendo vocis תנין ſignificatu Ceto fauentiſſimus, in hoc tamen Ezechielis loco *Crocodilum* intelligi vult: facile inquam, ſi non Draco, ſed Crocodilus eſt, quem in ſuis Inſignibus habent Sinenſium Reges, more ab Ægyptiis mutuato, à quibus originem traxiſſe videntur.

Vid. *Bibl. Brem.* l. c. p. 988.

EZECH. cap. XXIX. v. 6. 7.
Ægyptus fulcrum arundineum.

Ezech. Cap. XXIX. v. 6. 7.
Egypten Israels Rohrstab.

I. G. Pintz sculps.

TAB. DCXXXV.

Ezech. Cap. XXIX. verſ. 6. 7.

6. Et ſcient omnes habitatores Ægypti, quia ego DOMINUS, eo, quod ipſi fuerunt fulcrum arundineum domui Iſraelis.
7. Quum illi te apprehenderint manu tua, confringeris, & diffindes eis omnem humerum: & quum innixi fuerint tibi, confringeris: num ergo omnes lumbos eorum firmabis?

6. Et ſcient omnes habitatores Ægypti, quia ego DOMINUS: pro eo, quod fuiſti baculus arundineus domui Iſrael.
7. Quando apprehenderunt te manu, & confractus es, & laceraſti omnem humerum eorum: & innitentibus eis ſuper te, comminutus es, & diſſoluiſti omnes renes eorum.

PAulò ante v. 3. Dominus Territorii, Ægypti Rex, peraptè repræſentatur Crocodili ſymbolo, animalium Ægyptiacorum Regis: heic omnis arundinifera Ægyptus *arundini*, eique aculeatæ, & fragili. Quadrat autem Textui *arundo graminea aculeata Alpini Exot. Park.* quæ & in Creta Inſula naſcitur, plus quinque cubitos longa, caulibus gracilibus geniculatis, inter quos medius craſſior & longior ex ſingulis geniculis alios producit. Folia inferius lata, ſuperius gracilia, parua, graminea, dura, ſpinarum modo in duros aculeos definentia, unde hæc planta tota aculeis multis inſtar ſpinarum horret. Parallela ſunt Textui noſtro loca 2. Reg. XVIII. 21. Jeſ. XXVI. 6. *Ecce, tu fidis fulcro iſtius fractæ harundinis, nempe Ægyptio, cui ſi quis innitatur, in manum ejus penetrat, & eam perforat: talis eſt Pharao, Rex Ægypti, omnibus, qui illo nituntur. (Ecce, confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum, ſuper Ægyptum: cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam: ſic Pharao, Rex Ægypti, omnibus, qui confidunt in eo.)*

Ezech. Cap. XXXI. verſ. 3-9.

3. Ecce, Aſſur (ſimilis erat) Cedro in Libano, quæ ramis pulchra eſt, nemore umbram faciens, alta ſtatura, cujus cacumen inter condenſa (arborum).
4. Aquæ nutriuerant eam, abyſſus extulit eam, & flumina ejus circuierunt plantationem ejus, & riuulos ſuos miſit ad omnia ligna campi.
5. Hinc ſtatura ejus elata eſt præ omnibus arboribus campi, & prolongati ſunt frondes ejus, propter aquas multas, quas ipſa miſit.
6. In ramis ejus nidos fecerunt omnes volucres cœli, & ſub frondibus

3. Ecce, Aſſur quaſi Cedrus in Libano, pulcher ramis, & frondibus nemoroſus, excelſusque altitudine, & inter condenſas frondes eleuatum eſt cacumen ejus.
4. Aquæ nutrierunt illum, abyſſus exaltauit illum: flumina ejus manabant in circuitu radicum ejus, & riuos ſuos emiſit ad uniuerſa ligna regionis.
5. Propterea eleuata eſt altitudo ejus ſuper omnia ligna regionis: & multiplicata ſunt arbuſta ejus, & eleuati ſunt rami ejus præ aquis multis.
6. Cumque extendiſſet umbram ſuam in ramis ejus, fecerunt nidos o-

ejus pepererunt cunctæ beſtiæ agri, atque ſub umbra ejus ſederunt omnes gentes magnæ.

7. Pulchra itaque facta eſt in magnitudine ſua, in extenſione ramorum ſuorum, quoniam radix ejus fuit ad aquas multas.

8. Cedri in hortis DEI non obſcurarunt eam, nec abietes ſimiles ſunt ei, nec Caſtaneæ fuerunt ſicut frondes ejus, & præterea nulla arbor in hortis DEI illi ſimilis fuit in pulchritudine ſua.

9. Pulchram feci eam multitudine ramorum ejus, æmulataque ſunt eam omnia ligna delicata, quæ ſunt in hortis DEI.

mnia volatilia cœli, & ſub frondibus ejus genuerunt omnes beſtiæ ſaltuum, & ſub umbraculo illius habitabat cœtus gentium plurimarum.

7. Eratque pulcherrimus in magnitudine ſua, & in dilatatione arbuſtorum ſuorum: erat enim radix illius juxta aquas multas.

8. Cedri non fuerunt altiores illo in paradiſo DEI, abietes non adæquauerunt ſummitatem ejus, & platani non fuerunt æquæ frondibus illius: omne lignum paradiſi non eſt aſſimilatum illi, & pulchritudini ejus.

9. Quoniam ſpecioſum feci eum, & multis condenſisque frondibus: & æmulata ſunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiſo DEI.

CEdrographiæ amplæ commodam anſam daret ſymbolica hæc Regis Aſſyriorum deſcriptio, niſi abundè ſatis alibi deſcripta foret hæc coniferarum præcellentiſſima, *Cedrus conifera foliis laricis* C. B. *Cedrus magna ſiue conifera Libani* I. B. *ramis pulchra, nemore umbram faciens, alta ſtatura, cujus cacumen inter condenſa arborum,* καλὸς (κυπάρισσος) ταῖς παραφυάσι, καὶ ὑψηλὸς τῷ μεγέθει, addunt alii, πυκνὸς ἐν τῇ σκέπῃ. Reſpondet hæc deſcriptio arbori ipſi, cujus *rami ſurſum ſpectant, longi, tam pulchro ordine diſpoſiti, ac ſi artificis manus reſectos æquatosque appoſuiſſet, ſic ut eminus etiam circinatus æqualiter diſpoſitorum orbis egregiè appareat. Raj. Hiſt. Plant.* 1404. Sed hyperbolica ſunt, & myſticæ potius Cedro quàm naturali quadrant, *abietes non eſſe ſimiles ei, nec Caſtaneas ſicut frondes ejus,* οὐ πίτυες ἐχ' ὅμοιαι ταῖς παραφυάσιν αὐτε, καὶ ἑλάται οὐκ ἐγένοντο ὅμοιαι τοῖς κλάδοις αὐτε. Arbor ligni ſolidi, quod vermes non facilè admittit, ſtructuræ Templi adhibitum, cujus firmitas atque perennitas occaſionem dedit phraſi apud Latinos familiari, quæ occurrit apud *Perſium Sat.* 1.

— *Et Cedro digna locutus.*

Ouid. Triſt. 1.

Nec titulus Minio, nec Cedro charta notetur.

Niſi heic *Cedri* nomine intelligere malis pigmentum cedrino oleo confectum, minio ſuppar. *Nemoroſam* Cedri *umbram*, & quæ ſequuntur v. 3. exprimant, quæ habet in *Oedipo Seneca.*

- - - - *Saltum inumbrans*
Medio ſtat ingens arbor, atque umbra graui
Siluas minores urget, & magno ambitu,
Diffuſa ramis, una defendit nemus.

Ezech. Cap. XXXII. verſ. 2. 3.

2. Fili hominis, ſume lamentationem ſuper Pharaonem, Regem Ægypti, & dic ad eum: Leunculo gentium aſſimilatus es, & es veluti Draco in æquoribus, qui laſciuiſti in fluminibus tuis, turbaſti aquas pedibus tuis, & calcaſti flumina earum.

2. Fili hominis, aſſume lamentum ſuper Pharaonem, Regem Ægypti, & dices ad eum: Leoni gentium aſſimilatus es, & draconi, qui eſt in mari: & ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina earum.

3. Sic

EZECH. Cap. XL. v. 3.
Domus S. funiculo lineo mensurata.

Ezech. Cap. XL. v. 3.
Das Haüs Gottes mit einer Schnür gemessen.

G. D. Heumann sculps.

3. Sic dixit DOMINUS DEUS: Ego expandam ſuper te rete meum, in congregatione populorum multorum, qui te propellent in ſagenam meam.

3. Propterea hæc dicit DOMINUS DEUS: Expandam ſuper te rete meum in multitudine populorum multorum, & extraham te in ſagena mea.

Vid. Ezech. Cap. XXIX. verſ. 3.

TAB. DCXXXVI.

Ezech. Cap. XL. verſ. 1.

Anno viceſimo quinto migrationis noſtræ, initio anni, decimo die menſis, anno decimo quarto, poſtquam adflicta eſt urbs, eo ipſo die vis Diuina mecum egit, & adduxit me illuc.

In viceſimo quinto anno transmigrationis noſtræ, in exordio anni, decima menſis, quarto decimo anno, poſtquam percuſſa eſt ciuitas: in ipſa hac die facta eſt ſuper me manus DOMINI, & adduxit me illuc.

EXquiſitam prorſus attentionem meretur præcellens hæc & Diuina viſio, quæ non tam Zorobabelicum ſecundum, quam Noui Teſtamenti Templum myſticum repræſentat. Occurrit autem primò tempus, quod incidit in annum decimum quartum deſtructæ Urbis & Templi, diem decimum primi menſis, nempe Thiſri, qui ſeptimus eſt ſacrorum, quo tempore Judæi celebrare debebant Feſtum unum ex ſacerrimis. Leuit. XXIII. 24. 25. Et eſt hic ipſe viſionis dies, quo juxta Diuinæ Legis mandatum præſentari debebant duo hirci, ſanguis unius importari Sanctiſſimo pro expiatione populi, alter mandari in deſertum ad Azazelem.

Ezech. Cap. XL. verſ. 3.

Duxitque me illò, & ecce virum, cujus ſpecies (a) ſimilis erat chalybi, & in ejus manu lineus funiculus, & menſorius calamus, atque is ſtabat in porta.

(a) Ebr. ſpecies ejus ſunt ſpecies chalybis. Hier. æris.

Et introduxit me illuc: & ecce vir, cujus erat ſpecies quaſi ſpecies æris, & funiculus lineus in manu ejus, & calamus menſuræ in manu ejus: ſtabat autem in porta.

POſcit & præſupponit, quam explicandam ſumimus, Templi & ſingularum partium ejus ſtructura menſuras. Utuntur Geometræ ordinariè perticâ ligneâ, diuisâ in pedes & digitos, vel catenâ, vel funiculo. Ναομέτρης noſter, Prophetæ & gloriam & magnitudinem domus DEI, vel noui fœderis amplitudinem oſtenſurus, *in manu* ſua *habebat* פְּתִיל־פִּשְׁתִּים *pethil piſchthim*, σπαγτίον οἰκοδόμων, *filum linorum*, *lineum funiculum*, & קְנֵה־הַמִּדָּה *keneh hammiddah*, κάλαμον μέτρου, *calamum menſuræ*, *calamum menſorium*, *eine Meß-Ruthe*, Vernacula noſtra habet *Richtſcheit*, ſed minus appoſitè; ſolemus quippe hoc inſtrumento non tam menſurare linearum longitudines, quàm examinare rectitudinem, ducere lineas rectas. De hac menſura ſequentur plura ad v. 5. *De funiculis menſoriis* obſeruandum, ex Cannabi fieri, vel lino, ſed pro variante cœli conſtitutione nunc elongari, nunc contrahi, quapropter ſolent eos Geometræ oleo imbuere, ut aquæ particulas non admittant, & eadem ſemper in omni aëris conſtitutione maneant longitudine. Hujusmodi autem funiculis menſurari poſſunt longæ lineæ, ut breues perticis, quibus ordinariè utimur, ligneis. Inſeruiunt quoque *funiculi*, quibus appenditur plumbum, examinandæ altitudini, an ſit perpendicularis illa,

murorum, vel & menſurandæ, & commodius quidem, quàm perticis. Indicat proin & *funiculus* & *calamus*, quos in manu habebat Architectus noſter, præſtolandam eſſe dimenſionem totius ædificii exquiſitiſſimam in omni ſua altitudine, longitudine, latitudine, amplitudine. *Funiculus lineus*, nobis *flächſine Schnur*, Lutherо *leinene Schnur*, Interpretibus Græcis vocatur σπαρτίον. Notat autem σπάρτον & σπαρτίον tum graminis quoddam genus, *ſpartum*, unde *ſpartea gramina*, tum funem, funiculum, ut & σχοῖνος funem & juncum; quoniam veteres ex *gramine ſparteo primo panicula comoſa* C. B. *Theatr.* 62. funes, corbes, retia, tapetes & hujusmodi alia conficiebant. Creſcit id copioſè in Hiſpania, ſpeciatim in Prouinciis Granata, Valentia, circa Cartagenam, unde omnis ille diſtrictus audit *ſpartarius campus Straboni* L. VI. ἐσγγάριον πέδιον, item σχοινᾶν & ἁλισχοινᾶν, planta ipſa *Dalechampio Juncus Iberius* ſiue *Hiſpanicus*, quam olim unà cum variis rebus ex ea confectis transferebant in Italiam, Africam & Aſiam. Ut forſan τὸ materiale funiculi noſtri menſorii potius à ſparto hoc noſtro deſumi debeat, quàm vel à Cannabe, vel à Lino. Siſtit hoc gramen Fig. I. Deſcriptio hæc eſt *Bauhini. Radices fibroſæ ſunt ac perennes, quæ facile luxuriantes, atque inter ſe implicitæ latum ceſpitem, & multarum ſimul congeſtarum plantarum cumulum junci modo duorum quandoque pedum aut amplius in ambitu ſpatium occupant, folia habet numeroſa, tenuia, ex viridi pulla, glabra, cubitalia, quædam tenella ſunt, latiuſcula interiori parte canescente, quæ ſucceſſu temporis contrahuntur & conuoluuntur (marginibus ita conjunctis, ut vix rima appareat, niſi curioſius obſerues,) juncea, lenta & obſequioſa, quæ ætate duriora redduntur; inter hæc culmi aſſurgunt ſesquicubitales, foliis altiores, paniculam paruam, fere arundinaceam, lanoſam comoſamque, nonnullorum graminum aſſimilem, vere & æſtate proferentes, ſimili propemodum ratione florentem, cui ſemen oblongum, veluti in nonnullis graminum generibus ſcabrum, & aceroſum ſuccedit. Calamus* ipſe *menſorius* vocatur קָנֶה *Kanæh*, unde Itali & Hiſpani mutuati ſunt ſuum *Canna*, Galli *la Canne*, Germani *Kanne*, *Kane*. Græci habent κάλαμον, quæ vox *arundinem* propriè notat, cui in longam rectitudinem porrectæ, & in genicula diuiſæ, pertica in pedes atque digitos diuiſa peraptè comparari poteſt. Fig. II. Ita quoque habebat Angelus ille Apoc. XXI. 15. in manu ſua μέτρον κάλαμον χρυσᾶν, ἵνα μετρήσῃ τὴν πόλιν, καὶ τὰς πυλῶνας αὐτῆς, καὶ τὸ τεῖχος αὐτῆς. Qualis & ipſi Johanni fuit exhibitus ὅμοιος ῥάβδῳ, ἵνα μετρήσῃ τὸν ναὸν τοῦ ΘΕΟΥ, καὶ τὸ θυσιαστήριον, καὶ τοὺς προσκυνοῦντας ἐν αὐτῷ. Apoc. XI. 1. Funiculis metiri ſolebant Judæi agros ſuos, & vineas, atque pro rata diuidere inter hæredes. Huc pertinet Deut. XXXII. 9. *Pars DOMINI populus ejus, & Jacob funiculus hereditatis ejus.* Pſ. XVI. 7. (6.) *Funiculi ceciderunt mihi in amœnis locis, quin inſignis mihi hereditas obuenit. (Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.)* Ubi pro funiculis Græci habent σχοινία, Textus Hebræus חֲבָלִים *chabbalim.*

Ezech. Cap. XL. verſ. 5.

Et ecce murus extra domum quoquouerſus, & in manu illius viri menſorius calamus, (longus) cubita ſex, adjecto minori palmo ſingulis cubitis vulgaribus. Et menſus eſt craſſitudinem ædificii uno calamo, & altitudinem uno calamo.

Ebr. in cubito & palmo.

Et ecce murus forinſecus in circuitu domus undique: & in manu viri calamus menſuræ ſex cubitorum & palmo: & menſus eſt latitudinem ædificii calamo uno, altitudinem quoque calamo uno.

ATtentionem meretur heic tum menſura, tum ſtructura menſurata.

Menſura, qua utitur Naometra, fuit קָנֶה *Kanæh*, κάλαμος, *Calamus*, nobis *ein Mäß-Stecken*, ſed melius, *eine Meß-Ruthe*. Hæc pertica fuit שֵׁשׁ־אַמּוֹת בָּאַמָּה וְטֹפַח, πηχῶν ἓξ ἐν πήχει καὶ παλαιστῆς. Quæ verba non eodem modo explicantur ab Interpretibus. *Villalpandus* cubitis ſex palmum addit, ut pertica ſit 6¼. cubitorum. Sed melius forſitan alii unicuique cubito vulgari addunt palmum, proin perticam faciunt 6. cubitorum & 6. palmorum. Ita & reddit noſtra Latina, *cubita ſex, adjecto minori palmo ſingulis cubitis vulgaribus.* Vernacula verò noſtra *Villalpandi* mentem potius exprimere videtur, *ſechs Ellen lang und ein Spannen. Cubitum* Hebræi communiter vocant אַמָּה *ammah*, *palmum* טֹפַח *tophach*, *eine Handbreite*. Notandum quippe, *Palmum* propriè eſſe *Spithamam*, *eine Spanne*, *Palmam* verò *eine Handbreite*, 4. digitorum, pollice excluſo, latitudinem, Italis *palmo minore*. Inde pronum eſt judicare, diuerſam fore longitudinem calami pro diuerſo Interpretum conceptu. *Eiſenſchmid*



EZECH. cap. XL. v. 6.
Ichnograph. portar. vestib. thalamorum.

Ezech. Cap. XL. v. 6.
Grundriss der Thoren Vorhöfen u. Kammern.

I. G. Pintz sculps.

ſchmid 6. cubitos habet, cubitum facit 2. ſpithamarum, ſpithamam 3. palmorum, palmum 4. digitorum. Quodſi unicuique cubito addamus palmum, erit calamus præcisè ſex cubitorum, quoniam 6. palmi conficiunt cubitum. Eſt eidem Authori cubitus æqualis 1. Pedi Pariſino $\frac{244}{240}$. Fuiſſet proin calamus æqualis 1. hexapodæ, pedibus 3. & 1344. partibus, in totum 14304. partibus Pariſinis, ſiue 10284. Rhenolandicis, pedis diuiſi in 1000. partes. Quodſi addamus ſex his cubitis ſeptimum, erit calamus ſacer partium 16688. Pariſinarum, 11998. Rhenolandicarum. Ex *Sturmii* calculo *Maris Æn.* p. 107. eſt cubitus ſacer $\frac{1}{7}$. de 10. pedibus Rhenoland. 1. dig. 736. Prodeunt proin 14694. partes Pariſinæ, ſumtis 1391$\frac{3}{8}$. Pariſinis pro Rhenolandico pede. *Goldmannus* pro commoda moduli in 360. partes diuiſione cubito ſacro dat 36. digitos latos; ita namque modulus per omnes ſimplices numeros diuidi ſe patitur, excepto 7. ad architectonicas proportiones inepto. Nos ut diſtinctum formemus de calamo Ezechielis conceptum, admittemus cum *Sturmio* & aliis diſtinctionem cubiti in communem & ſacrum, ſeruaturi tamen *Eiſenſchmidii* reductionem, hactenus nobis uſitatam, ſic obtinebimus pro ſeptemcubitali calamo Pedes Pariſinos 11$\frac{848}{240}$. adeoque propemodum 2. hexapodas. Cubiti Hebraici juxta varias ſententias menſuram exhibuimus TAB. XXXVI. In Tabula verò præſenti ſiſtimus $\frac{1}{24}$. calami, quæ æqualis eſt 695$\frac{1}{3}$. partibus Pariſinis, dimidio fere Pedi Rhenolandico. Fig. II.

Structura ipſa, quam heîc Propheta deſcribit, eſt חוֹמָה *chomah*, περίβολος, *murus*, qui extra atrium gentium fuit circumductus, cujus *craſſitudo fuit unius calami, & altitudo unius calami*, πλάτος ἴσον τῷ καλάμῳ, καὶ τὸ ὕψος ἴσον τῷ καλάμῳ. *Sturmio Sciagr. Templi* p. 53. 56. lubens ſubſcribo, Architectonicæ Symmetriæ ergo, non fuiſſe hunc murum circumcirca totum Templi ædificium ejusdem ubique craſſitiei, ſed in certa diſtantia pilas cubicas, calamum latas, altas, & longas, muro interjecto aliquantum contracto: ut proin peribolus hic aptè conferri poſſit muris plurimarum urbium, è quibus paſſim turres quadratæ veluti alæ ſunt protenſæ. Circuitus hic muralis in Textu noſtro non ſolùm vocatur חוֹמָה, περίβολος, ſed & בִּנְיָן *binjan*, περοτείχισμα, *antemurale*, neceſſarium certè in Templo Solomoneo, utpote quod inædificatum fuit monti. Elucebit magis hujus antemuralis neceſſitas, ſi conſideremus, teſte *Joſepho Ant.* L. VIII. c. 2. ſtupendæ molis ſubſtructionem illam, *Mello* dictam, 400. cubitos altam, ab imo monte ad ſummum elatam, è cujus ſummitate proſpectus nemini fere non intuliſſet vertiginem. Sequitur inde ſponte, cingi debuiſſe atrium gentium muro, ut præcaueretur caſibus ex alto fatalibus. Conforme id eſt Legi Diuinæ Deut. XXII. 8. *Quum extruis domum nouam, facias loricam* (peribolum, murum) *tecto tuo, ne ponas ſanguinem in domum tuam, quum quispiam caderet ex ea. (Cum ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum: ne effundatur ſanguis in domo tua, & ſis reus, labente alio, & in præceps ruente.)* Neceſſitatem auget incredibilis hominum confluxus. Ibat hic *murus extra domum quoquouerſus*, ἔξωθεν τῆ οἰκιᾳ κύκλῳ, quoniam in toto montis ambitu fuere valles profundæ, periculum proin lapſus ubique. Hujusmodi antemurale Hiſpani vocant *antepecho*, Itali *parapetto*, quod vocabulum in Architectura militari *loricam* aliàs ſignificat. Partem hujus muri videre licet in Fig. III.

TAB. DCXXXVII.

Ezech. Cap. XL. verſ. 6.

Et progreſſus ad portam, quæ reſpiciebat Orientem, aſcendit per gradus ejus, & menſus eſt craſſitudinem utriusque poſtis cum calamo.

Ebr. Et menſus eſt poſtem portæ uno calamo latum, & poſtem unum uno calamo latum.

Et venit ad portam, quæ reſpiciebat viam Orientalem, & aſcendit per gradus ejus: & menſus eſt limen portæ calamo uno latitudinem, id eſt, limen unum calamo uno in latitudine.

PRogreſſus Angelus fœderis, à peribolo ſiue muro exteriori, deſcripto v. 5. per atrium gentium *ad portam, quæ reſpiciebat Orientem*, εἰς τὴν πύλην τὴν βλέπουσαν κατὰ ἀνατολὰς, absque quod menſurauerit atrium gentium. Congruunt, quæ legimus Apoc. XI. 1. 2. Καὶ ὁ ἄγγελος εἰςήκει, λέγων· ἔγειραι, καὶ μέτρησον τὸν ναὸν τοῦ ΘΕΟΥ, καὶ τὸ θυσιαςήριον, καὶ τοὺς προσκυνοῦντας ἐν αὐτῷ. Καὶ τὴν αὐλὴν τὴν ἔξωθεν τοῦ ναοῦ ἔκβαλε ἔξω, καὶ μὴ αὐτὴν μετρήσῃς, ὅτι ἐδόθη τοῖς ἔθνεσι.

Progreſſus, inquam, primò *ad portam, quæ reſpiciebat Orientem.* Fuit hæc portarum præcipua, *Porta Regis*, 1. Paral. IX. 18. utpote per quam Rex ſolebat ingredi. *Gloria DEI Iſraelis veniebat ab ortu, (Gloria DEI Iſrael ingrediebatur per viam Orientalem,)* Ezech. XLIII. 2. & XLIV. 2. ita Prophetam adloquitur DOMINUS: *Porta hæc*, ad Orientem, *erit clauſa, & non aperietur, nec quisquam (& vir non) ingredietur per eam, quoniam DOMINUS DEUS Iſraelis ingreſſus eſt per eam, & erit clauſa Principi.* Reſpicit myſticus ſenſus dilatationem Regni CHRISTI ab Ortu ad Occaſum. Concordat tota Hiſtoria Eccleſiaſtica. Debebant *ad Legem* DOMINI *expectare Inſulæ.* Jeſ. XLII. 4. Per portam hanc Orientalem in proſpectum veniebat ædes interior ſacra DOMINI. *Nam domus in Orientem ſpectauit. (Facies enim domus reſpiciebat ad Orientem.)* Ezech. XLVII. 1.

Aſcendit porrò Angelus *per gradus.* Ad magnificentiam ſtructuræ haud parum confert altitudo, eminentia, ἐξοχή. Fuit tota Templi ſtructura eminentior per ſe urbe, utpote *in monte altiſſimo* ſita v. 2. Jam eſt atrium Iſraelis altius atrio gentium, atrium Sacerdotum eminentius atrio Iſraelis. Hanc Architecturæ regulam obſeruabant quoque Gentiles, utpote qui ad Templa adſcendebant per gradus, *Vitruuio* teſte L. III. c. 2. 3. Adſint pro teſtibus duo Numiſmata in TAB. DCXXXVIII. unum *Fauſtinæ* Fig. A. alterum *M. Aurelii Antonini* Fig. B. Poſcit hanc ipſam regulam natura hujusmodi ſtructurarum, mole grauium, quales ſunt Templa, utpote quæ ſenſim ſubſidunt pondere preſſæ. *Oculis id cernimus in Pantheone, celeberrimo firmiſſimoque antiquitatis monumento, ad quod tot gradibus hodie deſcenditur, quot olim, ut ajunt, aſcendebatur. Villalp. in Ezech.* T. II. p. 178.

Graduum ipſorum numerus in Textu originali haud eſt expreſſus. R. *Solomo* & *Kimchi* 12. habent. Potiori vero jure LXX. 7. ἑπτὰ ἀναβαθμούς. Nititur hæc prærogatiua v. 22. ubi portæ ſeptentrionali dantur *ſeptem gradus.* Eandem nempe ſtructuram habebant portæ omnes, eandemque menſuram; poſcit id quoque ſymmetria, & atriorum trium exquiſita libellatio. Præſcribit hanc ipſam legem *Vitruuius* L. III. c. 3. *Extructis fundamentis ad libramentum ſtylobatæ ſunt collocandi.* Nemo certè non admiratus fuerit pulchritudinem atque perfectionem ædificii, ſi atria, imò columnas, earum ſtylobatas, aliasque quasuis partes vidit ejusdem omnia dimenſionis & altitudinis. Determinat *Villalpandus* graduum ipſam altitudinem. Ab omni plaga aſcendendi fuerunt ad ſacrarium gradus 25. nempe 7. ad portam atrii exterioris, 8. ad portam atrii interioris, 8. ad veſtibulum interius, 2. denique ad introitum in Sanctum. Conficiunt hi 25. gradus calamum, ſi unicuique adſignemus ¼. cubiti, quæ altitudo non ſolùm accommoda fuit hominibus, ſed quoque animalibus, in atrio interiori mactandis. Ex noſtro computo, quem iniuimus ad v. 5. adſignando 16688. partes Pariſinas calamo, obtinemus pro gradus altitudine 667½. quæ incirca dabunt ½. pedem Tigurinum, integro enim damus 1340. Depreſſi ſunt, fateor, hi gradus, & depreſſiores, quàm in ædificiis ordinariis, ſed tales eſſe debebant ob rationem modò allegatam. Sed ob eandem debebant hi ipſi gradus eſſe latiores, retracti. Licebit & hanc latitudinem inuenire, ſiue inueſtigare ex gradibus portæ atrii interioris, ubi in craſſitudine muri unius calami 8. fuere gradus; diuide calamum, quem ſupra dedimus, ἑπτάπηχυν per 7. obtinebis pro latitudine unius cujusque cubitum Hebraicum, qui conſtat 2384. partibus Pariſinis.

Reſtat in Textu סַף הַשַּׁעַר *ſaph haſchaar*, τὸ αἰλὰμ τῆς πύλης, *limen portæ*, *der Pfoſten des Thors*, *die Schwelle des Thors*, quæ *craſſitudinem* habuit *unius calami.* Hanc partem Symmachus vocat ὁδὸν, Aquila & Theodotion πρόθυρον. Eſt hæc liminis latitudo attentione dignior tantò, quoniam inde elicitur craſſities muri per totum Templi ambitum, etiam unius calami. Intelligitur namque hoc αἰλὰμ nomine non limen duntaxat, quale transgredimur ædem intraturi, ſed quoque muri craſſities ad dextram & ſiniſtram, ſpatium illud omne inter III. IV. & III. IX. quale commodè monſtrari poteſt in vel ſub urbium portis.

TAB.

EZECH. Cap. XL. v. 6. seqq.
Portarum Scenographia.

Esech. Cap. XL. v. 6. seqq.
Thor-Gebäude in Perspectiv.

I. G. Pintz sculps.

TAB. DCXXXVIII.

Ezech. Cap. XL. verſ. 7.

Atriolum quoque unius calami longitudine, & calami unius latitudine, & inter atriola quinque cubitos, poſtem quoque portæ à proxima parte veſtibuli portæ intrinſecus uno calamo.

Et thalamum uno calamo in longum, & uno calamo in latum: & inter thalamos, quinque cubitos: & limen portæ juxta veſtibulum portæ intrinſecus, calamo uno.

COmparari poſſunt, & pro faciliori conceptu debent atriorum *portæ* cum portis urbium. Supra primum nempe ingreſſum extructa fuit turris, ſequebatur via ſeu platea, quam ornabant dextrorſum atque ſiniſtrorſum ædes ſiue palatia, & claudebat iterum porta cum turri deſuper extructa, ut prior illa poſſit vocari exterior, hæc interior, totius nempe portæ, porta, integram proin portam conſtituerint duæ turres cum platea interjecta, atque ædibus ad latera hujus extructis: Cujus integræ ſtructuræ longitudo fuit 50. cubitorum, latitudo 25. Judicare pronum eſt, ſtructuram talem firmo inniti debuiſſe fundamento, quod calami habuit craſſitudinem. Sed ab ante, ſiue ad Ortum, & à poſt, ſiue ad Occaſum, fuere portæ apertæ, ut ſub turribus patuerit tum aditus, tum exitus, & per plateam tranſitus. Fuere autem ipſæ hæ portæ turritæ majoris firmitatis ergò fornicatæ, id quod contulit haud parùm ad ſtructuræ magnificentiam. Tranſeunti per primam portam turritam dextrorſum atque ſiniſtrorſum occurrebant janitorum ædes & cubicula, tria ex quolibet latere, in ima nempe contignatione, quorum deſcriptio extat in Textu.

Hujusmodi conclaue vocatur in Textu הַחָתָא *batta*, aut potius *tha*. LXX. αἰλὰμ, Latina noſtra *atriolum*, alii melius *thalamum*, *cubiculum*. Symmachus habet παραςάδες, quæ vox propriè ſignificat *poſtes*, quoniam hi ejusdem fuere cum ipſis cubiculis dimenſionis. Occurrit & apud LXX. vox θεὲ pro Hebræorum הַחָתָא, ut αἰλὰμ reſpondet Hebræo אוּלָם *ulam*. Thalamus quiuis calamum fuit longus, calamum latus, & haud dubiè calamum altus, nempe $11\frac{848}{1440}$. Ped. Pariſ. Murus thalamis his ſeu conclauibus interjectus calami quoque habuit craſſitiem, ſed in altitudine 2. cubitorum utrinque retractus ibi duntaxat cubitorum 5. (TAB. CCCCXXXIII. g g.) Ita intelligi debent verba, *inter atriola quinque cubitos* (ſex habent LXX. τὸ αἰλὰμ ἀνὰ μέσον τῶ θεηλὰθ πηχῶν ἓξ, ſed mox etiam quinque, καὶ τὸ αἰλὰμ πηχῶν πέντε). Sequitur inde ſponte in unoquoque thalamo projectura ſemicubitalis, commoda reponendis ibi variis rebus, uſui janitorum neceſſariis, vel & donariis Templo inferendis. A parte ante & poſt thalamorum murus fuit dimidium cubitum craſſus, & in eo à parte ante *feneſtræ clauſæ* v. 16. id eſt, interiori ſui parte anguſtiores, exteriore latiores. Fuit & in ipſo muro tranſitus ab uno thalamo ad alterum. Et ex binis mediis thalamis patuit deſcenſus ad Cryptoporticus, in quibus aſſeruari debebant vina, oleum, lina, alia Templo illata. Patuit quoque inter duos thalamos juxta inuicem adſitos oſtiolum ad ſcalas in ipſa muri craſſitie fabricatas, ad quas lumini conceſſus fuerat aditus per dictas feneſtras.

Ultima verſiculi verba, *poſtem quoque portæ à proxima parte veſtibuli portæ intrinſecus uno calamo*, καὶ τὸ θεὲ τὸ δεύτερον ἴσον τῷ καλάμῳ πλάτος, eandem explicationem admittunt cum v. 6. Fuit namque limen ſub interiori porta turris, ſpectans verſus atrium exterius I. II. h. craſſitie calami, ejusdem prorſus dimenſionis cum illo, quod ſpectabat atrium gentium.

Ezech. Cap. XL. verſ. 8.

Et menſus eſt veſtibulum portæ intrinſecus uno calamo.

Et limen portæ juxta veſtibulum portæ intrinſecus calamo uno.

OCcurrit heic vox עֵלֶם *ylam*, quæ deſcendit ab אָלַם *alam, colligare*. Notatque in genere compaginationem forium vel liminum, quæ fit vel mediantibus ſuperliminaribus, vel fornicibus, vel tecto. Heic notat προθυρεον, *veſtibulum*, *Vorſchopf*, *Halle*, aream liberam columnis & fornice tectam ac ſuſtentatam, ante portam, utrinque ad ejus latera. Calami menſuram, quæ huic debetur, ſumit *Sturmius* à centro columnæ parietinæ ad centrum columnæ liberæ ſd. in portarum Ichnographia. Sed *Villalpandus*, qui hoc veſtibulum non habet, quærit id intra limina portæ.

Ezech. Cap. XL. verſ. 9.

Menſus eſt etiam veſtibulum portæ octo cubitorum, & paraſtades ejus duorum cubitorum, veſtibulum autem portæ intrinſecus (fuit).

Et menſus eſt veſtibulum portæ octo cubitorum, & frontem ejus duobus cubitis: veſtibulum autem portæ erat intrinſecus.

Pro Elim, quod Hier. *frontes* interpretatur, reddidi *paraſtades*, quæ & ante pagmenta dicuntur, quæ oſtiis utrinque apponuntur.

SEnſum exprimit clarè portarum Ichnographia, ubi b c. eſt tota veſtibuli projectio ad portam Orientalem 8. cubitorum: columnarum craſſities nempe in imo ſcapo duorum cubitorum, vel duorum modulorum. Menſuram veſtibuli in porta interioris portæ Propheta haud exprimit. *Sturmius* projectioni huic dat 5. cubitos. Debebat exteriori veſtibulo ſymmetriæ ergo reſpondere interius. Solebant hujusmodi veſtibula ſumptuoſarum ædium ornari picturis vel ſculpturis. Sed heic ponit idem laudatus ſæpe Architectus feneſtras ſeu aperturas, clathratas, binas, per quas lumini detur introitus ad ſcalam cochlearem in ipſa muri craſſitie exciſam, juxta v. 16. *Feneſtræ* veſtibulorum *quaquauerſus introrſum verſæ*. *Villalpandus* iterum veſtibulum hocce quærit intra limina portæ.

Vocem אֵילָיו *elau*, ωλεῦ, reddit Vulgata *frontem*, Latina noſtra *paraſtades*, Vernacula melius *Säulen*, intelligit autem *Villalpandus*, quia veſtibulum haud admittit extra muros projectum, parietinas, quales ad portam utrinque forma hemicylindri extant. Quarum craſſitudo ſeu diameter communis eſt omnibus Templi columnis, tam liberis, quàm parietinis.

Ezech. Cap. XL. verſ. 10.

Porrò atriola portæ Orientalis tria utrinque fuerunt, & tribus illis una dimenſio, eadem etiam dimenſio paraſtadibus utrinque.

Porrò thalami portæ ad viam Orientalem, tres hinc, & tres inde: menſura una trium, & menſura una frontium ex utraque parte.

SUnt hæc *atriola*, θαλαμοι, ipſi thalami, ſeu janitorum conclauia E. E. E. quorum menſura expoſita eſt v. 7. tria nempe ex quouis plateæ latere, dextro atque ſiniſtro. Fuere hæc conclauia (imæ nempe contignationis) ejusdem latitudinis atque longitudinis omnia, nempe calami. Fuere quoque columnæ omnes, parietinæ nempe thalamis interjectæ, Palmis & Cherubinis ornatæ, juxta ordinem ſacrum (TAB. CCCCXLIII. CCCCXLIV.) ejusdem prorſus menſuræ: reſpondere ſibi debebant ſtantes è regione in latitudine, altitudine, partibus ſingulis.

Ezech. Cap. XL. verſ. II.

Menſus quoque eſt latitudinem oſtii portæ decem cubitorum, & portæ altitudinem tredecim cubitorum.

Et menſus eſt latitudinem liminis portæ decem cubitorum: & longitudinem portæ tredecim cubitorum.

QUi obiter duntaxat legit hæc verba, *menſus eſt latitudinem oſtii portæ decem cubitorum*, is intelligit ea de apertura oſtii, quæ expoſitio ridicula, quoniam oſtia 4. cubitis latiora forent ipſis thalamis, imo ipſa portâ primariâ, utpote quæ calami duntaxat habuit latitudinem. Intelligi proin debet latitudo ipſius plateæ I K. à baſi nempe columnæ ad baſin columnæ oppoſitæ, quod fuerit cubitorum 10. ſiue 22. pedd. Pariſin. & 1104. partium. LXX. καὶ διεμέτρησε τὸ πλάτος τῆς θύρας τε πυλῶνος πηχῶν δέκα.

Plus difficultatis inuoluunt ſequentia proximè verba, *portæ altitudinem tredecim cubitorum*, καὶ τὸ ὕψος τε πυλῶνος πηχῶν δεκατειῶν, Vernacula, *die Länge des Thors dreyzehen Ellen*. Hebræus Textus שְׁלֹשׁ עֶשְׂרֵה *ſcheloſch esreh*, quem noſtræ & omnes aliæ Verſiones reddunt *tredecim cubitorum*, ſed nemo monſtrat locum, ubi ſint inueniendi. Nodum hunc ſoluit *Sturmius Sciagr. Templ.* p. 66. ponendo ter decem ſiue 30. cubitos; fuere namque ex quouis plateæ latere thalami tres, per conſequens & columnæ tres thalamis adſtantes (ita forſan intellexerunt παραστάδες), latitudo à columna ad oppoſitam 10. cubitorum, tres per conſequens latitudines 30. cubitorum. Hebræum פֶּתַח *pethach* vertunt communiter per oſtium, ſed notat in genere aperturam omnem. Gen. XXXVIII. 14. בְּפֶתַח עֵינַיִם, *in apertura duorum fontium*, *(in biuio itineris.)* Pſ. CXIX. 130. פֶּתַח דְּבָרֶיךָ, *(declaratio) ingreſſus verborum tuorum.* Hunc ſignificatum vult radix פָּתַח *pathach*, *aperire*. Patet ex latiori hoc ſignificatu, per פֶּתַח intelligi poſſe non ſolùm oſtii, per quod ingreſſus patet ad ædem, aperturam, ſed plateam omnem, utpote quæ tranſitum præbet euntibus, & lumini acceſſum ad interiora ædium.

Coincidit prope nobiscum *Villalpandus in Ezech.* p. 192. niſi quod dimetiatur *diſtantiam ſemicolumnarum, aut, quod idem eſt, quantum à ſe inuicem diſtant epiſtylia ipſis columnarum ſummis hypotracheliis ad perpendiculum reſpondentia.* Sed, in fauorem Vulgatæ, 13. cubitos quærit in altitudine portarum, quæ ſit duorum calamorum, nempe (ex ejus hypotheſi 6½. cubitorum ſinguli) 12½. cubitorum, inclusâ altitudine ſtylobatæ.

Ezech. Cap. XL. verſ. 12.

Et ante atriola margo unius cubiti utrinque, atriolum autem ab utroque latere cubitorum ſex fuit.

Et marginem ante thalamos cubiti unius: & cubitus unus finis utrinque. Thalami autem ſex cubitorum erant hinc & inde.

EST aſpectus Ichnographiæ Portarum Commentarii loco l m. Eminebant columnæ parietinæ extra murum thalamorum, cum baſi nempe, cubitum, quo proin retractiores fuere quàm ſtylobata. Quærit *Villalpandus* cubitum huncce in margine ſupra oſtia extra murum projecto, uti & in ſcamno, cui juxta oſtia poſito commodè inſidere potuerint.

Cubitos ſex non uno loco inuenias, ſed 1. in latitudine uniuscujusque thalami o p. 2. à medio oſtio ad centrum columnæ parietinæ q r. 3. à muro thalamorum ad medium plateæ. q. s. ita ut à thalamo ad oppoſitum thalamum fuerit diſtantia 12. cubitorum N O.

Quærit *Villalpandus* cubitos ſex intra ipſos thalamos, intricat autem ſeſe, dum horum latitudinem facit unius calami, huicque dat non 6. ſed 6¼. cubitos, neque ſeſe ex hac difficultate extricat aliter, quàm dicendo, omiſiſſe Scripturam palmum, atque poſuiſſe numerum rotundum. Sed eſt *Sturmii*, quam expoſuimus, ſententia præferenda. Vid. *Goldmann. Bau-Kunſt* p. 43. *Villalp. in Ezech.* p. 192.

Ezech. Cap. XL. verſ. 13.

Eſtque menſus portam à tecto atrioli ad tectum ejus latitudine viginti quinque cubitorum, oſtio (exiſtente) è regione oſtii.

Et menſus eſt portam à tecto thalami, usque ad tectum ejus, latitudinem viginti quinque cubitorum: oſtium contra oſtium.

COnficiunt hi cubiti 25. totam latitudinem ſtructuræ portarum menſuratæ à Meridie verſus Septentrionem L. M.

Thalami meridionalis longitudo - -	6.
Murus anterior hujusdem thalami -	½.
Plateæ latitudo à muro meridionalis thalami ad murum thalami ſeptentrionalis	12.
Muri craſſities in thalamo ſeptentrionali -	½.
Thalami hujusdem longitudo - - -	6.
	25.

Senſum hunc comprobat emphatica phraſis פֶּתַח נֶגֶד פֶּתַח *pethach neged pathach*, πύλη ἐπὶ πύλην, *oſtio exiſtente è regione oſtii*, *eine Thür ſtund gegen der anderen*. Quodſi inſuper addas murum poſticum, qui ſpectat tum Meridiem, tum Septentrionem, obtinebis 26. Hic proin numero illo 25. non fuit incluſus. Clarior redditur hæc ἐξήγησις, vel pondus ſaltem ei additur, ex alia phraſi in Textu obuia, modo nempe menſurandi, quo Angelus eſt uſus, מִנֶּגֶד הַתָּא *miggag hattha*, ἀπὸ τῆς τοίχου τῆς θεὶ ἐπὶ τοῖχον τῆς θεὶ, *à tecto atrioli*, thalami, *ad tectum ejus*, ſed malè ita, potius à tabulato ſuperiori thalami ad finem tabulati ſuperioris thalami oppoſiti, vel, juxta ductum tabulati ſuperioris.

TAB. DCXXXIX.

Ezech. Cap. XL. verſ. 14.

(a) Executus eſt quoque menſuram frontium ſexaginta cubitos, (qui modus fuit) unicuique frontium atrii portæ circunquaque.

Et fecit frontes per ſexaginta cubitos: & ad frontem atrium portæ, undique per circuitum.

(a) Ebr. & fecit frontes 60. cubitos & fronti atrii portæ. Ubique frontes pro Elim hic reddidi cum Hier. quæ Antes dici poſſent, & à Græcis quibusdam Interpretibus κριώματα dicuntur, κρὸς enim ut ail vel el dicitur aries.

VErnacula noſtra 60. cubitos tribuit columnarum altitudini, *Er machet auch Säulen ſechzig Ellen hoch*, ſed patietur correctionem. Sunt intelligendi cubiti hi 60. de longitudine totius ſtructuræ, quæ ad portas pertinet m l. אֵלִים *elim* ſunt columnæ parietinæ, extra muros extantes, אַיִל *ajil* eſt *aries*, *cancer*, in Architectura *projectura in ædificio*, hinc intelligit *Coccejus marginem, cui inſiſtunt columnæ parietum*, alii *poſtes*, Lutherus *Aercker*. Ibimus ſecuriſſimi, ſi intelligamus columnas tum liberas, tum parietinas, Palmis aliisque partibus ornatas. Cubitos autem hosce 60. inuenies in integra ſtructuræ portarum longitudine ita.

Pro prima baſi veſtibuli 1. 2. - - - -	½.
Ab extrema columna libera in veſtibulo Orientali ad columnam parietinam 2. 3.	6.
Columna ipſa parietina 3 f. - - - -	1.
Craſſities muri f 4. - - - - - -	6.
Longitudo plateæ inter portarum ſeu janitorum ædes g h. - - - - - -	36.
Craſſities muri interioris 5. 6. - -	6.
Columna parietina interior 6 k. - -	1.
Ad extremum columnæ liberæ k 7. -	3.
Pro baſi interiori vel margine veſtibuli -	½.
	60.

Studiosè iniri debet hic calculus, & quod non expreſſum præcisè ſuppleri ex Architecturæ regulis. Ex v. 6. conſtat muri craſſities 6. cubitorum, ad hunc erectæ fuerant columnæ parietinæ, quarum projectio fuit 1. cubiti, nam juxta v. 9. diameter columnæ fuit 2. cubitorum. Duo proin muri, exterior atque interior, faciunt unà cum columnis parietinis bis 7. ſiue 14. cubitos. Ex v. 15. fuit plateæ ipſius longitudo à principio exterioris muri ad finem interioris 50. cubitorum: ab his ſi ſubtrahas præmemoratos 14. reſtabunt 36. pro longitudine plateæ thalamis utrinque tribus jani-



TAB. DCXXXIX.

EZECH. Cap. XL. v. 14.
Interfectio Portar. Veſtib. et thalamorum.

Ezech. Cap. XL. v. 14.
Durchſchnitt des Thor-Gebäudes.

I. A. Pfeffel Iun. sculps.

janitorum interjectæ. Hi 36. proin in tres æquales partes diuiſi dabunt 12. cubitos pro intercolumniis axium. Quodſi unicuique columnæ utrinque à centro dederis 1. cubitum, abſcedent ex utroque plateæ latere bis ter ſiue 6. cubiti, quibus à tota plateæ longitudine 36. ſubtractis reſtabunt 30. cubiti, quos inuenies v. 11. ſiue tria ſpatia intermedia, 10. cubitorum ſingula. Reſtant addenda *veſtibula*. Interius, quod reſpondere debebat exteriori, eſt 5. cubitos latum. Hos 5. cubitos inuenies, ſi columnam parietinam 1. cum baſi ½. ſubtraxeris à 6½. ſubtrahe ½. à baſi 5. reſtabunt 4½. unde poteſt initium fieri menſurationis columnæ liberæ veſtibuli interioris, cujus baſis eſt ½. cubitum projecta. Subtrahe porrò 1. cubitum à 4. cubitis, reſtabunt 3. inde à centro columnæ liberæ ad centrum parietinæ. Quæ omnia conſpici clarè poſſunt in Ichnographia noſtra portarum. In veſtibulo exteriori ponimus pro diſtantia centrorum columnarum 6. cubitos, quoniam area, cui inſiſtebant, fuit juxta v. 7. cubitos 6. lata. Sic prodeunt omnia in exquiſita ſymmetria, & coincidet extrema columnæ parietinæ linea cum gradu ſcalæ ſupremo in linea recta. Concludimus hinc, fuiſſe intercolumnia omnia 12. 6. & 3. cubitorum, qui numeri proportiones dant Architectis & familiares & gratas.

Sequentia proximè verba וְאֶל־ הַחָצֵר הַשַּׁעַר סָבִיב סָבִיב reddit Vulgata, *& ad frontem atrium portæ undique per circuitum*, Lutherus, *& ad quemlibet frontem atrium ad poſtem undique*, Tigurini, *unicuique frontium atrii portæ circumquaque, ſo viel ihren umb des Vorhoffs Thor umb und umb ſtundend.* Obſcura omnia. Per *atria* (mutuò fortè deſumpta ex Ἀίθριον τῶν LXX.) heic haud intelligi debent areæ ſubdiales, muris undique clauſæ, ſed arcus inſignes ab una columna ad aliam ſupra thalamos vel oſtia porrecti, qui ædificio toti fuere ornamento. Aſpice Tabulam hanc ſtructuræ portarum orthographicam.

Villalpandus in Ezech. p. 196. Textum noſtrum explicat de altitudine columnarum, trium nempe per triplicem contignationem ſurgentium, circumcirca eadem ſiue æquali.

Ezech. Cap. XL. verſ. 15.

Cæterum ante portam ingreſſus ex aduerſo veſtibuli portæ interioris quinquaginta cubitorum (ſpatium) fuit.

Et ante faciem portæ, quæ pertingebat usque ad faciem veſtibuli portæ interioris, quinquaginta cubitos.

IN præcedenti proximè verſiculo totam ſtructuræ portariæ longitudinem inuenimus 60. cubitorum: ſubtrahamus nunc

ab ea - - - - - -	60.
Veſtibulum anterius - - - -	6½.
- - - interius - - - -	3½.
Reſtabunt - - - - -	50.

Inchoatur hæc menſuratio עַל־ פְּנֵי הַשַּׁעַר הַיְאתוֹן, *ad faciem introitus portæ*, à gradu ſcalæ ſupremo, in eadem linea cum centro columnarum parietinarum, ſiue à fine veſtibuli exterioris: עַל־ לִפְנֵי עֵלֶם הַשַּׁעַר הַפְּנִימִי, *juxta ad faciem veſtibuli portæ intimi*, ad initium veſtibuli interioris: ſiue à IV. ad II. in Ichnographia portæ, quæ ſpectat ad Ezech. XL. 6. Lubentius tantò recipiemus claram hanc & ſimplicem explanationem, quia eandem habet quoque *Villalpandus*, qui ita p. 197. *Et ante faciem*, & à facie anteriori, vel exteriori, *quæ pertingebat*, per quam ingrediebantur ab atrio Gentilium venientes in Templum, usque ad faciem veſtibuli portæ, quæ aperiebatur in muro Occidentali hujus primæ porticus: vel, à facie Orientali portæ, per quam ingrediebantur, usque ad faciem Occidentalem veſtibuli, per quam egrediebantur à porta, & ingrediebantur in atrium exterius. Hæc ille, qui hos 50. cubitos inuenit ita.

Pro craſſitie muri interioris & exterioris, calami - - - - -	2.
Pro tribus thalamis - - -	3.
Pro binis muris inter thalamos - -	2.
Pro ſemipoſtibus muris adpactis - -	1.
	8.
Siue cubiti - - -	48.

50. cubitos ſi diuidas in partes 8. æquales, dabit unaquæque 6¼. cubitos.

Ezech. Cap. XL. verſ. 16.

Et feneſtræ (a) clauſæ in atriolis, itemque in frontibus eorum introrſum (verſæ) unicuique portæ per circuitum, eodemque modo in veſtibulis, & feneſtræ quoquouerſus introrſum (verſæ) & in frontibus palmæ fuerunt.

(a) Ebr. atumoth, quod 3. Reg. VI. Hieronymus etiam obliquas interpretatur, Ebræi quidam intelligunt exterius anguſtas, interius amplas, quidam contra exterius amplas, interius anguſtiores. Dicitur & de auribus, ut aures occludere. Quare intelligi poſſunt feneſtræ clauſæ, & munitæ clathris aut cancellis.

Et feneſtras obliquas in thalamis & in frontibus eorum, quæ erant intra portam undique per circuitum: ſimiliter autem erant & in veſtibulis feneſtræ per gyrum intrinſecus, & ante frontes pictura palmarum.

SUnt aperturæ murorum, ſiue *feneſtræ*, ſymbolum veritatis, puritatis & gaudii in viis DEI, perneceſſariæ pro intromiſſione luminis ad thalamos & ſcalas. Audiunt hæ Prophetæ חַלּוֹנוֹת *challonoth*, ita & Solomoni Cant. II. 8. 9. ubi & mentio fit aperturarum clathratarum חֲרַכִּים *characcim*. *Dilectus meus proſpicit per feneſtras,* חַלּוֹנוֹת, *ſeque conſpiciendum exhibet per cancellos,* חֲרַכִּים. Exprimit quoque Propheta ipſam feneſtrarum formam, dum eas vocat אֲטוּמוֹת *atumoth*, κεκυπτὰς, *conſtrictas*, *clauſas*, *obliquas*, Vernaculæ noſtræ, *enge Fenſterlein*, *tieff darinnen*, quæ aut interius fuere anguſtæ, exterius amplæ, quod volunt R. *Dauid*, *Sturmius*, alii, vel exterius anguſtæ, interius amplæ, quæ R. *Jonathani* placent. LXX. θυρίδες κεκυπτωμένας, Symmacho τοξικὰς, quoniam hujusmodi aperturæ percommodæ fuerunt in muris, ad explorandum quaquauerſus hoſtem, & feriendum ſagittis, unde eſt, quod Hiſpani hoc feneſtrarum genus appellent *ſaeteras* à *ſaeta*, *ſagitta*. *Villalpandus in Ezech.* p. 198. non intelligit feneſtras propriè ita dictas ex vitro conflatas, ſed cancellatas (TAB. CCCCXXXIII.) nixus authoritate τῶν LXX. qui in deſcriptione Templi Solomonei habent θυρίδες δικτυωτὰς, feneſtras reticulatas, quales & vult *Hieronymus* in Ezechielem, *in modum retis inſtar cancellorum*, *ut non ſpeculari lapide*, *nec vitro*, *ſed lignis interraſilibus & vermiculatis clauderentur*, ut ſunt feneſtræ noſtræ clathratæ, ex bacillis ligneis obliquè ductis conſtantes, qui ſpatia rhomboidea, in angulis oppoſitis acuminata, per conſequens τοξικὰ, ſagittæformia, faciunt. Eſt & conciliationi locus, ſi apertura fuerit in medio muri, ſic quippe potuerunt ad aperturam usque mediam, eamque anguſtam fuiſſe exterius amplæ, interius anguſtæ, ſed quoque inde ab apertura media introrſum exterius anguſtæ, interius amplæ.

Fuerunt hæ feneſtræ *in atriolis*, *itemque in frontibus introrſum verſæ*, *unicuique portæ per circuitum*, ἐπὶ τὸ θεῖμα καὶ ἐπὶ τὸ Αἰλὰμ ἔσωθεν τῆς πύλης τῆς αὐλῆς κύκλωθεν, Vernacula noſtra, *die Gemache mit ihren Säulen hineinwärts gegen dem Thor ringsweiſe herum hatten Fenſter tieff darinnen*. Non quod columnæ ipſæ ſuas habuerint feneſtras, ſed quod feneſtræ fuerint juxta columnas, has inter & oſtia, & quidem *per circuitum*, ubi fuerunt cunque columnæ & thalami.

Fuere porrò *feneſtræ* non ſolùm in thalamis, ſed & *in veſtibulis*, τοῖς Αἰλὰμ, *inwendig an den Hallen herum*, ſiue, *an den Vorſchöpfen*, quæ nempe intromittendæ luci ad ſcalas in medio muri occultas fuere neceſſariæ.

In frontibus palmæ fuerunt, ἐπὶ τὸ αἰλὰμ φοίνικες ἔνθεν καὶ ἔνθεν, *auf den Säulen ſtundend Dattel-Bäume*, melius, *an denen Säulen überall war Palm-Laubwerck*. Quæri autem debent palmarum hæc ornamenta foliacea in capitulis columnarum (TAB. CCCCXLIII.) Has palmarum ſpathas mutarunt poſtmodum Corinthii in *Acanthi* folia, ſiue quod hæc placuerint præ illis, ſiue, ut noui ordinis, adhuc ſuperſtitis, dici poſſint inuentores.

Ezech. Cap. XL. verſ. 17.

Porro me introduxit in atrium exterius, & ecce (a) cellas, & pauimentum factum atrio circumquaque, (erantque) triginta cellæ in pauimento.

(a) Oſtendit porticum extructum fuiſſe ad murum medium, eamque duplicem, hoc eſt, ſuperiorem & inferiorem. Non autem continuo fuit ambitu, ſed interrupta veſtibulis portarum.

Et eduxit me ad atrium exterius, & ecce gazophylacia, & pauimentum ſtratum lapide in atrio per circuitum: triginta gazophylacia, in circuitu pauimenti.

In

IN atrium nunc amplum (m n o p. TAB. CCCCXXIII.) ex Orientali porta egreditur Propheta, Angelo duce. Eſt חָצֵר *chatſer* area ſubdialis ſpatioſa, circumcirca ſplendidis trium contignationum ædificiis cincta, nomen fortè nacta à חָצִיר *chatſir* fœnum, gramen, quod in hujusmodi areis ſuccreſcere ſolet, uti ſuccreuit id reuerà Templo deſtructo, 1. Maccab. IV. 38. *Cum vidiſſent ſacrarium deſolatum, & aram prophanatam, tum exuſtas portas, atque in atriis virgulta velut in ſaltu aut monte quopiam enata. (Et viderunt ſanctificationem deſertam, & altare prophanatum, & portas exuſtas, & in atriis virgulta nata, ſicut in ſaltu vel montibus, & paſtophoria diruta.)* Voci Hebrææ reſpondet Græca αὐλὴ, quæ apud *Athenæum* notat locum perflatilem. Hinc & Palatia Regum ac Principum *Aulæ, des Cours, Corti, Höfe* cluent, quod ante illa ſint amplæ areæ, Latinis *atria*. *Feſtus: Eſt atrium genus ædificii ante ædem, continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluuia deſcendit: dictum autem atrium, vel quia id genus ædificii Atriæ primùm in Etruria ſit inſtitutum, vel, quia à terra oriatur, quaſi aterrium vel aterium.* Sed potiori jure deduxeris vocabulum hoc *atrium* à Græco ἄϑριον, *ſub dio*.

Vocatur hoc, de quo nunc, atrium חִיצוֹנָה *chitſonah, exterius*, αὐλὴ ἐσωτέρη, ad diſtinctionem *interiorum*, alias *medium*, ſcilicet inter Atrium Gentium, & Atrium Sacerdotum, *Atrium* quoque *Iſraelis*, quoniam eo arcebantur Gentiles. Sed non fuit atrium hocce unicum. Hujusmodi areæ fuere ſeptem, ejusdem nominis & amplitudinis omnes (n. 5. Tab. cit.) quæ omnes communi atrii nomine veniunt, item *atrii magni* 2. Paral. IV. 9. Patuit autem ab uno ad alium tranſitus per porticus, ſuffultas columnis.

Circumcirca aream hanc, ſeu Iſraelis atrium, κύκλῳ τῆς αὐλῆς, fuere triginta *Cellæ*, לְשָׁכוֹת *leſchacoth*, LXX. παραφόρια, melius γαζοφυλάκια. Vulgata habet *Exedras*, quæ ex *Villalpandi* mente *in Ezech.* p. 201. 210. fuere conclauia *ſuper prima contignatione*, Sacerdotum & Leuitarum habitationi deſtinata: ſed juxta *Sturmium Sciagr. Templi* p. 75-79. fuere cellæ ſubterraneæ, quibus ſupra ſtabant trium contignationum ædificia.

Proximè ad has *cellas* fuit in toto Atrii Iſraelitici ambitu רִצְפָּה *ritſphah*, *pauimentum ignitis carbonibus vel lapidibus ſtratum*, i. e. ſilicibus, quod ex mente *Sturmii* profundius aliquanto fuit areâ atriorum. Occurrit idem vocabulum Eſther I. 6. *pauimentum conſtratum lapide marmoris pario & varicolore, (pauimentum ſmaragdino & pario ſtratum lapide, diſpoſiti erant: quod mira varietate pictura decorabat.)* Græci λιθόξεστον vocant. Silicibus ſi ſtraueris marginem hunc atrii exterioris, intellige Achatinos potius quàm vulgares, vel tabulas marmoreas, ut reſpondeant integræ ſtructuræ Templi marmoreæ. Audi Dauidem 1. Paralip. XXIX. 2. *Ego quidem, quam maximè potui, præparaui pro domo DEI mei — lapides onychinos, & alios, qui inſerantur, lapides rubros, variaque pigmenta: deinde omnis generis lapides pretioſos, lapidesque marmoreos abundè multos. (Ego autem totis viribus meis præparaui impenſas domus DEI mei — lapides onychinos, & quaſi ſtibinos, & diuerſorum colorum, omnemque precioſum lapidem, & marmor parium abundantiſſimè.)* Quinimo fuit forſan λιθόξεστον hocce opus teſſellatum ſiue muſiuum, ſed, ne damnum pateretur, porticu tectum, quæ *Villalpandi* eſt mens, *pauimentum porticibus undique cinctum, teſſellatis pauimentis affabrè elaboratis, quibus exedræ imminebant, in ſingulis intercolumniis ſingulæ.*

Poſſunt triginta hæ cellæ commodè ita diuidi, ut 8. fuerint ex utroque latere, meridionali nempe & ſeptentrionali, & 7. ex Orientali & Occidentali. (TAB. CCCCXXIII. m n o p.) Obtinebimus ſic ibi 16. heic 14. quarum ſumma dat 30. Ubi nota, ad Orientem & Occidentem cellam unam ſumi pro porta. Intercolumnia ipſa inter cellas, ſiue περίστυλα, ſequentes exhibent lineæ.

Ad latera Atrii.



E regione Portarum.



Ezech. Cap. XL. verſ. 18.

Et pauimentum (quidem porrectum fuit) ad humerum portarum (a) altitudinem, (quemadmodum &) pauimentum inferius.

(a) Hier. longitudinem.

Et pauimentum in fronte portarum, ſecundum longitudinem portarum erat inferius.

OBſcuro haud caret hic verſiculus, quod tollendum eſt ab Architecto perito. Sequemur veſtigia *Villalpandi in Ezech.* p. 208. & *Sturmii Sciagr. Templ.* p. 78. Vult ille, indicari heic longitudinem atrii utrinque à portis ad latera, quod eadem fuerit cum longitudine portæ, nempe 50. cubitorum: ſcilicet à centro portæ q. ad angulum meridionalem m. TAB. CCCCXXIII. hàc, & ſeptentrionalem n. illàc, in Iſraelis atrio: fuiſſe proin longitudinem integram n m. 100. cubitorum, proin & latitudinem n o. ſiue m p. quandoquidem conſtabit ex proximè ſequente verſiculo, fuiſſe quadratum. Quam eandem tum longitudinem tum latitudinem habebunt alia quoque Templi atria n. 5. 5. 5. conſpicua. Hæc inter atria porticus facit 50. cubitos latas, columnarum triplici ordine ſuffultas, in tria proin ambulacra interſtinctas, quibus & tranſitus patebat ab uno atrio ad alterum, & refugium concedebatur Iſraelitis cœlo pluuioſo. Colligere hinc licet integram Templi latitudinem. Numera à centro portæ interioris Orientalis q. ad angulum primum primi atrii n. cubitos 50. pro latitudine porticus n r. 50. pro latitudine atrii ſeptentrionalis r s. 100. porrò 50. cub. pro latitudine s t. ædificiorum usque ad Atrium Gentium, obtinebis 250. per conſequens pro latitudine & longitudine Templi totius 500. cubitos IK. Aliam ab hac viam init *Sturmius*. Quærit is cubitos 50. longitudini portæ reſpondentes in altitudine ædificii, & ſic producit pro thalamorum altitudine, per conſequens & longitudine & latitudine, quia cubici erant, 6. cubitos.

Ezech. Cap. XL. verſ. 19.

Et menſus eſt à porta inferiori ad interius atrium extrinſecus (intercapedinem) centum cubitorum, idque ab Ortu & Septentrione.

Et menſus eſt latitudinem à facie portæ inferioris, usque ad frontem atrii interioris extrinſecus, centum cubitos ad Orientem & Aquilonem.

NUllam fere vel exiguam difficultatem inuoluit hoc comma. Poſcunt Architecturæ regulæ atrii m n o p. & ſic aliorum quadratam formam: Latitudo proin ſi conſtiterit q 1. à centro interioris portæ ad ædificia è regione ſita, erit eadem quoque longitudo m n. (TAB. CCCCXXIII.) nempe 100. cubitorum, ſiue, cubito aſſumpto pro 2449. partibus Pariſinis, $170\frac{5}{12}$. pedd. Pariſin. ſiue $182\frac{11}{17}$. pedd. Tigur. dabitque area integra jugerum & 15686. pedes quadratos, jugero aſſumto pro 36000. pedibus Tigurinis. Saluo errore calculi. Vocatur *porta*, à qua metiri cœpit Angelus ἐμφατικῶς *inferior*, à ſitu nempe inferiori, ſeu profundiori, reſpectu habito ad portam, qua aditus patuit ad Atrium Sacerdotum.

Ezech. Cap. XL. verſ. 20.

Menſus eſt etiam longitudinem & latitudinem portæ Septentrionem ſpectantis in atrio exteriori.

Portam quoque, quæ reſpiciebat viam Aquilonis, atrii exterioris menſus eſt, tam in longitudine, quam in latitudine.

VIsâ haſtenus dimenſione Portæ Orientalis, & Atrii Iſraelis, ei adjacentis, egreſſus eâdem portâ ducitur Propheta per atrium gentium ad portam ſeptentrionalem Templi. TAB. CCCCXXIII. Fuerunt namque tres portæ exteriores, per quas aditus patuit ad Templum, Orientalis, Septentrionalis, & Meridionalis. Quo Typo ſignificatur, patere ad Eccleſiam Noui Teſtamenti ingreſſum ab Ortu, à Meridie, & à Septentrione, & habituros hos omnes ἰσότιμον πίστιν.

Ezech. Cap. XL. verſ. 21.

Atriolorum quoque ipſius trium utrinque, & paraſtadum ejus, & veſtibuli ejus fuit eadem menſura cum porta priori. Longitudo ejus quinquaginta cubitorum, & latitudo viginti quinque cubitorum.

Et thalamos ejus tres hinc, & tres inde: & frontem ejus, & veſtibulum ejus ſecundum menſuram portæ prioris: quinquaginta cubitorum longitudinem ejus, & latitudinem viginti quinque cubitorum.

Vid. verſ. 13. 15.

Ezech. Cap. XL. verſ. 22.

Et feneſtræ ejus, & veſtibulum ejus, & palmæ ipſius fuerunt ejusdem (planè) dimenſionis cum porta in Orientem ſpectante, gradibusque ſeptem aſcendebant per eam, ante, quod fuit ipſius, veſtibulum.

Feneſtræ autem ejus, & veſtibulum & ſculpturæ, ſecundum menſuram portæ, quæ reſpiciebat ad Orientem, & ſeptem graduum erat aſcenſus ejus, & veſtibulum ante eam.

Vid. verſ. 7. 9. 16.

Ezech. Cap. XL. verſ. 23.

Fuitque porta è regione portæ ad interius atrium tam in ſeptentrionali quàm in Orientali plaga. Et menſus eſt à porta ad portam oppoſitam cubita centum.

Et porta atrii interioris contra portam Aquilonis, & Orientalem: & menſus eſt à porta usque ad portam, centum cubitos.

QUemadmodum nempe è regione portæ exterioris Orientalis, interuallo atrii exterioris quadrati 100. cubitorum, fuit alia porta interior: ita & heic eſt verſus Atrium Sacerdotum è regione portæ exterioris Septentrionalis interior alia, pari atrii interuallo. Senſum hunc clarè reddit *Hieronymus: Nec ſolum unà porta eſt Aquilonis, quæ ſupra porta appellatur exterior, ſed & altera interior, quæ habet ſimilitudinem portæ Orientalis, ut manifeſtius dixere ſeptuaginta. Et porta atrii interioris reſpiciens portam Aquilonis: ſicut erat porta, quæ reſpiciebat ad Orientem: menſusque eſt à porta exteriori Aquilonis usque ad portam ejusdem Aquilonis interiorem centum cubitos.* Sunt Verſiones noſtræ non ita claræ.

Ezech. Cap. XL. verſ. 24.

Inde me duxit ad Meridiem, & ecce Portam ad Meridiem, cujus paraſtades & veſtibulum eſt menſus ejusdem dimenſionibus.

Et eduxit me ad viam Auſtralem, & ecce porta, quæ reſpiciebat ad Auſtrum: & menſus eſt frontem ejus, & veſtibulum ejus juxta menſuras ſuperiores.

SUnt deſcriptæ haſtenus Portæ, Orientalis, Septentrionalis, Meridionalis, Typus eorum, qui in Eccleſiam Noui Fœderis ingreſſuri erant ab Ortu, à Septentrione & à Meridie.

Ezech. Cap. XL. verſ. 25.

Eique fuerunt feneſtræ, & veſtibulo ejus circunquaque, quales illæ feneſtræ: (veſtibuli etiam) longitudo quinquaginta cubitorum, & latitudo viginti cubitorum.

Et feneſtras ejus & veſtibula in circuitu, ſicut feneſtras cæteras: quinquaginta cubitorum longitudine, & latitudine viginti quinque cubitorum.

Vid. verſ. 13. 15. 16.

Ezech. Cap. XL. verſ. 26.

Aſcenſus quoque illius graduum ſeptem, ante quoque fuit ipſius veſtibulum. Habuit etiam ſingulas Palmas utrinque in ſuis frontibus.

Et in gradibus ſeptem aſcendebatur ad eam: & veſtibulum ante fores ejus, & cælatæ palmæ erant, una hinc, & altera inde in fronte ejus.

Vid. verſ. 6. 16. 22.

Ezech. Cap. XL. verſ. 27.

Porta denique atrio interiori ad Meridiem (è regione portæ fuit) eſtque menſus in plaga meridionali à porta ad (oppoſitam) portam centum cubitos.

Et porta atrii interioris in via Auſtrali: & menſus eſt à porta usque ad portam in via Auſtrali, centum cubitos.

Vid. verſ. 19.

Ezech. Cap. XL. verſ. 28.

Porrò duxit me ad interius atrium in Portam Auſtralem, & menſus eſt Portam Auſtralem dimenſionibus iisdem.

Et introduxit me in atrium interius ad portam Auſtralem: & menſus eſt portam juxta menſuras ſuperiores.

Vidi-

VIdimus haſtenus tres portas exteriores, Orientalem, Septentrionalem & Meridionalem. His διαμέσην reſpondebant tres interiores ad easdem plagas: quæ omnes ducebant ad Atrium Sacerdotum. Verſus Occaſum Sanctiſſimum à muro non diſtabat ultra 20. cubitos, unde heic portæ non fuit locus. Admittit equidem *Villalpandus* p. 218. 222. in Ichnographia Templi generali in Occidentali muro binas portas, quæ tamen haud conſiderari debent ut primariæ; ſecundarias dixeris, & veluti laterales, quæ haud rectà ducere poterant ad Sacerdotum Atrium, & duplici cuſtodiâ probè fuerunt munitæ. Admittit is aperturas hasce, ut locum daret 1. Paral. XXVI. 14-18. *Cecidit ſors ab Oriente ſuper Selemiam & Sachariam — exiuitque ſors ejus ad Septentrionem. Pro Obed-Edom verò ad Meridiem, & pro filiis ejus domus Aſuppim. Pro Suppim & Hoſa ad Occidentem, cum porta, quæ vergit ad ſemitam ſuperiorem, cuſtodia è regione cuſtodiæ. — Pro Pharbar ad Occidentem. (Cecidit Sors Orientalis Selemiæ: porro Zachariæ filio ejus, — ſortitò obtigit plaga Septentrionalis. Obed-Edom vero & filius ejus, ad Auſtrum: in qua parte domus, erat ſeniorum concilium. Sephim & Hoſa ad Occidentem, juxta portam, quæ ducit ad viam aſcenſionis: cuſtodia contra cuſtodiam. — In cellulis quoque janitorum ad Occidentem.)* Exhibent has portas quoque Judæorum Ichnographiæ & Scenographiæ. Vid. TAB. CCCCXXXI. CCCCXXXII. Eſt *atrium interius*, αὐλὴ ἡ ἐσωτέρα A S. TAB. CCCCXXXIII. *Atrium Sacerdotum*, eleuatius atrio exteriore Iſraelis, circumcirca ædificiis clauſum. De hoc mox plura.

Ezech. Cap. XL. verſ. 29.

Atriola etiam illius, & paraſtades illius, & veſtibulum ejus dimenſionibus iisdem. Habuit quoque ipſum & veſtibulum ejus feneſtras circumquaque. Longitudo (veſtibuli) cubiti quinquaginta, & latitudo quinque & viginti cubiti.

Thalamum ejus, & frontem ejus, & veſtibulum ejus iisdem menſuris: & feneſtras ejus, & veſtibulum ejus in circuitu quinquaginta cubitos longitudinis, & latitudinis viginti quinque cubitos.

EX portis exterioribus dimenſus eſt Angelus primò Orientalem, poſt Septentrionalem, tandem Meridionalem, nunc, interiorum portarum ſtructuras deſcripturus, ordine veluti retrogrado metitur primo Meridionalem, poſt Orientalem, tandem Aquilonarem. Ad has portas limites ſunt officii ſacri. Ezech. XLIV. 17. *Quum ingredientur* Sacerdotes & Leuitæ *portas interioris atrii, veſtes lineas induent, nec lanea veſtis teget eos, dum intra portas interioris atrii & interius miniſtrant. (Cumque ingredientur portas atrii interioris, veſtibus lineis induentur: nec aſcendet ſuper eos quicquam laneum, quando miniſtrant in portis atrii interioris & intrinſecus.)* Et notari meretur, quod latitudini portarum 25. & longitudini 50. cubitorum præcisè reſpondeat ætas Miniſtrorum DEI, qui admiſſibiles haud erant ante annum ætatis 25. & ultra 50.mum obligari non poterant. Num. VIII. 24. 25. *Hoc quoque ad Leuitas pertinet, ab eo, qui natus eſt viginti quinque annos, & ſupra, ingredietur quisque, ut exercendo ſe exerceat in miniſterio tentorii conſtitutionis: quum verò quinquaginta fuerit annorum, reuertatur ab exercitio miniſterii, neque ultra ſeruiat. (Hæc eſt lex Leuitarum, à viginti quinque annis, & ſupra, ingredientur, ut adminiſtrent tabernaculo fœderis. Cumque quinquageſimum annum ætatis impleuerint, ſeruire ceſſabunt.)*

Ezech. Cap. XL. verſ. 30.

Veſtibula quoque circunquaque longitudinem quinque & viginti cubitorum habuerunt, & latitudinem quinque cubitorum.

Et veſtibulum per gyrum longitudine viginti quinque cubitorum, & latitudine quinque cubitorum.

Ebr. vocem Elamoth Hier. vertit veſtibulum, quod repugnat omnibus deſcriptionibus: quum veſtibula indicentur longa 50. cubitos & lata 25. cubitos. Itaque rectius intelliguntur porticus.

VIdere licet hocce veſtibulum in Ichnographia Templi TAB. CCCCXXIII. V. VI. ad introitum portæ interioris meridionalis, longum 25. cubitos, latum 5. cubitos, nempe inde à pariete muri extrorſum verſus atrium exterius.

Ezech. Cap. XL. verſ. 31.

Fuitque veſtibulum ejus (verſum) ad exterius atrium, & palmæ in frontibus ejus, octoque graduum aſcenſus ejus.

Et veſtibulum ejus ad atrium exterius, & palmas ejus in fronte: & octo gradus erant, quibus aſcendebatur per eam.

MYſticæ & Propheticæ Theologiæ peritis lubens dijudicandum linquo, num ſeptem illi gradus, per quos ex Atrio Gentium adſcendebatur ad Iſraelis Atrium, reſpondeant totidem periodis temporis, Eccleſiis, ſigillis, tubis, pateris, tonitrubus, in Apocalypſi memoratis? & octo hi, de quibus nunc, gradus, viam parantes ex Atrio Iſraelis ad Atrium Sacerdotum, octo illis virtutum gradibus, quibus tendit Fidelis ad perfectionem? 2. Petr. I. 5. 6. 7. Ἐπιχορηγήσατε ἐν τῇ ΠΙΣΤΕΙ ὑμῶν τὴν ΑΡΕΤΗΝ, ἐν δὲ τῇ ἀρετῇ τὴν ΓΝΩΣΙΝ, ἐν δὲ τῇ γνώσει τὴν ΕΓΚΡΑΤΕΙΑΝ, ἐν δὲ τῇ ἐγκρατείᾳ τὴν ΥΠΟΜΟΝΗΝ, ἐν δὲ τῇ ὑπομονῇ τὴν ΕΥΣΕΒΕΙΑΝ, ἐν δὲ τῇ εὐσεβείᾳ τὴν ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑΝ, ἐν δὲ τῇ φιλαδελφίᾳ τὴν ΑΓΑΠΗΝ. Sic &, an & quomodo 8. & 7. vel 15. gradibus reſpondeant Cantica illa graduum 15. inde à Pſalmo CXX. decantandis ex quolibet gradu, inprimis poſt Captiuitatem Babylonicam? quod prætendunt recutiti Doctores.

Ezech. Cap. XL. verſ. 32.

Duxit me etiam ad atrium interius ab Orientali parte, & menſus eſt portam iisdem menſuris.

Et introduxit me in atrium interius per viam Orientalem: & menſus eſt portam ſecundum menſuras ſuperiores.

Vid. verſ. 28.

ESt quidem portarum eadem ubique menſura, quam & in myſtica Theologia deſiderat ἰσότιμος πίστις. *Populus tuus uniuerſus juſtus erit.* Jeſ. LX. 21. Diffuſus eſt tamen Propheta magis in deſcriptione Portæ Orientalis, & Septentrionalis. Ab Oriente diffundebant Apoſtoli Euangelicam doctrinam, quæ breui diffundebatur per totum Septentrionem.

Ezech. Cap. XL. verſ. 33.

Et ejus atriola, paraſtadesque, & veſtibulum ejus dimenſionibus iisdem: habuitque feneſtras & veſtibulum ejus quaquauerſum. Longitudo (veſtibuli) quinquaginta cubitorum, & latitudo viginti quinque.

Thalamum ejus, & frontem ejus, & veſtibulum ejus, ſicut ſupra: & feneſtras ejus, & veſtibula ejus in circuitu, longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine viginti quinque cubitorum.

Vid. verſ. 29.

Ezech. Cap. XL. verſ. 34.

Veſtibulum autem illius (conuerſum) ad exterius atrium, & palmæ in frontibus ejus utrinque, octoque graduum fuit aſcenſus ejus.

Et veſtibulum ejus, id eſt, atrii exterioris: & palmæ cælatæ in fronte ejus hinc & inde: & in octo gradibus aſcenſus ejus.

Vid. verſ. 31.

Ezech. Cap. XL. verſ. 35.

Præterea duxit me ad Portam Septentrionalem, & menſus eſt dimenſionibus illis.

Et introduxit me ad portam, quæ reſpiciebat ad Aquilonem, & menſus eſt ſecundum menſuras ſuperiores.

Vid. verſ. 28.

Ezech. Cap. XL. verſ. 36.

Ejus atriola, paraſtades & veſtibulum: habuitque feneſtras circumcirca, (veſtibulique) longitudo cubiti quinquaginta, & latitudo quinque & viginti.

Thalamum ejus, & frontem ejus, & veſtibulum ejus, & feneſtras ejus per circuitum, longitudine quinquaginta cubitorum, & latitudine viginti quinque cubitorum.

Vid. verſ. 29.

Ezech. Cap. XL. verſ. 37.

Ejusque frontes (fuerunt conuerſæ) ad exterius atrium, & palmæ in frontibus ejus utrinque, & graduum octo aſcenſus illius.

Vocem Elim, quam Hier. ferme interpretatur frontes, hic reddidit veſtibulum.

Et veſtibulum ejus reſpiciebat ad atrium exterius: & cælatura palmarum in fronte ejus hinc & inde: & in octo gradibus aſcenſus ejus.

Vid. verſ. 31.

Ezech. Cap. XL. verſ. 38.

Cæterum fuit cella, & ejus oſtium inter frontes portarum, ubi abluebant holocauſtum.

Et per ſingula gazophylacia oſtium in frontibus portarum: ibi lauabant holocauſtum.

VIſis hactenus portis, tum exterioribus, tum interioribus, &, quæ ad eas pertinent, ſtructuris, pergimus nunc ad alias Templi partes, harumque uſus. Primò quidem in conſpectum venit ad Portam Septentrionalem interiorem (TAB. CCCCXXIII.) inter veſtibuli columnas, ex utroque latere *menſa*, alia utrinque ad latus oſtii, ad ipſum introitum, item binæ aliæ ad latus ſcalæ utrinque. His octo menſis imponi debebant *holocauſta*, quibus aſſeruandis ſeruiebant cellæ ſubterraneæ, cujusmodi in tota Templi ſtructura fuerunt benè multæ, & ad ipſum fundamentum feneſtræ, ſiue aperturæ, per quas ad cellas illas lumini dabatur acceſſus. Sed heic aperturæ binæ proximæ, ad veſtibuli latera commutabantur in oſtium, per quod ſtatim deſcenſus patebat ad ταμεῖα illa ὑπόγαια, ubi holocauſta ſeruari debebant, vel & lauari.

Fuit quidem hocce Ezechielis Templum myſticum, deſcriptum tamen & præſentatum ſub forma ſtructuræ materialis, in qua patuit tranſitus ab atrio ad atrium, à porta ad aliam, à thalamo ad thalamum. Reſpondet heic ſitus cellæ holocauſtorum cultui ipſi Leuitico, in quo holocauſta *mactari* debebant *ad latus aquilonare ipſius aræ*, Leuit. I. 11. *venter* item & *crura aquâ lauari, (inteſtina verò & pedes lauari aqua.)* v. 13. cui fini in Solomoneo Templo ad portas interiores ſeptentrionalem & meridionalem *decem labra, quinque à dextra, & quinque à ſiniſtra,*

ſtra, ut lauarent & abluerent in eis opus holocauſti. 2. Paralip. IV. 6. 1. Reg. VII. 38. TAB. CCCCLV. Jano compares commodè Templum hocce Typicum, quod uno fronte reſpiciat ad cultum anteriorem veteris, & futurum ſpiritualem noui fœderis.

Ezech. Cap. XL. verſ. 39.

In veſtibulo autem iſtius portæ duæ utrinque fuerant menſæ, ut mactent in eis holocauſtum, & piaculum pro peccato & pro culpa.

Et in veſtibulo portæ, duæ menſæ hinc, & duæ menſæ inde: ut immoletur ſuper eas holocauſtum, & pro peccato, & pro delicto.

BInas has *menſas* collocat *Sturmius*, unam in veſtibulo inter duas columnas, alteram ante oſtium ad latus, in ſummo graduum. TAB. CCCCXXIII. *Villalpandus* in Ichnographia atrii interioris *(in Ezech.* p. 230.) binas collocat menſas ante duas primas columnas parietinas in atrio exteriori, & binas è regione in Atrio Sacerdotum, *ad frontes exteriores veſtibuli utriusque, interioris atque exterioris.* Et quidem vult is, caruiſſe has menſas pedibus, fuiſſe marmoreas, forma parallelepipedorum illorum, quæ in lanienis viſuntur. Variant heic Codices τῶν LXX. qui videantur. Confer v. 38.

Ezech. Cap. XL. verſ. 40.

Ad humerum quoque extra gradus, ad oſtium Portæ Septentrionalis duæ fuerunt menſæ, & ad humerum alterum veſtibuli portæ duæ menſæ.

Et ad latus exterius, quod aſcendit ad oſtium portæ, quæ pergit ad Aquilonem, duæ menſæ: & ad latus alterum ante veſtibulum portæ, duæ menſæ.

VIdeantur binæ hæ menſæ hinc & illinc ad imos gradus ſcalæ in Ichnographia Templi TAB. CCCCXXIII.

Ezech. Cap. XL. verſ. 41.

Quatuor (quidem) menſæ hinc, & quatuor menſæ illinc, ad humerum portæ, & (in ſumma) octo menſæ, in quibus mactent.

Quatuor menſæ hinc, & quatuor menſæ inde: per latera portæ octo menſæ erant, ſuper quas immolabant.

Vid. verſ. 38. & TAB. CCCCXXIII.

Ezech. Cap. XL. verſ. 42.

Porrò quatuor menſæ holocauſto (deſtinatæ) lapidibus quadris (conſtructæ fuerunt,) longitudine cubiti cum dimidio, latitudine cubiti cum dimidio, & altitudine cubiti cum dimidio. In eis reponebant inſtrumenta, quibus mactant holocauſtum & victimam.

Quatuor autem menſæ ad holocauſtum, de lapidibus quadris extructæ: longitudine cubiti unius & dimidii, & latitudine cubiti unius & dimidii, & altitudine cubiti unius: ſuper quas ponent vaſa, in quibus immolatur holocauſtum & victima.

De

EZECH. Cap. XL. v. 43.
Sacrificia ad clavos et in mensis.

Ezech. Cap. XL. v. 43.
Opfer an Hacken und auf Tischen.

G. Lichtensteger sculps.

DE menſarum holocauſtis deſtinatarum numero non una eſt omnibus mens. Occaſione v. 41. vidimus octo menſas in ſumma ad Portam Septentrionalem, quæ totidem numero intelligi debent de Porta Meridionali. Nunc iterata fit mentio quatuor menſarum, quæ tamen non addi debent illis octo, ut prodeant 12. Conjecturæ locus eſt, fuiſſe 4. ex illis octo deſtinatas inſtrumentis & vaſis mactationi neceſſariis, cultris, vaſis excipiendo ſanguini aptis. Circa magnitudinem haud conuenit Latina noſtra cum ſorore ſua germana. Habet illa $1\frac{1}{2}$. cubitos in longitudinem, latitudinem, altitudinem, proinde cubicam formam, quæ & *Vatablo* placet. Sed Vernacula & pleræque aliæ Verſiones $1\frac{1}{2}$. pro longitudine & latitudine, & 1. pro altitudine. LXX. $1\frac{1}{2}$. pro latitudine, $2\frac{1}{2}$. pro longitudine, 1. pro altitudine, πήχεως καὶ ἡμίσεως τὸ πλάτος, καὶ πήχεων δύο ἡμίσεως τὸ μῆκος, καὶ ἐπὶ πήχυν τὸ ὕψος. Reductione ad noſtrates menſuras ſuperſedeo.

TAB. DCXL.

Ezech. Cap. XL. verſ. 43.

Claui etiam palmares aptati fuerunt in ea domo per circuitum, & in menſis caro immolatitia (ponebatur.)

Et labia earum palmæ unius, reflexa intrinſecus per circuitum: ſuper menſas autem, carnes oblationis.

VAriant Interpretum Verſiones. Binæ noſtræ Tigurinæ שְׁפָתַיִם *ſchephathaim* reddunt *uncinos*, vel *clauos*, *Hacken*, eosque *palmares*. Conſentiunt nobiscum Rabbini, fuiſſe in laniena hac ſacra 8. columnas erectas, in quauis 3. uncos, quibus ſuſpenſa pecora commodè exenterari & excoriari poſſent. Sed Vulgata & Lutherus labium intelligunt ipſius menſæ palmam altum, *eine Quer-Hand hohe Leiſten*, quo menſæ fuerint in circuitu ornatæ & tectæ. LXX. Καὶ παλαιστὴν ἔξωσι γείσος λελαξευμένων ἔσωθεν κύκλῳ, καὶ ἐπὶ τὰς τραπέζας ἐπάνωθεν στέγας, τοῦ καλύπτεσθαι ἀπὸ τοῦ ὑετοῦ, καὶ ἀπὸ τῆς ἐκφασίας. Ubi pro γεῖσος, Giſo, Symmachus & Theodotion habent γείλος, *labium*, Aquila ἐπισάσεις, in ſecunda labia. Complutenſis & Regia, architectonico termino, κυμάτιον, *Cymatium*, idque non tam *Doricum*, quàm *Lesbium*, *ein Karnießlin*, *Kehl-Leiſten*, quod non, ut Hieronymus vult, ultra planam menſæ ſuperficiem ſurſum fuerit reflexum (unde *coronam* is vocat) ad impediendum ſanguinis è menſa defluxum, ſed, *Villalpando* judice *in Ezech.* p. 235. deorſum & intrò verſum, quod Fig. I. docet. Numerat is pro altitudine totius menſæ a b. comprehenſa Tabula ſuperiori ultra priſmatis latera projecta 6. palmos, pro altitudine usque ad Cymatium c d. 5. palmos, cubi latitudine & longitudine c g. & g h. 7. latitudine & longitudine Tabulæ, menſæ impoſitæ b f. f e. 9. ut ecphora pariter ac altitudo Cymatii i b. & k b. fuerit 1. palmi. Et vult is, mutuò petiiſſe *Vitruuium* ex hac menſa ſacra proportionem Cymatii, quod locat in antepagmentis oſtiorum. Ita enim is L. I. c. 6. *Cymatium faciendum eſt antepagmenti parte ſexta, projectura autem, quanta eſt ejus craſſitudo.* Et eſſe parem hanc Cymatii projecturam & altitudinem in cauſa, cur unius duntaxat menſuræ mentionem Propheta faciat, ubi de hoc Cymatio agit, ſed triplicem memoret menſæ dimenſionem, longitudinem, latitudinem, & altitudinem. Quod ſi lubeat reducere menſuras hasce ſacras ad uſuales noſtras, & palmo dare cum *Eiſenſchmidio* 397. partes Pariſinas, prodibunt

Pro altitudine parallelepipedi 5. palm.	1985.
Pro integra menſæ altitudine 6. p. -	2382.
Pro longitudine & latitudine parallelepipedi 7. palm. - -	2779.
Pro longitudine & latitudine Tabulæ menſæ ſuperimpoſitæ 9. palm. -	3379.
Pro Cymatii altitudine & Ecphora 1. palm. - - - -	397.

Hæ dimenſiones, quoniam paruæ nimis ſunt pro uſu ſacro, commodius ponemus pro palmo $\frac{1}{6}$. cubiti ſacri, qui conſtabat partibus 2449. ſiue $408\frac{1}{6}$. Ita prodibunt

Pro altitudine parallelepipedi - -	$2040\frac{5}{6}$.
Pro integra menſæ altitudine - -	2449.
Pro longitudine & latitudine parallelepipedi - - - -	$2857\frac{1}{6}$.
Pro longitudine & latitudine Tabulæ menſæ ſuperimpoſitæ - - -	$3673\frac{1}{2}$.
Pro Cymatii altitudine & Ecphora -	$408\frac{1}{6}$.

Adhuc propius fortean collimabimus ad ſcopum, ſi ex v. 42. pro altitudine parallelepipedi ponamus cubitum ſacrum ſiue 2449. eique addamus inſuper Tabulæ ſuperimpoſitæ Ecphoram $\frac{1}{6}$. cubiti ſiue $408\frac{1}{6}$. ſic prodibunt

Pro altitudine parallelepipedi 1. cub. 2449.
Pro tota altitudine menſæ 1. cub. & 1. palm. - - - 2857⅙.
Pro longitudine & latitudine parallelepipedi 1½. cub. - - - 3673.
Pro latitudine & longitudine Tabulæ menſæ ſuperinjectæ 1½. cub. & 2. palm. - - - - 4495⅓.
Pro Cymatii altitudine & Ecphora - 408⅙.

Sic obtinebimus longitudinem & latitudinem Tabulæ pedum Tigurinorum 3. & 4 r¾. digit. decimal. non magnam nimis pro menſa, ſuper qua mactari debebant vituli & oues, & locari inſtrumenta mactationi neceſſaria. De Cymatiis notandum porrò, ornare ea *Villalpandum* ſculpturis.

Addunt LXX. στέγας, tecta, quibus menſæ fuerint à pluuiis & ſole tecta, quæ commodè ſatis intelligi poſſent de aureis vel argenteis operculis ſiue tegumentis, quorum tamen nulla fit mentio in Textu originali.

Quamuis hæc de *Cymatiis* facta expoſitio Architecturæ ſit congrua, nec facile rejicienda; improbari tamen nequit Verſionum noſtrarum interpretatio, Verſione Chaldaica nixa, de *uncis* ſeu *uncinis*. Non poterant quippe tot numero ſacrificia præparari commodè, absque quod fuerint ſuſpenſa. Hujusmodi uncinorum meminit Moſes in tentorii deſcriptione Exod. XXXVIII. 28. *Mille ſeptingentos & ſeptuaginta quinque uncinos*, ווים, *fecit columnis. (De mille ſeptingentis, & ſeptuaginta quinque ſiclis fecit capita columnarum.)* Vauim, ob figuram literæ ו. Qui uncini commodè heic infigi potuere parieti, hujusue columnis.

Fig. II. exhibet columnas cum ſuis uncinis, prouti eas concipit R. *Juda Leo de Templo* L. II. c. 16.

Ezech. Cap. XL. verſ. 44.

In (a) atrio autem interiori exedræ cantorum fuerunt à portis interius reductæ, quarum una ad humerum Portæ Aquilonaris ſpectabat in Meridiem, (altera) ad humerum Portæ Orientalis ſpectabat in Septentrionem.

(a) Ebr. Et extra Portam interiorem cellæ Cantorum in atrio interiori.

Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ reſpicientis ad Aquilonem: & facies eorum contra viam Auſtralem, una ex latere portæ Orientalis, quæ reſpiciebat ad viam Aquilonis.

COllocat *Villalpandus in Ezech.* p. 238. Cantorum cellas in facie Orientali atrii interioris ſeu Sacerdotum, eum nempe in finem, ut modulaminum directio rectà tendat ad Occidentem, verſus Altare & Sanctuarium: quod videre licet in Ichnographia ſua ſecunda. *Leuitæ quoque & Cantores uniuerſi ſub Aſaph, Heman & Jeduthun, unà cum filiis eorum, & fratribus eorum, induti byſſo, in cymbalis, & nablis, & canoris pſallentes, ſtantes ad Orientem aræ, & juxta eos Sacerdotes centum & viginti canentes tubis. (Tam Leuitæ, quàm cantores, id eſt, & qui ſub Aſaph erant, & qui ſub Heman, & qui ſub Idithun, filii & fratres eorum veſtiti byſſinis, cymbalis, & pſalteriis, & citharis concrepabant, ſtantes ad Orientalem plagam altaris, & cum eis Sacerdotes centum viginti, canentes tubis.)* 2. Paral. V. 12. In noſtra verò, quæ *Sturmii* eſt, Ichnographia una harum cellarum ponitur ad læuam retrò Portam Septentrionalem ſiniſtram, feneſtris apertis verſus Meridiem, ſiue atrium interius B. in TAB. CCCCXXIII. altera C. reſpiciebat Septentrionem & atrium exterius, ubi mactari ſolebant ſacrificia.

Ezech. Cap. XL. verſ. 45.

Et dixit ad me: Exedra hæc, quæ reſpicit Meridiem, Sacerdotum eſt obeuntium domus miniſterium.

Et dixit ad me: Hoc eſt gazophylacium, quod reſpicit viam meridianam; ſacerdotum erit, qui excubant in cuſtodiis templi.

IN Villalpandina ſecunda Ichnographia ſunt Cuſtodiæ Templi iterum in facie Orientali atrii interioris, juxta cellas Cantorum, una in angulo Septentrionali, in Meridionali altera.

Hunc

Hunc ipſum ſitum obſeruare licet in Caſtris Iſraelitarum, quæ Typus fuiſſe videntur Templi tum Solomonei, tum Ezechielici. *Familiæ Kahathitarum caſtra figent ad latus tabernaculi meridionale — & illi cuſtodient arcam, menſam, candelabrum, aras & vaſa Sanctuarii. — Merarítæ caſtra ponent in latere Tabernaculi Septentrionali. — Porrò ante Tabernaculum ad plagam Orientalem ante tentorium conſtitutionis caſtra ponent Moſes & Aharon, atque filii ejus, obſeruantes cuſtodiam Sanctuarii, & cuſtodiam filiorum Iſrael. (Familiæ Caathitarum caſtrametabuntur ad meridianam plagam — & cuſtodient arcam, menſamque & candelabrum, altaria & vaſa Sanctuarii. — de Merari in plaga ſeptentrionali caſtrametabuntur. — Caſtrametabuntur ante Tabernaculum fœderis, id eſt, ad Orientalem plagam, Moyſes & Aaron cum filiis ſuis, habentes cuſtodiam Sanctuarii in medio filiorum Iſrael.)* Num. III. 29 - 38. Nos cellam hanc Sacerdotum locamus commodè in Λ. TAB. CCCCXXIII.

Ezech. Cap. XL. verſ. 46.

Exedra verò, quæ reſpicit Aquilonem, Sacerdotum eſt obeuntium miniſterium Altaris. Ii ſunt filii Zadok, qui ex ordine Leuitarum accedunt DOMINUM, ut ei miniſtrent.

Porro gazophylacium, quod reſpicit ad viam Aquilonis, Sacerdotum erit, qui excubant ad miniſterium altaris. Iſti ſunt filii Sadoc, qui accedunt de filiis Leui ad DOMINUM, ut miniſtrent ei.

SItum hujus ἐξέδρας colligere licet ex v. 45. officium hujus cuſtodiæ ſacræ extat Leuit. VI. 12. 13. *Ignis in ara incenſus maneat, nec unquam extinguatur, quin Sacerdos per ſingulos dies manè ligna in ara incendat, & aptet ſuper eam holocauſtum, adoleatque ſuper eam adipes ſacrificiorum pacificorum. Ignis ſemper accenſus ſit in ara, nec unquam extinguatur. (Ignis in altari ſemper ardebit: quem nutriet ſacerdos, ſubjiciens ligna manè per ſingulos dies, & impoſito holocauſto, deſuper adolebit adipes pacificorum. Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.)* Ignem ſacrum cuſtodiebant quoque Gentiles. *Virgil. Æneid.* IV.

— vigilemque ſacrauerat ignem,
Excubias Diuum æternas —

Notumque eſt ex Hiſtoria Romana Virginum Veſtalium votum tum caſtitatis, tum cuſtodiæ æterni ignis. Cellam hanc locamus in Π. TAB. CCCCXXIII.

Ezech. Cap. XL. verſ. 47.

Eſtque menſus ipſum atrium longitudinis cubitorum centum, & latitudinis cubitorum centum, ut eſſet quadratum, & Altare (poſitum erat) ante Domum DEI.

Et menſus eſt atrium longitudine centum cubitorum, & latitudine centum cubitorum per quadratum, & altare ante faciem templi.

INtrat Propheta, Angelo duce, atrium interius, tribus interioribus portis clauſum, quod area fuit quadrata ſubdialis 100. cubitos longa, 100. lata. Cingunt *atrium* hoc *interius* ſeu *Sacerdotum* (Ä S. TAB. CCCCXXIII.) ex tribus plagis, Orientali, Septentrionali & Meridionali, ſplendida ædificia, ſed verſus Occaſum fuit apertum ita, ut ex atrio hoc Sacerdotum proſpectus patuerit liber ad Altare & Mare æneum, quem innuunt verba, & *Altare ante domum* DEI, καὶ τὸ θυσιαστήριον ἀπέναντι τοῦ οἴκου. Fuit tamen inter atrium illud & aream hanc Domus DEI ſanctiorem interſepimentum. Sed in *Villalpandina* Ichnographia ſtat Altare magnum æneum in medio hujus ipſius atrii Sacerdotum, quod proin cuilibet portas interiores tranſeunti incurrit in viſum. Imò poterant Altare hoc videre ipſi Gentiles ex Atrio Gentium. Interſepimentum oſtendit Δ Δ.

Ezech. Cap. XL. verſ. 48.

Duxit me quoque ad veſtibulum Domus, & menſus eſt paraſtadem veſtibuli (craſſitudine) quinque cubitorum utrinque, & latitudinem (humeri) portæ trium cubitorum ab utroque latere.

Et introduxit me in veſtibulum templi: & menſus eſt veſtibulum quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde: & latitudinem portæ trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde.

AD Sanctuarium, Sanctum nempe & Sanctiſſimum, accedimus nunc propius. Fuit, quod modò vidimus, Sacerdotum Atrium A S. TAB. CCCCXXIII. interſepimento diſtinctum ab alia area, in qua juxta *Sturmium* noſtrum fuit Altare magnum, & Mare Æneum. *Villalpandus* ex hac area facit Oratorium, in quo Sacerdotes, calamitoſis inprimis temporibus, unitas ad DEUM fuderint preces. Huc facit Joel II. 17. *Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes, miniſtri* DOMINI. De turpi Sancti hujus Chori profanatione legatur Ezech. VIII. 16. *Introduxit me in Atrium Domus* DOMINI *interius, & ecce, juxta oſtium Templi* DOMINI *inter veſtibulum & inter altare erant ferme viginti quinque viri, quorum dorſa verſa erant ad Templum* DOMINI, *facies verò eorum ad Orientem, & hi adorabant ad Ortum Solis.* Ex hac area, quam ſeparatam ſiſtit TAB. CCCCLIV. aſcendebatur per ſcalam אל אלם *el ylam*, Ἀιλ τȣ̃ Ἀιλὰμ, *ad veſtibulum domus*, quod area fuit ſubdialis ante ingreſſum Sancti, in eodem cum Sancto & Sanctiſſimo Horizonte.

Veſtibuli, de quo nunc, (TAB. CCCCXXIII. w.) menſura in Textu expreſſa non uno modo ab Architectis, qui optimi ſunt heic Commentatores, accipitur. *Villalpandus in Ezech.* p. 243. 5. cubitos ſumit pro craſſitie muri introrſum. Ita rem concepiſſe videntur noſtræ quoque Verſiones, quæ habent *paraſtadem veſtibuli craſſitudine quinque cubitorum utrinque, die Neben-Wände an der Thür des Vorſchopfs, die waren zu beyden Seiten*, namlich der mittnächtigen und mittägigen, *fünff Ellen lang.* Tres verò cubitos menſurat ille ab exteriori angulo portæ dextrorſum ac ſiniſtrorſum, ſiue Aquilonem & Auſtrum verſus, usque ad columnam parietinam, & ita quoque ab interiori angulo (ubi terminantur 5. illi cubiti) ad lineam, juxta quam parietes Sanctuarii ſunt ducti: eſſet hæc *latitudo* ſeu *humerus portæ*, cui ſtructura portæ ipſius innititur, Græcis ἡ ἐπωμὶς τῆς θύρας τȣ̃ Ἀιλὰμ πηχῶν τριῶν ἔνθεν, καὶ πηχῶν τριῶν ἔνθεν, nobis, *die Dicke des Thors drey Ellen zu beyden Seiten.* Exprimunt inſuper LXX. τὸ εὖρος τȣ̃ θυρώματος πηχῶν δεκατεσσάρων, *latitudinem aperturæ ſeu oſtii 14. cubitorum*, quam & aſſumit *Villalpandus.*

Sturmius in *Sciagr. Templi* p. 90. 91. (TAB. CCCCXXIII.) collocat ad *veſtibuli* initium duas columnas liberas, TAB. CCCCLIV. A. B. quales fuere in Templo Solomoneo celebratiſſimæ illæ *Jachin* & *Boaz*, & metitur à pariete oſtii ad finem cujusque columnæ 5. cubitos, quod ſi pro columnarum diametro ſumſeris 2. cubitos, prodire videbis ſponte 3. cubitos inde à pariete ad columnarum initium: 14. item cubitos τῶν LXX. pro latitudine oſtii, incluſis columnis, & totam oſtii aperturam à pariete, vel poſte, ad oppoſitum 20. cubitorum, qualis exprimitur v. 49. Inſpice *veſtigium primum Sanctuarii* apud *Villalpandum*, & noſtram Ichnographiam TAB. CCCCXXIII. collatam cum TAB. CCCCLIV. inprimis verò cum TAB. CCCCXXIX. cujus explicatio legenda eſt.

Ezech. Cap. XL. verſ. 49.

Longitudo veſtibuli cubitorum viginti quinque fuit, & latitudo cubitorum undecim, & per gradus aliquot aſcendebant ad illud, erantque columnæ ſingulæ ad paraſtades in utroque latere.

Longitudinem autem veſtibuli viginti cubitorum, & latitudinem undecim cubitorum, & octo gradibus aſcendebatur ad eam. Et columnæ erant in frontibus: una hinc, & altera inde.

MEnſurat *Villalpandus in Ezech.* p. 246. longitudinem, potius latitudinem, *veſtibuli* internè à pariete ad oppoſitum, & longitudinem 10½. vel 11. cubitorum ab angulo interiori exterioris

terioris muri ad angulum internum extra ingreſſum in Sanctum, ubi ſtabant columnæ Jachin & Boaz. Vide *veſtigium primum Sanctuarii*, TAB. CCCCXXIX. Parallela loca ſunt 1. Reg. VI. 3. *Porticus erat ante ſtructuram ædis, cujus longitudo viginti cubitorum erat ſecundum latitudinem ædis, latitudo autem ejus decem fuit cubitorum ante ædem. (Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, juxta menſuram latitudinis templi: & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.)* 2. Paralip. III. 4. ubi loco longitudinis exprimitur altitudo. *Porticus, quæ erat ante faciem longitudinis ſecundum latitudinem ædis viginti erat cubitorum, altitudo ejus centum & viginti. (Porticus ante frontem, quæ tendebatur in longum juxta menſuram latitudinis domus, cubitorum viginti: porrò altitudo centum viginti cubitorum erat.)* Longitudo, nempe ab Ortu ad Occaſum, non eodem modo exprimitur. 1. Reg. VI. 3. legas 10. cubitos, quæ 2. Paral. III. 4. ſilentio premitur. Heic, apud Ezechielem, numerantur 11. cubiti. Habent LXX. in Codice Complutenſi, Regio, & Sixtiano 12. Conciliat hosce 10. 11. 12. cubitos ſequenti modo *Villalpandus*. *Murus exterior vel poſtes veſtibuli, quos 5. cubitis menſus fuerat Angelus, à muro Templi binos diſtat calamos, diſtantia, quam illis præſtant radices, quas dixi, lineæ: easque ſignificare voluerunt LXX. duodenos cubitos pro binis calamis, Hiſtoricorum more ſcribentes: projiciuntur autem extra has lineas antæ angulares binis cubitis, ſingulæ ſingulis. Supereſt igitur inter antas latitudo ab Oriente in Occidentem cubitorum 10½. hunc verò numerum, qui integro conſtat numero, & parte, cum partium raro ſoleant mentionem facere Hiſtoriæ, liberum fuit, vel à minori numerare, ut fecit Hiſtoricus, 10. ſcribendo, vel à majori, ut fecit Propheta, 11. referendo, quoniam æquè diſtat ab utroque.*

Breuiorem init viam *Sturmius Sciagr. Templi* p. 90. 91. (TAB. CCCCXXIII.) Numerat is 12. cubitos à centro columnæ ad centrum alterius columnæ, per conſequens pro intercolumnio 10. Porrò 10. cubitos pro longitudine veſtibuli ab Ortu ad Occaſum, vel 11. ſi incluſeris poſtes Templi, vel columnarum imas baſes extantes extra Templi muros, quæ etiam ad ſcalas referri poſſunt. Sic conciliat loca ἐναντιοφανέα.

Circa *ſcalas*, quæ ad veſtibulum, & Sanctuarium ipſum ducebant, harumque *gradus* diſſentiunt Interpretes, ipſæque Verſiones. Symmachus & Vulgata numerant 8. LXX. 10. Theodotion & Aquila in ſecunda Editione 11. Sed prior numerum graduum haud exprimit, ut nec Tigurina noſtra. *Villalpandus* in fauorem Vulgatæ ponit 8. gradus ad introitum usque veſtibuli, & ne attendiſſe videatur ad LXX. binos alios ad initium muri, proin in uniuerſum 10. Numerandi forent ita inde ab Atrio Gentium ad Sanctuarium usque gradus 25. 7. nempe in qualibet porta exteriori, 8. in qualibet interiori, 10. tandem ad veſtibulum Templi. Apud Judæos Doctores, etiam apud Joſephum, obſcura ſunt omnia, inter alia id ἀπροσδιόνυσον, quod 14. gradus 15. cubitorum habuerint altitudinem, quæ unicuique gradui dat 1¼. cubit. Villalpandinos gradus videſis TAB. CCCCXXIX.

Columnæ, σύλοι, quarum heic fit mentio, non ſunt dimidiatæ, parietinæ, ſed integræ, liberæ, diſtinguendæ proin ab omnibus reliquis totius Templi, unde per præcellentiam vocantur עַמֻּדִים אֶל־הָאוּלָם, σύλοι ἐπὶ τὸ Αιλαμ, *columnæ ad paraſtades, columnæ in frontibus, Säulen an den Neben-Wänden*, comparandæ cum columna illa nubis & ignis Exod. XIII. 21. *Præcedebat eos DOMINUS interdiu per columnam nubis,* בְּעַמּוּד, *ut deduceret eos per viam, noctu verò per columnam ignis,* בְּעַמּוּד, nec non cum celebratis illis binis Templi Solomonei, Jachin & Boaz, de quibus 1. Reg. VII. 21. 2. Par. III. 15. 17. *Erexit columnas in proſpectu Templi, unam à dextra, alteram à ſiniſtra, vocans nomen dexteræ Jachin, ſiniſtræ Boas. (Statuit duas columnas in porticu Templi: cumque ſtatuiſſet columnam dexteram, vocauit eam nomine Jachin: ſimiliter erexit columnam ſecundam, & vocauit nomen ejus Boaz.)* *Sturmio* verò ſunt σύλοι hæ poſtes projectæ ad firmandos gradus ſcalæ.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 1.

Introduxit me quoque ad Aulam, & menſus eſt paraſtades utrinque ſex cubitorum craſſitudine, quæ quidem craſſitudo eſt (a) Tabernaculi.

Et introduxit me in templum, & menſus eſt frontes, ſex cubitos latitudinis hinc, & ſex cubitos latitudinis inde, latitudinem Tabernaculi.

(a) Parietibus craſſis cubita ſex continetur Templum.

HOc, quod nunc explicandum ſumimus, capite progreditur Angelus, comite Propheta, ad Templum κατ' ἐξοχήν ſeu propriè ita dictum. Quærit *Villalpandus in Ezech.* p. 225. cubitos illos 6. quorum mentio fit in Textu, in ſpiſſitudine muri juxta introitum ex veſtibulo

in Sanctum, uti videre licet in TAB. CCCCXXIX. ubi omnis Templi murus q. craſſitudinem habet 6. cubitorum. Sed *Sturmio Sciagr. Templ.* p. 91. denotant hi 6. cubiti intercolumnia ſiue diſtantias pilarum ſeu columnarum parietinarum ab inuicem, centrotenus nempe.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 2.

Oſtii verò latitudo cubitorum decem, & oſtii humeri cubitos quinque, (dati) ab utraque parte, menſusque eſt longitudinem cubitorum quadraginta, & latitudinem cubitorum viginti.

Et latitudo portæ decem cubitorum erat: & latera portæ quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde: & menſus eſt longitudinem ejus quadraginta cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum.

CAret hic locus omni difficultate. Apertura oſtii ad Sanctum (h h. TAB. CCCCXXIX.) lata fuit 10. cubitos, nempe à poſte Septentrionali ad Meridionalem; latitudo parietis interni & externi inde à poſte ad angulum Sancti 5. cubitos (5 α. TAB. CCCCXXIII.) utriusque proin 10. cubitos: ſic prodit ſponte latitudo Sancti α β. vel δ γ. 20. cubitorum, quæ dimidia pars eſt longitudinis, utpote quæ 40. eſt cubitorum α δ. Ita quoque in Templo Solomoneo 1. Reg. VI. 2. *Ædes, quam ædificauit Rex Solomon* DOMINO, (Sanctum nempe unà cum Sancto Sanctorum) *habuit ſexaginta cubitos longitudine, viginti latitudine ſua.* Et v. 17. *Ædes ipſa habuit quadraginta cubitos, nempe ipſum Sanctum per ſe. (Porro quadraginta cubitorum erat ipſum templum pro foribus Oraculi.*

Siſte gradum viator, & admirare elegantem proportionem Oſtii ad parietes laterales, & longitudinis Sancti ad latitudinem ejus, utrobique ut 2. ad 1. Et ex Architecturæ fundamentis infer, ſi lubet, porrò, fuiſſe altitudinem oſtii, quæ non exprimitur, 20. altitudinem, ſeu parietem, Sancti 30. cubitorum, qualis ei aſſignatur 1. Reg. VI. 2. Quod ſi *Sturmio* largiaris fornicatam Sancti ſtructuram, pro tota media altitudine ad culmen usque fornicis ſtatuere poteris 40. cubitos. Obtinebis ita proportiones oſtii, ejusdem altitudinis, latitudinis Sancti: altitudinis parietis in Sancto; tandemque longitudinis Sancti & totius altitudinis Sancti ſequentibus expreſſas numeris 1. 2. 3. 4. Et erit fornix ſanè elegans hemicyclicus.

Parietes oſtii laterales vocantur צלעות *citphoth*, ἐπωμίδες, *latera*, *humeri*, comparati ſcilicet humeris in corpore humano.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 3.

Et progreſſus ad penitiorem locum Templi menſus eſt paraſtadem oſtii (craſſum) duo cubita, & oſtium (latum) ſex cubita, & latitudinem (humerorum) oſtii ſeptem cubita.

Et introgreſſus intrinſecus, menſus eſt in fronte portæ, duos cubitos: & portam, ſex cubitorum: & latitudinem portæ, ſeptem cubitorum.

EX hoc loco colligitur ſpiſſitudo muri inter Sanctum & Sanctiſſimum medii 2. cubitorum, minor quàm alibi, quod minus ferendum fuerit onus. Adnumerari autem debet paries hic intergerinus Sancto, quoniam tota Sancti & Sanctiſſimi longitudo fuit 60. & ſolius Sanctiſſimi 20. cubitorum. Cubiti 6. & 7. ad oſtium pertinentes dubio procul intelligi debent ita, quod apertura ipſa fuerit 6. ſed tota oſtii latitudo incluſis poſtibus & ornamentis 7. cubitorum, quæ ipſa ornamenta emphaticè vocant LXX. ἐπωμίδες.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 4.

Ejusque longitudinem menſus eſt viginti cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum ante aulam. Et dixit ad me: Hoc Sanctum Sanctorum eſt.

Et menſus eſt longitudinem ejus viginti cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum, ante faciem templi. Et dixit ad me: Hoc eſt Sanctum Sanctorum.

PEruenimus tandem ad intimum & ſacratiſſimum Templi, cujus longitudo & latitudo viginti cubitorum fuit, & dubio procul etiam altitudo. Easdem dimenſiones habet Sanctiſſimum in Templo Solomoneo 1. Reg. VI. 20. *Adytum per ſe habuit viginti cubitos longitudinis, viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis, quod obduxit auro optimo. (Oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis: & operuit illud atque veſtiuit auro puriſſimo.)* In plerosque τῶν LXX. Codices irrepſit mendum, utpote qui longitudinem faciunt 40. cubitorum, τὸ μῆκος πηχῶν τεσσαράκοντα, καὶ τὸ ἔυρος πηχῶν εἴκοσι. Animaduertimus ſupra occaſione totius longitudinis Sancti & Sanctiſſimi 60. cubitorum, parietem intergerinum 2. cubitorum adjudicandum eſſe Sancto, id quod ſtatui poteſt eò confidentius, ſi paries ille non fuit lapideus, ſed ligneus ex Judæorum mente. Sanctiſſimum hoc vide TAB. CCCCXXIII. u. CCCCXXIX. o. internam ſtructuram TAB. CCCCXXVII. CCCC XXVIII.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 5.

Parietem quoque domus eſt menſus (craſſum) cubita ſex, & latitudinem coſtæ quatuor cubitorum quaquauerſus circum domum.

Et menſus eſt parietem domus, ſex cubitorum: & latitudinem lateris, quatuor cubitorum undique per circuitum domus.

Kir, קִיר, τοῖχος, *paries* intelligitur totius interioris Templi, cujus longitudinem & altitudinem dimetiri haud fuit neceſſe, ut proin 6. hi cubiti in Textu memorati pertineant ad ſpiſſitudinem muri. TAB. CCCCXXIX. q.

Sequuntur צְלָעוֹת *tſelaoth*, πλευραὶ. Notat vox צֵלָע *tſela* propriè coſtam hominis vel animalis, ſed ſumitur quoque pro latere cujusuis rei. Ita Exod. XXVI. 26. *Facies vectes de lignis Sitim, quinque pro aſſeribus Tabernaculi in latere* (צֵלָע) *uno. (Facies & vectes de lignis Setim, quinque ad continendas tabulas in uno latere taternaculi.)* Et emphaticè alibi Trabes vocantur צְלָעוֹת, quoniam transuerſim jacent, & partes ædificii compingunt, ut coſtæ pectus. 1. Reg. VII. 3. *Contabulatum fecit cedrinum ſuperne ad illas Trabes,* צְלָעוֹת. *(Et tabulatis cedrinis veſtiuit totam cameram.)* Eundem obtinet ſignificatum Græca vox πλεῦρα, πλευρὰ, quæ & coſtam, & latus, & parietem nauis lateralem, & Trabes denotat. Intelligi proin & heic debet aliquid, quod coſtæ ad inſtar prominuit lateraliter, ad latera Templi. Ubi notandum, forti ſuſtentaculo opus habere ſtructuram, qualis fuit interius Templum, cujus turris alta fuit 120. cubitos, Templum ipſum 90. Sed neque τὸ πρέπον neque τὸ σύμμετρον cum aliis ſtructuræ partibus conceſſerat majorem muri quàm 6. cubitorum craſſitiem. Subuenire debebat Architectura *Anteridibus*, quæ coſtarum ad inſtar extra muros prominent, & reſpondere debent internis columnis parietinis. Latitudo harum Anteridum circumcirca ædem fuit, Angelo ejus menſore teſte, 4. cubitorum. Nondum ſufficiebant hæ. Extra hunc murum Anteridibus ſuis firmatum fuit alius murus, & externum atque internum inter fuere cellæ ſiue conclauia 5. cubitos lata TAB. CCCCXXIII. E. CCCCXXIX. r. quam menſuram habuerat quoque exterior murus TAB. CCCCXXIX. ſ. quod conſtat ex v. 9. Sic obtinuerat Architectus non ſolùm firmitatem ſtructuræ, ſed quoque commoditatem. Conclauia quippe hæc variis inſeruire poterant uſibus, & vapores ſurgentes exhalare facilius. Hinc eſt, quod *Vitruuius* muros hujusmodi duplices commendet inprimis in ſolo humido, L. VII. c. 4. *Sin autem aliquis paries perpetuos habuerit humores, paululum ab eo recedatur, & ſtruatur alter tenuis diſtans ab eo, quantum res patietur, & inter duos parietes canalis ducatur inferior, quam libramentum*

conclauis fuerit, habens nares ad locum patentem. Item cum in altitudinem perſtructus fuerit, relinquantur ſpiramenta: ſi enim non per nares humor, non in imo, & in ſummo habuerit exitus, non minus in noua ſtructura ſe diſſipabit. Externum proſpectum lateris ſeptentrionalis Templi & harum cellarum, nec non Anteridum exhibent TABB. CCCCXXV. CCCCXXVI.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 6.

(a) Fuerunt autem tres coſtæ, coſta ad coſtam aliam (continuata,) idque ter. Et ingrediebantur in parietem Domus coſtis quoquouerſus circumductum, ut eſſent præhenſæ, non tamen eſſent præhenſæ in parietibus domus ipſius.

(a) Ebr. & coſtæ, coſta ad coſtam, tres & tribus vicibus.

Latera autem, latus ad latus, bis triginta tria: & erant eminentia, quæ ingrederentur per parietem domus, in lateribus per circuitum, ut continerent, & non attingerent parietem templi.

CRucem figit hic locus *Villalpando in Ezech.* p. 274. concludit tandem, longâ torturâ prægreſſâ, Anterides è regione ſtantes projecturam habuiſſe 33. pedum. En igitur ejus Vulgatæ Paraphraſin! *Latera verò bina ſibi inuicem reſpondentia à pariete domus projiciuntur pedes tres & triginta, hoc eſt, cubitos duos & viginti. Singula projiciuntur cubitos undenos.* Qua ratione calculauerit hos 33. pedes, tantò minus neceſſe duco heic loci inſerere, quod ſenſus Textus facilior longè & naturalior huc redeat, intelligi debere cellas ſiue conclauia binis muris exterioribus Templi, & Anteridibus ipſis interjecta circumcirca Templum, eaque trium contignationum, 33. in ſingulis contignationibus, uti videre licet in Ichnographia Sturmiana TAB. CCCCXXIII. E. Hujusmodi conclauia placent quoque Rabbinis, licet circa illorum diſpoſitionem diſſentiant ab inuicem. Locat *Sturmius Sciagr. Templ.* p. 93. 95. ab Ortu ad Occaſum ex utroque latere Templi 14. proinde in totum 28. 5. denique ad latus Occidentale Templi à Meridie ad Septentrionem. *Villalpandus in Veſtigio ſuo primo Sanctuarii* TAB. CCCCXXIX. in uniuerſum habet 14. Orthographiam is exhibet in ſchemate VII. cui titulus: *Sectio murorum Teſtudinis atque Cœnaculi Aulæ Sanctæ, oſtendens faciem Sancti Sanctorum.*

Quæ ſequuntur proximè verba: *Ingrediebantur in parietem domus coſtis quoquouerſus circumductum, ut eſſent præhenſæ, non tamen eſſent præhenſæ in parietibus domus ipſius;* LXX. καὶ διάζωμα ἐν τῷ τοίχῳ τῆ οἴκε ἐν τοῖς πλευροῖς κύκλῳ τῆ ἔσω τοῖς ἐπιλαμβανομένοις ὁρᾶν, ὅπως τὸ παράπαν μὴ ἅπτωνται τῶν τοίχων τῆ οἴκε, conferenda veniunt cum 1. Reg. VI. 5. 6. *Extruxit deinde ad parietem ædis ambitus circunquaque cum parietibus ædis circunquaque tam ipſi Templo, quàm ipſi adyto, & fecit latera circunquaque. Ambitus infimus quinque fuit cubitorum latitudine ſua, medii latitudo ſex habuit cubitos, nam foris deſectiones ædi fecerat per ambitum, ne apprehenderent parietes ædis. (Et ædificauit ſuper parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi & oraculi, & fecit latera in circuitu. Tabulatum, quod ſubter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum ſex cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum ſeptem habens cubitos latitudinis. Trabes autem poſuit in domo per circuitum forinſecus, ut non hærerent muris templi.)* Spectant autem hæc omnia ad murorum retractiones, quæ ita commodè fuerant adaptatæ, ut Trabes non fuerint muris ipſis inſertæ, ſed ab una contignatione ad aliam retractio fuerit cubitalis, quapropter ſuperiora quæuis conclauia cubito fuere latiora inferioribus. TAB. CCCCXXXIII.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 7.

(a) Et quanto altiori loco erat coſta circundata, tanto erat ſpatioſior: nam domus domui fuit circumdata quoquouerſus magis magisque in altum tendendo. Eapro-

Et platea erat in rotundum, aſcendens ſurſum per cochleam, & in cœnaculum templi deferebat per gyrum: idcirco latius erat templum in ſuperioribus: & ſic de

pter

pter domus latitudo ſurſum (accedebat). Et ſic aliquis ab infimo tabulato aſcendebat ad ſupremum, & ad medium.

(a) Ebr. Et latior erit, & circumdabitur ſurſum ſurſum coſtis, quia circundatur domus ſurſum ſurſum per circuitum domui. Eam ob rem latitudo domui ſurſum, & ſic inferiori aſcendit ad ſupremum, & mediũ.

inferioribus aſcendebatur ad ſuperiora, & in medium.

INuenit heic Architectus varia ad rem ſuam facientia: tres contignationes, unam ſupra aliam: ampliora ſuperiora conclauia præ inferioribus: cochleam ſeu ſcalam cochlearum per ternas contignationes. Hujus quidem nulla fit mentio expreſſa in Textu, neceſſariò tamen ea poni debet & ſubintelligi, quia alia non datur ab inferiori contignatione ad ſuperiores aſcendendi via, quàm per ſcalas. Conferatur 1. Reg. VI. 8. *Oſtium lateris intermedii erat in dextro ædis latere, aſcendebaturque per cochleas ad intermedium, & ab intermedio in tabulata ſuperiora. (Oſtium lateris medii in pariete erat domus dextræ: & per cochleam aſcendebant in medium cœnaculum, & à medio in tertium.)* Nil dici poteſt clarius. Hujusmodi ſcalæ cochleares fuere binæ, una ad Septentrionem, ad Meridiem altera, collocatæ in medio muri, ubi eſt craſſiſſimus, ne quid pateretur detrimenti firmitas ædificii. Spatioſitas porrò major conclauium altiorum fundatur murorum retractione, explicata ad v. 6. Cochlearem ſcalam vide TAB. CCCCXXIV. Indigitatur ea ipſa in Ichnographia generali TAB. CCCCXXIII. & Templi ſpeciali TAB. CCCC XXIX. y.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 8.

(a) Et vidi altitudinem domus quoquouerſum, cæterum fundamenta coſtarum (b) totum calamum explerunt craſſitudine, nempe cubita ſex usque ad axillam.

(a) Id eſt: Supereminebit domus, ut cerni à quouis poſſet.

(b) Ebr. fundamenta coſtarum plenitudo calami.

LXX. Καὶ ἐν τῶν (c) γωνιῶν ἐπὶ τὰ τριῶροφα, καὶ τὸ ὕψος τῆ ὄικη ὕψος κύκλῳ διάστημα τῶν πλευρῶν ἴσον τῷ καλάμῳ πηχῶν ἓξ διαστήματα.

(c) Plerique ἐκ τῶν μέσων. Hier. Et de mediis ad triſtega i. e. tertia cœnacula, & Thrael videtur mihi obelo prænotandum. Ac paulò ante notauerat, pro Thrael, cujus nominis notionem ignoret, cæteros transtuliſſe, & vidi, quare in aliquo Codice poſt illa adjungitur, ex alia nimirum interpretatione, καὶ εἶδον κατὰ τὸν ὄικον ἐν ὕψει περὶ κύκλῳ πλευρῶν, *& vidi ſecundum domum in altitudine in circuitu laterum.* Schol. καὶ τὸ θραὶλ non ponitur apud Hebræos.

Et vidi in domo altitudinem per circuitum, fundata latera ad menſuram calami ſex cubitorum ſpatio.

EX hactenus dictis & ſequentibus proximè colligere facile eſt, non agi heic de altitudine totius ædis ſacræ, de qua locum hunc intelligere voluerunt *Iſidorus*, *Vatablus*, Rabbini multi, ipſa quoque Verſio vernacula noſtra, *ich ſahe auch, daß das Haus ringsweis herum ſehr hoch war.* Spectat altitudo, de qua heic, ad conclauia muris & anteridibus Templi interjecta, altitudo nempe 6. cubitorum: quæ ambiebat ædem סָבִיב סָבִיב *ſabbibh ſabbibh, undique undique, per circuitum quaquauerſum*, non ſolùm, quod ejusdem fuerint altitudinis conclauia ſingula, ſed tranſitus patuerit ab uno ad aliud per circuitum, & proſpectus à primo ad ultimum, in eadem nempe linea. Vocant altitudinem hanc LXX. διάστημα τῶν πλευρῶν, *diſtantiam laterum*, & appoſitè, ſiquidem intellexerint diſtantiam unius contignationis ab alia, & per πλευρὰς tabulata. Quodſi conferamus 1. Reg. VI. 10. *Ædificauit quoque ad totam illam ædem ambitus altitudinem quinque cubitorum, (& ædificauit tabulatum ſuper omnem domum quinque cubitis altitudinis,)* & hos 5. cubitos cum noſtris 6. patebit 6. hosce accipi debere de altitudine tota conclauis una cum tabulato cedrino, cui id incumbit, & præmemoratos 5. de caua altitudine cellæ, per conſequens tabulati craſſitudinem fuiſſe 1. cubiti. Inſpice TAB. CCCCXXIII. mutuò ſumtam ex *proſpectu cubiculorum, quæ Templi parietibus concludebantur & antis*, *Villalp. in Ezech.* p. 280. ubi quidem notandum, ipſum per מְלֹא הַקָּנֶה שֵׁשׁ אַמּוֹת אֲצִילֹת, *plenum calamum ſex cubitorum axillæ*, ſiue calamum ἐξαπήχυν, intelligere $6\frac{1}{4}$. cubitos, nos verò 6. plenos cubitos ſacros, quales ſupra exhibuimus.

Obducta fuere hæc *cœnacula auro*, 2. Paralip. III. 9. & deſtinata aſſeruandis pretioſiſſimis quibusque vaſis aureis & argenteis. Fuere proin *gazophylacia* dicata *pro theſauris domus DEI, & pro theſauris conſecratorum.* 1. Paralip. XXVIII. 12.

Attendenda tandem venit vox Hebraica אֲצִלָּהּ *atſilah*, *axilla; ad axillam usque* nos reddimus, *bis an die Achſel;* obſcurè ſatis. Intelligit Propheta altitudinem gazophylaciorum 6. cubitorum ad Trabes usque, vel projecturam illam, cui tanquam axillæ incubuere Trabes. Vid. Tab. cit.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 9.

Craſſitudo autem parietis, qui coſtas ambiuit exterius, fuit quinque cubitorum. (a) Et ſpatium relictum ex retractione parietum domus coſtis acceſſit.

(a) Ebr. Et quod relictum domus coſtarum, quod domui. Nam *minah* ſignificat id, quod relinquitur 3. Reg. VI. *Migrea* detractio vocatur. Hier. Orationem vertit.

Et latitudinem per parietem lateris forinſecus quinque cubitorum; & erat interior domus in lateribus domus.

SImpliciſſimus horum verborum ſenſus eſſe videtur, quod exterior Templi murus (TAB. CCCCXXIX. f.) craſſus fuerit 5. cubitos, & latitudo cellarum utrique muro interjectarum (Tab. cit. r.) totidem cubitorum. Vocantur hæ cellæ vel gazophylacia מוּנַח *munach*, *relictum*, *derelictum* domus, τὰ ἀπόλοιπα, locus nempe muris & anteridibus medius, veluti ſuperfluus, qui ſponte dedit gazophylacia illa.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 10.

Inter cellas verò & domum circunquaque latitudo viginti cubitorum interceſſit.

Et inter gazophylacia latitudinem viginti cubitorum in circuitu domus undique.

INtelligenda heic venit platea 20. cubitos lata, TAB. CCCCXXIII. F. inter præmemorata gazophylacia, quæ adnexa erant circuitui Templi, & ædificia è regione poſita, quæ 20. cubitorum latitudo ſeſe non ſolùm protendit (*Villalpandi* eſt hæc mens) verſus Septentrionem, Meridiem & Occaſum, ſed & verſus Ortum, uti videre eſt in ejus *Veſtigio Templi uniuerſali*, ſcilicet ita benè exprimi vult τὸ סָבִיב סָבִיב *circumcirca*. Sed *Sturmius* Tab. cit. metitur 20. hos cubitos ab interiori muro Templi extrorſum verſus Septentrionem, Meridiem & Occaſum, includens proin gazophylacia præmemorata, horum murum exteriorem, & inſuper amœnum porticum.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 11.

Præterea oſtium coſtarum fuit apud retractionem, oſtium unum verſus Aquilonem, & alterum oſtium à parte meridionali, & latitudo quidem apud locum retractionis fuit quinque cubitorum circumquaque.

Et oſtium lateris ad orationem: Oſtium unum ad viam Aquilonis, & oſtium unum ad viam Auſtralem: & latitudinem loci ad orationem quinque cubitorum in circuitu.

HAud unam admittit explicationem hic locus. *Villalpandus*, Vulgatæ velificaturus & nonnullis Codicibus Græcis, intelligit *locum orationis*, τόπον τῆς προσευχῆς, & oſtia ad illum, unum ad Septentrionale Templi latus, alterum ad Meridionale, oſtia item gazophylaciorum, & ab uno gazophylacio ad aliud. Juxta hanc ſententiam, qui per cochleam aſcendebat,

debat, ingreſſurus gazophylacia primæ contignationis, omnia ea pertranſire debuit circumcirca, antequam ad cochleam oppoſitam rediens aſcendere potuerit ad ſecundam contignationem. Sed *Sturmius* ſimpliciter intelligit bina oſtia ad ſcalam cochlearem, imo bina ad ſingulas ſcalas, Septentrionale unum, meridionale alterum, nempe ex veſtibulo Templi, & quod latitudo cochleæ ſiue diameter fuerit 5. cubitorum. Oſtia hæc & ſcala diſtinctè conſpiciuntur TAB. CCCCXXIII. juxta w.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 12.

(a) Latitudo quidem ædificii ante ſeparatam extructionem ad plagam Occidentis fuit cubitorum ſeptuaginta, & craſſitudo parietis ædificii circumcirca quinque cubitorum, ejusque longitudo nonaginta cubitorum.

(a) Ædificium dicit præcipuas partes domus, hoc eſt, aditum, aulam, veſtibulum cum ſuis parietibus & coſtis. Separatam extructionem *gizrah* dicit ædificia duo collocata in lateribus Templi ſeptentrionali & meridionali, ſeparata quidem per interpoſitam deambulationem 10. cubitorum latitudine.

Et ædificium, quod erat ſeparatum, verſumque ad viam reſpicientem ad mare, latitudinis ſeptuaginta cubitorum. Paries autem ædificii, quinque cubitorum latitudinis, per circuitum, & longitudo ejus, nonaginta cubitorum.

INuolutus eſt ſuis difficultatibus hic locus. *Villalpandus in Ezech.* 297. Oratorium intelligit, ſeu locum orationis, ubi Sacerdotes & Iſraelitæ preces fundere poterant. Eſt ipſi גְּזֵרָה *gizrah* præaltum ædificium, Jonathani בִּצּוּרְתָּא *bitſurtha*, *locus munitus*, & בִּנְיָן *binjan* ædificium humilius ad ſeptentrionale & meridionale latus Templi protractum verſus Occaſum, 70. cubitos longum. Hosce 70. cubitos menſurat ita.

Templi longitudo cubitorum - -	60.
Craſſitudo muri ad Occaſum - -	6.
Conclaue Occidentale muris & anteridibus interjectum 5. vel - -	4.
	70.

Confundit ita ſtructuram hanc cum præcedenti, & adeò eſt obſcurus, ut difficulter capi queat ejus explicatio, quæ hæc eſt: *Et hujusmodi orationis locus, qui à latere meridionali & aquilonari Templi extructus, latus erat, hoc eſt, extendebatur ab Oriente in Occidentem cubitos 70. Hujus verò loci exterior paries, qui domum undique cingebat, latus erat vel craſſus cubitos 5. altus verò cubitos 90.*

Sturmius verò *Sciagr. Templi* p. 97. 70. cubitos quærit in muro trans plateam Occidentalem Templi (TAB. CCCCXXIII. o p.) extructo, à Septentrione verſus Meridiem directo, & inuenit ita

In medio pro Templi latitudine - -	20.
Utrinque pro muri craſſitie 4. - - - -	8.
Pro porticu gazophylaciorum 20. -	40.
Pilæ parietinæ 4. - - - - -	8.
Earundem baſes 1. - - - - -	2.
Pro ſubſtructione 1. - - - -	2.
Porrò	80.
Pro muri craſſitie inter pilas - - -	2.
Pro pila exteriori - - - - -	1.
Pro ſubſtructione - - - - -	2.
In quolibet latere - - - - -	5.
In utroque - - - - -	10.
Subtractis his ab 80. reſtant - - -	70.

Cubitos tandem 90. quærit in altitudine, & non in longitudine ædificii.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 13.

Eſtque menſus domum ipſam longitudine centum cubitorum, ſeparatam quoque extructionem, & ſtructuram, atque parietes ejus longitudine centum cubitorum.

Et menſus eſt domus longitudinem, centum cubitorum: & quod ſeparatum erat ædificium, & parietes ejus, longitudinis centum cubitorum.

Villalpandus in Ezech. 299. iterum heic oculos conjicit ad Templum ipſum, inuenitque ab Ortu ad Occaſum, vel potius ab Occaſu ad Ortum 100. cubitos ſequenti modo.

Spiſſitudo extremi muri Occidentalis -	5.
Latitudo cellæ inter binos Templi muros	5.
Templi murus, qui calamus eſt - -	6¼.
Templi longitudo - - -	60.
Paries Orientalis Templi - -	6¼.
Veſtibulum cum ſuis pilis, 2. cal. -	12½.
Murus exterior veſtibuli - -	5.
	100.

Sturmius Sciagr. p. 97. etiam pro termino à quo agnoſcit murum ſuum 90. cubitos altum, à Templo diſtantem, & inde metitur ab Occaſu verſus Ortum, nempe in TAB. CCCCXXIII. ab 0. verſus q. quem murum comparare commodè poteris cum ambitu ſeu cinctura Monaſterii. Calculus eſto ſequens, ab Ortu ad Occaſum.

Latitudo veſtibuli - - -	10.
Paries Templi Orientalis - -	2.
Longitudo Templi - - -	60.
Murus Templi Occidentalis - - -	4.
Porticus gazophylaciorum - -	20.
Hujus paries - - - -	4.
	100.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 14.

Latitudinem etiam anterioris partis domus ipſius, & ſeparatæ extructionis ad Orientem cubitorum centum.

Latitudo autem ante faciem domus, & ejus, quod erat ſeparatum contra Orientem, centum cubitorum.

NIhil heic difficultatis. Eſt facies tota Orientalis Templi à Septentrione ad Meridiem cubitorum 100. (TAB. CCCCXXIII. r s.)

Ezech. Cap. XLI. verſ. 15.

Menſus eſt denique longitudinem ædificii ante ſeparatam extructionem in poſtico, & (a) hecthecarum ejus utrinque centum cubitorum, aulam quoque penitiorem & atrii veſtibula.

(a) Hecthecæ, ut Hier. habet Editio, vel potius athikim ædificia dicuntur, quorum parietes contrahuntur, ut in ſuperiori parte ſint arctiores, quàm ad fundamentum. Cujusmodi coſtæ Templi fuerunt, in quibus paries Templum verſus in imo tabulato fuit craſſus cubita ſex, in medio quinque, in ſupremo quatuor.

Et menſus eſt longitudinem ædificii, contra faciem ejus, quod erat ſeparatum ad dorſum, ethecas ex utraque parte centum cubitorum, & templum interius, & veſtibula atrii.

VIdetur deſcribi heic longitudo totius Templi, Sancti nempe & Sanctiſſimi, unà cum veſtibulo, ab Ortu ad Occaſum, 100. nempe cubitorum, quorum calculus ex ſupra dictis conſtat. Legitur in Textu vox אתיקיה *attikiba*, quam Latina noſtra reddit per *hecthecas*, Germanica *Pfeiler*, Lutherus *Ecke*. Intelligit *Villalpandus in Ezech.* p. 300. *Porticum* ad Templi latus ſeptentrionale & meridionale, quam dimenſus fuerat Angelus 100. cubitorum, de qua mox plura.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 16.

Poſtes & feneſtras clauſas, & hecthecas per triplicem eorum ordinem contra poſtem ligno cruſtatum ubique, & à ſolo usque ad feneſtras, quæ feneſtræ fuerunt contectæ.

Limina & feneſtras obliquas, & ethecas in circuitu per tres partes, contra uniuscujusque limen, ſtratumque ligno per gyrum in circuitu: terra autem usque ad feneſtras, & feneſtræ clauſæ.

Suffi-

SUfficiat heic explicatio *Villalpandi in Ezech.* p. 253. coll. cum p. 303. *Atrii porticus cedrinis contectæ deſuper laquearibus, quæ laquearia limina dicuntur, inferius cancellis claudebantur in rhomborum morem obliquis, non quadratis angulis perforatis: & atrii poſtes ſiue ethecæ, triplici ex latere cingentes Templum, poſtibus domus reſpondebant ex aduerſo, non quidem temerè, ſed ſinguli ſingulis poſtibus, ſingula limina vel tabulata ſingulis tabulatis. Poſtes verò domus vel paraſtades operiebantur tabulatis cubiculorum in circuitu trium laterum, Meridiani, Occidentalis & Aquilonaris. Hujusmodi autem tabulata paraſtades operiebant à terra usque ad feneſtras domus, hoc eſt, usque ad altitudinem 25. cubitorum. Vel, & ſolidus paries erigebatur usque ad feneſtras domus, quæ ſuper altitudine 25. cubitorum aperiebantur in pariete Meridiano & Aquilonari. Feneſtræ verò Templi, quæ ſuper hujusmodi pariete aperiebantur, ab eodem ita abſcondebantur, ut ex atriorum pauimento inferiori videri non poſſent.*

Ezech. Cap. XLI. verſ. 17 - 20.

17. Supra oſtium, & usque ad domum interiorem, & foris, poſtremo in omnibus ubique parietibus interius & exterius menſuræ (monſtratæ ſunt.)
18. Cæterum (a) fabrefacti fuerunt Cherubim & Palmæ, palmæque ſingulæ inter duos Cherubim, duæque facies ipſis Cherubim.
(a) Ebr. factum Cherubim & Palmæ.
19. Ut hinc facies hominis palmam, illinc forma Leonis juuenis palmam ſpectaret, opere ſic fabrefacto per totam ubique domum.
20. A ſolo ſupra oſtium Cherubim & Palmæ fabrefactæ fuerunt, etiam per Aulæ parietem.

17. Super oſtia, & usque ad domum interiorem, & forinſecus: per omnem parietem in circuitu intrinſecus & forinſecus ad menſuram.
18. Et fabrefacta Cherubim & palmæ: & palma inter Cherub & Cherub, duasque facies habebat Cherub.
19. Faciem hominis juxta palmam ex hac parte, & faciem leonis juxta palmam ex alia parte, expreſſam per omnem domum in circuitu.
20. De terra usque ad ſuperiora portæ, Cherubim & palmæ cælatæ erant in pariete Templi.

Vid. 1. Reg. Cap. VI. verſ. 23 - 28. TAB. CCCCXXXVII.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 21.

(a) Pagmentum Aulæ quadratum fuit, (b) & ſpecies ei, qualis Sanctuarii, ut alterum alteri omnino reſponderet.
(a) Vox Hebr. mezuza, quam Hier. per limen interpretatur, omnia oſtii latera ſignificat.
(b) Hebr. & facies Sanctuarii, aſpectus ſicut aſpectus.

Limen quadrangulum: & facies Sanctuarii, aſpectus contra aſpectum.

SIc & 1. Reg. VI. 33. *Sic quoque fecit ad Oſtium Baſilicæ, nempe poſtes de lignis pineis, ſed quadrangulos. (Fecitque in introitu templi poſtes de lignis oliuarum quadrangulatos.)* Hæc utrobique intelligit *Villalpandus* de oſtiorum antepagmentis in Sancto & Sanctiſſimo, quod lignea fuerint, & aureæ laminæ per clauos affigendæ iis potuerint adaptari, utrinque ¼. oſtii latitudinis, ſiue ex uno latere quouis ⅛. ſiue 1¼. cubiti, quandoquidem oſtii tota latitudo fuerit 10. cubitorum. Inprimis verò id indicare videtur Propheta, quod oſtia non fuerint ſupernè hemicyclica, ſed ubique quadrata, angulis rectis clauſa. 1. Reg. VII. 5. *Omnia foramina feneſtrarum poſtesque quadrata erant. (Et ſuper columnas quadrangulata ligna in cunctis æqualia.)* Quæ forma tum oſtiorum tum feneſtrarum ad hunc usque diem ſeruata fuit. *Philander Not. ad Vitruv.* L. IV. c. 6. *Oſtia antiqui nusquam niſi quadrangula fecere, ſicuti*

nec feneſtras. Poſteri verò arcuatis etiam uſi ſunt, poſtquam peſſum iuit architectonice : & neglectis probatiſſimorum operum exemplis Germanorum arbitratu cœptum eſt ædificari. Portas urbium fuiſſe arcuatas, quæ extant veterum monumenta fuerint argumento : priuatarum ædium arcuatum oſtium, aut etiam ſacrarum januam nusquam reperias. Requirit hanc ipſam formam quadratam ipſe decor & uſus; tantundem quippe luminis ædificio demitur, quantundem de quadrato abſtuleris, & arcui dederis. Id inficiandum non eſt, firmitati melius conſuli formâ arcuatâ, utpote quæ ſuperincumbens pondus facilius fert ſuperliminari horizontali. Sed & obtineri poteſt hæc ipſa firmitas fornice arcuato, ſi conſtruatur is in ipſo muro, quo ſic alleuietur onus, & preſſio in ſuperliminare auertatur. Ultima verba הַמְּרָאֶה כַּמַּרְאֶה *hammaræh cammaræh, aſpectus ſicut aſpectus*, nos quoque vertimus, ut habet Textus originalis, *die Geſtalt des Heiligthums war anzuſehen, wie ſie anzuſehen war.* Sed obſcurè ſatis. Senſus eſt, fuiſſe oſtium Sanctiſſimi ejusdem prorſus *aſpectus*, ordinis, formæ, ornatus, cum oſtio Sancti, id quod regulis quoque Architectonices congruit.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 22.

Altare ligneum tres cubitos altum, & duos cubitos longum fuit, habuitque angulos ſuos, & longitudinem ſuam, & parietes ſuos de ligno. Et dixit ad me : Hæc eſt menſa coram DOMINO.

Altaris lignei trium cubitorum altitudo : & longitudo ejus, duorum cubitorum : & anguli ejus, & longitudo ejus, & parietes ejus lignei. Et locutus eſt ad me : Hæc eſt menſa coram DOMINO.

INtelligitur heic *Altare incenſi*, quod in Sancto ſtabat ante oſtium Sanctiſſimi. Locus indicatur TAB. CCCCXXVII. g. CCCC XXIX. m. Ara ipſa exhibetur TABB. CCVII. CCVIII. CCIX. Ad Exod. XXX. 1. *Aram quoque facies ad incendendum ſuffimentum, de lignis Sitim facies eam. Lignea* hæc vocatur, licet laminis aureis tota fuerit obducta ; Fuitque haud dubiè craticula ex puro auro. Ita concipere licet, cur ara hæc ab igne non fuerit conſumta : Non fuit certè lignum naturâ ſuâ incombuſtibile, quod nonnulli veterum cum *Hieronymo* voluere, ſcilicet ex Paradiſo decerptum. Sic conciliatur quoque Textus noſter cum 1. Reg. VII. 48. ubi *Altare* hoc *aureum* cluet, & 1. Reg. VI. 20. *Adytum per ſe habuit viginti cubitos longitudinis, viginti cubitos latitudinis, & viginti cubitos altitudinis, quod obduxit auro optimo, & aram obduxit Cedro.* Fuit nempe Baſis Cedrina, ſed auro craſſo obducta. Fuit Altare hoc *tres cubitos altum, & duos cubitos longum*, ſed Moſaica incenſi ara *cubitum longa, cubitum lata, duos cubitos alta.* Exod. XXX. 2. Proportiones binorum horum Altarium ſi conferas inuicem, prodit laterum dupla, arearum quadrupla, corporum ſextupla. Quippe

Altaris { Moſaici / Ezechielici } Latus. 1. 2.
Area { Moſaici 1. / Ezechielici 4.
Soliditas { Moſaici 2. / Ezechielici 12.

Altitudo tricubitalis Altaris Ezechielici reducta ad noſtras menſuras dat (partibus 2449. Pariſinis ſumptis pro cubito ſacro) Pedes Pariſinos $5\frac{147}{1440}$. Tigurinos $5\frac{647}{1440}$. longitudo bicubitalis $3\frac{882}{1440}$. Pedes Pariſinos $3\frac{432}{1440}$. Tigurinos. מִקְצֹעֹתָיו *anguli ejus, die Ecke*, ſunt idem, quod קַרְנֹתָיו *cornua ejus.* Habent & LXX. Κέρατα. Formam horum cornuum vide Tabb. citt.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 23. 24.

23. Fuerunt autem Aulæ & Sanctuario geminæ fores.
24. (a) Iterumque geminæ fores ipſis foribus, nempe valuatæ fores in utraque ala forium.

(a) Hebr. Et duæ fores foribus, quæ replicabantur, duæ uni forium, & duæ fores alteri.

23. Et duo oſtia erant in templo, & in ſanctuario.
24. Et in duobus oſtiis ex utraque parte bina erant oſtiola, quæ in ſe inuicem plicabantur : bina enim oſtia erant ex utraque parte oſtiorum.

Exhibe-

EXhibetur forma harum forium biualuium TAB. CCCCXXXIX. Sed *Villalpandi in Ezech.* 366. mens ea eſt, circa hæc tum Sancti tum Sanctiſſimi oſtia, 10. cubitos lata, & 20. alta; conſtitiſſe quidem duabus valuis, ſed in ſingulis harum valuarum fuiſſe oſtiolum minus, per quod Sacerdotibus patuerit introitus, absque quod fuerit neceſſe loco mouere fores integras, ut hujusmodi oſtiolis paſſim inſtructæ ſunt urbium portæ. Ornata fuere hæc oſtia ſculpturis, quod conſtat ex verſiculo ſequenti.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 25.

Utque Cherubim & Palmæ fabrefacta fuerunt in parietibus, ita etiam fabrefacta fuerunt in foribus aulæ, & (a) trabes lignea ante veſtibulum extrinſecus.

(a) Significat peſſulo clauſum oſtium aulæ verſus veſtibulum appoſito.

Et cælata erant in ipſis oſtiis templi Cherubim, & ſculptura palmarum, ſicut in parietibus quoque expreſſa erant: quamobrem & groſſiora erant ligna in veſtibuli fronte forinſecus.

CHerubinorum & Palmarum ſculpturæ quoniam ubique exornabant parietes, poſtulauit ſymmetria ornamenta eadem in foribus. Inuenias alibi paſſim fores hujusmodi ſculpturis inſignitas. Hujusmodi fores debebant exornare Templum Mantuæ erigendum in memoriam partæ victoriæ, teſte *Virgilio:*

In foribus pugnam ex auro ſolidoque Elephanto
Gangaridum faciam, victorisque arma Quirini.
Atque hinc undantem bello, magnumque fluentem
Nilum, ac nauali ſurgentes ære columnas.

Trabem ligneam ante veſtibulum extrinſecus, ξύλα κατὰ πρόσωπον τῦ Αιλὰμ ἔξωθεν, quærere commodè licet in ipſis foribus, lignum nempe vel tignum transuerſim per oſtium δεκάπηχυ actum, quo compingerentur firmius prælta oſtia, ut ſolent urbium portæ, quod lignum foribus apertis projecturam habuit 5. cubitorum verſus veſtibulum. *Villalpandus in Ezech.* p. 368. non unam duntaxat habet Trabem, ſed plures, *& groſſiora erant ligna in veſtibuli fronte forinſecus*, Vulgata. Ita namque vult ille collocatas Trabes, quibus incumbebant contignationes ſeu tabulata ſuperiora, ut protenſæ fuerint ab Occaſu ad Ortum, prominulis verſus veſtibulum capitibus; his verò Trabibus incubuiſſe ligna alia transuerſim à Septentrione verſus Meridiem, & his demùm tabulata ipſa. TAB. CCCCXXXV.

Ezech. Cap. XLI. verſ. 26.

Præterea feneſtræ clauſæ & Palmæ utrinque fuerunt in humeris veſtibuli, & in coſtis domus & in Trabibus.

Super quæ feneſtræ obliquæ, & ſimilitudo palmarum hinc atque inde in humerulis veſtibuli: ſecundum latera domus latitudinemque parietum.

FEneſtræ fuere ubique, intromittendo lumini ad conclauia neceſſariæ, & *Palmæ*, harumque ſpathæ non ſolùm in omnibus columnarum capitulis, ſed & *in humeris veſtibuli*, atrii nempe intimi ante Sanctum, ut ornamento eſſent muris pilisque extantibus, ſic & *in coſtis domus*, ad feneſtrarum latera, *& in trabibus*, ſiue harum capitibus prominentibus, columnas tecturis. *Et feneſtræ cancellis occluſæ, quibus lumen cœnaculis Templi inducebatur, ſuper Zophoris conſpiciebantur. Et capitella ſculpta ad modum Palmarum erant in paraſtadis angularibus, ex utraque parte veſtibuli: capitella, inquam, illis capitellis ſimilia, paria, & æque librata, quæ domum uniuerſam cingebant, & omnes ejus undique parietes.* Villalp. in Ezech. 369.

Ezech. Cap. XLII. verſ. 1.

Et eduxit me ad exterius atrium verſus Aquilonem, & ducit me ad Exedram (poſitam) ex aduerſo extructionis ſeparatæ, & ex aduerſo ædificii ad Aquilonem.

Et eduxit me in atrium exterius per viam ducentem ad Aquilonem, & introduxit me in gazophylacium, quod erat contra ſeparatum ædificium, & contra ædem vergentem ad Aquilonem.

OStenderat hactenus Angelus Prophetæ Templi interiora, & ædificia ei adnexa, nunc progreditur per Portam Septentrionalem v. in Atrium exterius Septentrionale, & in eo ſiniſtrorſum ſiue ad Occaſum per ſcalam, & cœnaculum porticus, juxta *Sturmium Sciagr. Templ.* p. 80. vel ad porticum ipſam ſeptentrionalem, monſtratque ædificium, quod clarius deſcribendum venit in ſequentibus commatibus. Hac vice ſitus duntaxat exhibetur TAB. CCCCXXIII. s x y z. Facies nempe una fuit נֶגֶד הַגִּזְרָה *neged haggizrah*, ἐχόμενον τῆ ἀπολοίπε, *ex aduerſo extructionis ſeparatæ*, *coram ſeparato*, *gegen dem abgeſönderten Stück*, quod nempe fuit ad latus ſeptentrionale Templi interioris: ſecunda נֶגֶד הַבִּנְיָן אֲשֶׁר הַצָּפוֹן *neged habbinjan el hatſaphon*, ἐχόμενον τῆ διορίζοντος πρὸς βορρᾶν, *ex aduerſo ædificii ad Aquilonem*, *gegen dem Gebäu, ſo gegen Mitternacht ſtehet*: tertia ex v. 3. לְחֹצֶר הַפְּנִימִי *lechatſer haphnimi*, *ex aduerſo interioris atrii*, *gegen dem inneren Vorhof*: quarta denique נֶגֶד רִצְפַּת אֲשֶׁר לְחֹצֶר הַחִיצוֹנָה *neged ritſphah aſcher lechatſer hachitſonah*, *ex aduerſo pauimenti exterioris atrii*, *gegen dem Pflaſter, das im äuſſeren Vorhof war.*

Ezech. Cap. XLII. verſ. 2.

Ante longitudinem centum cubitorum (ad) Oſtium Aquilonare, & latitudinem quinquaginta cubitorum.

In facie longitudinis, centum cubitos oſtii Aquilonis: & latitudinis, quinquaginta cubitos.

MOnſtrabit explicationis loco aſpectus TAB. CCCCXXIII. longitudinem s x. 100. cubitorum, quorum 50. reſpiciebant Atrium interius, & 50. Atrium Sacerdotum, & latitudinem s z. vel x y. 50. cubitorum, ab Auſtro ad Boream.

Ezech. Cap. XLII. verſ. 3.

Ex aduerſo viginti (cubitorum) interioris atrii, & ex aduerſo pauimenti exterioris atrii, hectheca fuit ante hecthecam per tria tabulata.

Contrà viginti cubitos atrii interioris, & contrà pauimentum ſtratum lapide atrii exterioris, ubi erat porticus juncta porticui triplici.

PEndet dilucida Textus hujus, qui difficultate haud caret, explicatio ab idea clara & analyſi thalamorum ſeu conclauium hujus ædificii. Hujus murus exterior eſt 6. cubitorum, vel, inclusâ columna parietina ex parte ante & ex parte poſt, 1. utrobique, 8. erit proin uterque hic murus, anterior & poſterior 16. cubitorum. Subtrahe hos 16. à latitudine tota s z. vel x y. TAB. CCCCXXIII. 50. reſtabunt 34. ſubtrahe iterum binas medias columnas liberas, reſtabunt 30. qui 30. dabunt tres porticus, ſingulas 10. cubitorum in latitudine. (v. 4.) Conclauia quidem ipſa 12. cubitos habebant in latitudine, ſed in horum angulis pilæ quadratæ, ita ut ab angulo ad angulum etiam fuerint 10. cubiti. Ita intelligi debent verba אִתִּיק אֶל־פְּנֵי־אִתִּיק בַּשְּׁלִישִׁים *attik el pne attik baſchliſchim*. (LXX. ἐσοιχισμένα ἀντι-

ἀντιπρόσωποι ϛοαὶ τρισσαὶ. Scholion. ἔκθετον πρὸς πρόσωπον ἐκθέτε ἐν τρισσοῖς, *Solarium ad faciem Solarii in ternis.* Hier. ad finem Lib. 12. ἔκθετα autem Romæ appellant *Solaria de cœnaculorum parietibus eminentia ſiue Mæniana.)* Juxta Textum originalem *angulus ad facies anguli in tertiis*, Nobis, *hectheca fuit ante hecthecam per tria tabulata.* Si menſuraueris porrò integra conclauia unà cum muris, obtinebis

Pro pariete intermedio ſeu intergerino -	1.
Pro conclauibus ipſis - - -	12.
Pro muro exteriori - - -	6.
Pro columna parietina exteriori - -	1.
utrinque -	20.

Obtinebis ita 20. *cubitos ex aduerſo interioris atrii*, & alios 20. *cubitos ex aduerſo pauimenti exterioris atrii.* Hujusmodi conclauia fuere 4. ex quouis portarum interiorum latere, nempe in prima contignatione; fuere autem contignationes tres. Hæc inter conclauia fuit ſemper interuallum ſeu ambitus 10. cubitos latus. Conf. *Villalp. in Ezech.* p. 373. *Sturm. Sciagr. Templ.* 82. Inſpice iterum TAB. CCCCXXIII. & conclauia D. D. E. E.

Ezech. Cap. XLII. verſ. 4.

Porrò ante cellas deambulatio fuit latitudine verſus interiorem (domum) decem cubitorum, ambitus verò unius cubiti (latitudine,) & earum oſtia in Aquilonem.

Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis, ad interiora reſpiciens viæ cubiti unius, & oſtia eorum ad Aquilonem.

EX v. 3. conſtat cruciforme hoc vel intercuſſatum ambulacrum, περίπατος, inter conclauia δεκάπηχυς in latitudine, ante oſtia conclauium. *Ambitus unius cubiti*, quem omittunt nonnullæ Verſiones, intelligi debet de craſſitudine parietis ipſorum conclauium, qua ſeſe reſpiciunt inuicem: Sed *oſtia in Aquilonem*, τὰ θυρώματα αὐτῶν πρὸς βορρᾶν, de conclauibus illis, quæ reſpiciebant atrium interius; nam quæ reſpexerunt atrium exterius, oſtia habebant verſus Meridiem. Inſpice TAB. CCCCXXIII.

Ezech. Cap. XLII. verſ. 5.

Cellæque ſuperiores contractiores fuerunt, nam *(a)* hecthecæ *(b)* decerpſerunt infimis & mediis tabulatis ædificii.

(a) Deſcribit Athikim, hoc eſt, ædificia contractorum parietum, & quaſi mutilata, à diminuendo & decerpendo dicta, quæ Templo appenderunt ad Septentrionem & Meridiem, interpoſitis deambulationibus decem cubita latis.

(b) Hebr. comedent.

Ubi erant gazophylacia in ſuperioribus humiliora: quia ſupportabant porticus, quæ ex illis eminebant de inferioribus, & de mediis ædificii.

SUnt in omnibus ædificiis, propter murorum contractiones, conclauia ſuperiora inferioribus ampliora, hic proin verſiculus intelligi haud debet de amplitudine ſpatii, ſed de contractiori altitudine, quod ſuperiora conclauia ceſſerint altitudine inferioribus. Id vult quoque Hebræa vox קְצֻרוֹת *ketſaroth*, quam Latina noſtra commodè reddit, *contractiora*, ſed melius adhuc Vulgata, *humiliora*, minus rectè Vernacula noſtra *die engere.* Generalem hanc regulam, juxta quam ſuperiora conclauia, & ſic quoque columnæ, humiliora ſunt inferioribus, decor, firmitas, & ratio poſcunt, contrarium ſi fieret, grauarentur nimis tabulata inferiora. Monſtrat id & in arboribus natura, ramos ſuperiores attenuans magis, & in omni dimenſione contrahens. Rem eleganter explicat *Vitruuius* L. V. c. 1. *Columnæ ſuperiores quarta parte minores, quàm inferiores, ſunt conſtituendæ, propterea quod oneri ferendo, quæ ſunt inferiora, firmiora debent eſſe quàm ſuperiora. Non minus quod etiam naſcentium oportet imitari naturam, ut in arboribus teretibus, Abiete, Cupreſſu, Pinu, è quibus nulla non craſſior eſt ab radicibus, deinde creſcendo progreditur in altitudinem, naturali contractura*

peræquata naſcens ad cacumen. Ergo ſi natura naſcentium ita poſtulat, rectè eſt conſtitutum, & altitudinibus & craſſitudinibus ſuperiora inferioribus fieri minora.

Ezech. Cap. XLII. verſ. 6.

Fuerunt enim triſtega ſine columnis, quales atriorum columnæ ſunt, eapropter detractum eſt infimis & mediis tabulatis à ſolo.

Triſtega enim erant, & non habebant columnas, ſicut erant columnæ atriorum: propterea eminebant de inferioribus, & de mediis à terra cubitis quinquaginta.

VIdetur præcedens proximè comma reſpicere contractionem ſpiſſitudinis columnarum, & 6. hoc altitudinis. Eſt utraque regulis Architecturæ conformis. Fuerunt nempe tres in ædificiis contignationes, τριπλοὶ LXX. τριςέγα Symmacho, & ſecundæ contignationis columnæ tenuiores ſimul & humiliores columnis infimæ, ſed ſpiſſiores & altiores quàm tertiæ. *Supra pluteum columnæ quarta parte minores altitudine ſunt, quàm inferiores. Vitruv.* L. V. c. 7.

Ezech. Cap. XLII. verſ. 7.

Porrò ſeptum fuit extrinſecus juxta cellas apud exterius (atrium) poſitas ante cellas, longitudine quinquaginta cubitorum.

Et peribolus exterior, ſecundum gazophylacia, quæ erant in via atrii exterioris ante gazophylacia: longitudo ejus, quinquaginta cubitorum.

VIdetur fuiſſe *murus* hic, LXX. φῶς, *lumen*, Complut. φλιὰ, *limen*, Hieronymo *peribolus*, 50. cubitorum in confinio atrii exterioris, & protenſus à porta interiori verſus Occaſum ad angulum usque atrii, ab y. verſus z. TAB. CCCCXXIII. ubi litera M. eſt propinqua.

Ezech. Cap. XLII. verſ. 8.

Quia longitudo cellarum apud exterius atrium fuit cubitorum quinquaginta, eaque ratione *(a)* ante aulam centum cubiti.

(a) Hebr. & ecce, ante faciem aulæ.

Quia longitudo erat gazophylaciorum, atrii exterioris, quinquaginta cubitorum: & longitudo ante faciem templi, centum cubitorum.

INtelligit *Sturmius* 50. hosce cubitos de altitudine deſcripti hactenus ædificii, cujus facies verſus atrium interius (ab x ad ſ. TAB. CCCCXXIII.) fuit cubitorum 100. Conſtitit igitur id ex duobus cubis, quorum ſinguli latera habuere 50. cubitorum.

Ezech. Cap. XLII. verſ. 9.

Fuit autem aditus ab inferiori parte cellarum iſtarum, nempe ab Oriente, ſi quis eas adiret ab atrio exteriori.

Et erat ſubter gazophylacia hæc introitus ab Oriente, ingredientium in ea de atrio exteriori.

Con-

COnſtat ex Ichnographia TAB. CCCCXXIII. fuiſſe ſcalas ædificii prædeſcripti extra illud, ut manſerit omnibus conclauibus ſua dimenſio. Peculiare fuit, ut ita loquar, ſcalarum ædificium ⊙. ad quod patuit aditus ex tribus atriis exterioribus, & ex hoc ædificio ad omnes ædificii s z x y. contignationes per ſcalas, quas fractas vocare ſolemus, *gebrochene Stiegen.*

Ezech. Cap. XLII. verſ. 10.

Intra latitudinem (fuit) ſepes atrii, cellæ autem ad Orientem ante ſeparatam extructionem, & ad ædificium.

In latitudine periboli atrii, quod erat contra viam Orientalem, in faciem ædificii ſeparati, & erant ante ædificium gazophylacia.

POſcit regularitas ſplendidi ædificii, ut ad latera portarum thalami ſint ejusdem prorſus ſtructuræ & amplitudinis. Intelligit autem *Villalpandus in Ezech.* 376. hoc comma de conclauibus, reſpectu atrii interioris meridionalibus; ſed *Sturmius* de Thalamis Portæ Orientalis interioris lateralibus.

Ezech. Cap. XLII. verſ. 11.

(a) Via quoque oppoſitarum cellarum, qualis fuit cellis Aquilonaribus: longitudo & latitudo earum par, omnisque ordinatio & diſpoſitio earum, & ſymmetriæ, oſtia denique ſimilia fuerunt.

(a) Hebr. Et via ad faciem illarum, ſicut aſpectus cellarum, quæ ad Aquilonem: ſicut longitudo earum, & ſicut judicia earum, & ſicuti oſtia earum.

Et via ante faciem eorum juxta ſimilitudinem gazophylaciorum, quæ erant in via Aquilonis: ſecundum longitudinem eorum, ſic & latitudo eorum: & omnis introitus eorum, & ſimilitudines, & oſtia eorum.

VErbo, fuit eadem in omnibus partibus Templi, in ſtructuris ſeu ædificiis Orientalibus & Meridionalibus, Architectura, qualis in Septentrionalibus; id, quod vel ex primo TAB. CCCCXXIII. conſpectu patet. Typus hic eſto infinitæ DEI ſapientiæ, quæ ſibi ſemper ſimilis, in naturæ & gratiæ regno diſponit omnia, & ordinat juxta normam perfectiſſimarum & immutabilium idearum, & hujusmodi quoque ſymmetrias mentibus noſtris impreſſit.

Ezech. Cap. XLII. verſ. 12.

Veluti in oſtiis cellarum Auſtralium accidit, ut oſtium eſſet initio viæ ante ſepem aptiſſimam, ſi quis ab Oriente illas adiret.

Secundum oſtia gazophylaciorum, quæ erant in via reſpiciente ad Notum: oſtium in capite viæ, quæ via erat ante veſtibulum ſeparatum per viam Orientalem ingredientibus.

SIt Ichnographia TAB. CCCCXXIII. Commentarii loco. Intelliguntur ædificia meridionalia, Septentrionalibus illis ex oppoſito ſita, ſcalarum item ædificium ☾. & acceſſus ad id ☿. ex conclauibus Orientalibus, portæ interiori adjacentibus.

Ezech. Cap. XLII. verſ. 13.

Dixitque ad me: Cellæ Aquilonares & Cellæ Auſtrales ante ſeparatam extructionem Cellæ ſacræ ſunt, ubi Sacerdotes, qui adeunt DOMINUM, comedent Sacra ſancta. Ibi reponent Sacra Sancta, & oblationem, & hoſtiam pro peccato, & pro culpa: ſiquidem locus ſacer eſt.

Et dixit ad me: Gazophylacia Aquilonis, & gazophylacia Auſtri, quæ ſunt ante ædificium ſeparatum: hæc ſunt gazophylacia ſancta, in quibus veſcuntur ſacerdotes, qui appropinquant ad DOMINUM in ſancta ſanctorum: ibi ponent ſancta ſanctorum & oblationem pro peccato, & pro delicto: locus enim ſanctus eſt.

COmmentarii vicem abſoluit ſola litera D. TAB. CCCCXXIII. Refectoria vel conclauia, in quibus comedebant Sacerdotes oblationes, tum in ædificiis Septentrionalibus, tum in Meridionalibus, quarum cellarum aperturæ reſpiciebant Atrium Sacerdotum. Adſita erant hæc conclauia portis interioribus.

Ezech. Cap. XLII. verſ. 14.

Quum Sacerdotes fuerint ingreſſi, non egredientur è Sanctuario ad exterius atrium, ibique relinquent veſtes ſuas, in quibus adminiſtrarunt Sacra, quoniam Sacræ ſunt, induentque veſtes alias, & obibunt munia, quæ vulgus attinent.

Cum autem ingreſſi fuerint Sacerdotes, non egredientur de Sanctis in atrium exterius: & ibi reponent veſtimenta ſua, in quibus miniſtrant, quia ſancta ſunt; veſtienturque veſtimentis aliis, & ſic procedent ad populum.

UT decreſcit inde à Sole lumen in duplicata ratione diſtantiarum, ita accreſcit ſanctitas locorum, quò propius acceſſeris ad Sanctiſſimum. Et oſtendit *Joſephus* L. II. *contra Appionem*, fuiſſe in Templo quatuor *porticus*, unam ſanctiorem aliâ. *Prima* fuit *Gentium*, ad quam aditus concedebatur ipſis barbaris, ſed non menſtruatis mulieribus. *Secunda Iſraelis*, ad quam acceſſus patuit Iſraelitis omnibus, ipſis quoque mulieribus mundis. *Tertia Sacerdotum*, de qua nunc, quæ patuit omnibus Judæis, ſed mundis, & virilis ſexus. *Quarta Veſtibuli Templi*, aperta ſolis Sacerdotibus ſacro veſtitu indutis. Arcebantur etiam à tertia Porticu Judæi Laici eo tempore, quo Sacerdotes veſtibus ſacris fuere amicti.

Ezech. Cap. XLII. verſ. 15. 16.

15. Quumque dimenſiones domus interioris abſoluiſſet, duxit me ad Portam ſpectantem Solis ortum, & menſus eſt eam quaquauerſum.

16. Latus namque Orientale menſorio calamo eſt menſus omnino quingentorum calamorum.

Hebr. menſus eſt ventum Orientalem in menſuræ calamo quingentos calamos in menſuræ calamo circum. Hebr. circum.

15. Cumque complêſſet menſuras domus interioris, eduxit me per viam portæ, quæ reſpiciebat ad viam Orientalem: & menſus eſt eam undique per circuitum.

16. Menſus eſt autem contra ventum Orientalem calamo menſuræ, quingentos calamos in calamo menſuræ per circuitum.

Vide-

VIdetur primo intuitu ſenſus horum Textuum facilis : latus nempe ſtructuræ totius Templi extimum (K I. TAB. CCCCXXIII.) 500. calamorum, ſiue 3000. cubitorum, per conſequens ambitus (nam quadrata fuit) calamorum 2000. ſiue cubitorum 12000. Ex Hypotheſi noſtra erit

Latus Pedum { Pariſienſium 5102 13/144. / Tigurinorum 5482 113/144.
Ambitus Pedum { Pariſienſium 20408 48/144. / Tigurinorum 21931.

Latus proin ultra Milliare (5000. pedibus poſitis pro uno) protenſum : Aream totam inuenio 13360. noſtratium jugerorum, pedibus 36000. poſitis pro uno. Omnia ſaluo errore calculi. Unde ὡς ἐν παρόδῳ inferre licet, non extitiſſe, nec extiturum eſſe Templum Ezechielis, niſi in myſtico ſenſu.

Quapropter ſunt, qui intelligunt potius 500. cubitos, non calamos. Hos fulciunt LXX. qui habent πεντακοσίες ἐν τῷ Καλάμῳ τῷ μέτρῳ, & v. 17. adhuc clarius πήχεις πεντακοσίες ἐν τῷ καλάμῳ τῷ μέτρῳ. Sed calamos habet Textus originalis, חֲמֵשׁ־מְאוֹת קָנִים *chameſch meoth kanim, quingentos calamos :* quos ſeruat quoque *Villalpandus in Ezech.* 378. usque ad v. 19. ubi cubitos quoque intelligit, non calamos. Inueniuntur hi 500. cubiti, ſiue latitudo ſtructuræ Templi integra, ita ex *Sturmio.*

Latitudo atrii interioris cubit. - -	100.
- - - exterioris ſeptentrionalis	100.
- - - - - meridionalis -	100.
Quatuor Portæ - - - - -	200.
	500.

Vexant adeò *calami quingenti circum* Interpretes, ut fuerint, qui ambitum totius urbis Hieroſolymæ intellexerint. Intelligit, ut ſe extricet, *Villalpandus* murum extremum ſiue Peribolum Templi, qui calamum fuit altus & latus, ſed 500. ſumit pro toto hujus periboli ambitu, lateri proin uni dat calamos 125. vi ſequentis computi.

Templi ipſius murus 500. cubit. ſiue (50. cubit. ſumtis pro 8. calamis) - -	80.
Atrium Gentium utrinque 8. - -	16.
Porticus Atrii Gentium, utrinque 7. -	14.
Via extra hanc portam utrinque 6. -	12.
Craſſities ſeu latitudo extremi muri utrinque 1. - - - -	2.
Margo extremus utrinque ½. - - -	1.
	125.

Quicquid ſit, poſſumus ſaltem v. 20. intelligere 500. cubitos, ſaluo Textu originali, qui ſimpliciter habet חֲמֵשׁ מְאוֹת *quingentos.*

Ezech. Cap. XLII. verſ. 17. 18. 19. 20.

17. Menſus eſt etiam latus aquilonare (a) totum menſoriis calamis quingentis.
(a) Hebr. circum. I H. TAB. CCCCXXIII.

18. Latus (quoque) Auſtrale menſus eſt quingentis calamis menſoriis. K L.

19. Circumiens item ad latus occidentale, menſus eſt quingentos calamos menſorios. L H.

20. Ad quatuor ventos menſus eſt eam (portam), quæ murum habuit circunquaque longum quingentos (calamos), & latum quingentos (calamos), qui diuidat ſacrum à prophano.

17. Et menſus eſt contra ventum Aquilonis quingentos calamos, in calamo menſuræ per gyrum.

18. Et ad ventum Auſtralem menſus eſt quingentos calamos, in calamo menſuræ per circuitum.

19. Et ad ventum occidentalem menſus eſt quingentos calamos, in calamo menſuræ.

20. Per quatuor ventos menſus eſt murum ejus undique per circuitum, longitudinem quingentorum cubitorum, & latitudinem quingentorum cubitorum, diuidentem inter ſanctuarium & vulgi locum.

Vid. verſ. 16.

TAB. DCXLI.

Ezech. Cap. XLIII. verſ. 13.

Altaris verò hæ menſuræ ſunt (a) per cubita, quæ vulgare cubitum & inſuper palmum continent, ſinusque (altitudo) cubitalis, & latitudo cubitalis fuit. Margo autem ipſius (Altaris) circum ejus labium (craſſitudine) majoris palmi. Atque hoc dorſum Altaris exiſtit.

(a) In cubitis cubitus & palmus.
Sturmius.

Et iſtæ menſuræ altaris in cubitis, cubito continente cubitum & palmum: & foſſa a a. unius cubiti & latitudine cubiti, & peribolus ejus b b. ad marginem ejus undique palmi unius, & hinc eminentia Altaris.

Iſtæ autem menſuræ altaris in cubito veriſſimo, qui habebat cubitum & palmum: in ſinu ejus erat cubitus, & cubitus in latitudine: & definitio ejus usque ad labium ejus, in circuitu palmus unus: hæc quoque erat foſſa altaris.

EXiſtimauerit quis, fuiſſe integram Ezechielici Templi ſtructuram eandem prorſus cum Templo ſecundo, quod Judæi ex Captiuitate Babylonica reduces, dictamen Prophetæ ſecuti, ædificauerant. Verùm enim verò oſtendit Celeberr. τῦν ἐν ἁγίοις, dum viueret mihi amiciſſimus, *Joh. Jacobus Cramerus*, in eruditiſſimo ſuo *de Ara Templi ſecundi* Tractatu (quam aram ſiſtunt TAB. CXCII. CXCIII. CXCIV.) differre in multis Altare ſecundi Templi ab illo Ezechielis. Et conſtat ex citatis ab ipſo Rabbinis, haud adeò fuiſſe, & ad ſcrupuloſitatem usque (ſit venia verbo) ἀκριβεῖς Judæos, ut Prophetæ dictamen ſequerentur in omnibus, quoniam occurrebant paſſim, quæ cum Lege & Traditionibus conciliare haud poterant.

In memoriam reuocare conuenit, conſtitiſſe *Altare* ex quatuor partibus principalibus 1. fundamento ſeu *baſi*. 2. *Cingulo* ſiue *circuitu*. 3. Loco *Pyræ* vel *Foci*. 4. *Cornubus*. Textus, de quo nunc, agit de baſi, quæ חֵיק *chek* vocatur, LXX. κόλπωμα, Tigurinis *Sinus*, *der Mittel-Boden*. Fuit illa *cubitalis altitudine & latitudine*, βάθος ἐπὶ πῆχυν, καὶ πῆχυς τὸ εὖρος. Hujusdem menſuræ fuit Baſis Altaris in Templo ſecundo, latior cingulo, ſi exceperis latus Orientale & Meridionale, ubi baſis non habuit projecturam, niſi in angulo Euro-Aquilonari, & Auſtr-Occidentali. Quod videre licet in Tabb. ſupra citatis.

Clarior redditur idea ex Ichnographia Tabulæ præſentis (Scenographiam ſiſtit etiam TAB. CCXXV.) *Sturmiana*. חֵיק *ſinus*, fuit foſſa a a. circa Altare, latere Orientali excepto, ubi foſſa hæc exiguam anguli partem occupauit; cubitum hæc foſſa fuit lata, & cubitum alta, & circumcirca eam margo b b. שְׂפָתָה *ſephatah*, γεῖσος ἐπὶ τὸ χεῖλος, *labium*, *crepido palmi majoris*, κύκλωθεν σπιθαμῆς. Fuit hæc גַּב הַמִּזְבֵּחַ *gabh hammizbeach*, *præeminentia*, *eminentia Altaris*, non altitudo, ſed ima projectura Altaris.

Exprimit quoque Propheta menſuram *cubiti*, qui *cubitum vulgarem continet*, & *inſuper palmum*, ἐν πήχει τῷ πήχεως καὶ παλαιστῆς. Videtur autem ille Cubitos Hebraicos diſtinguere à Babylonicis, palmo minoribus. Ut conjecturare liceat, eundem fuiſſe hunc Hebraicum cubitum cum illo, qui 2. Paralip. III. 3. vocatur בַּמִּדָּה הָרִאשׁוֹנָה *bammiddah haiſchonah*, *in menſura prima*, menſuræ primæ ſeu veteris, *juxta cubitum virilem*. Deut. III. 11. Sed non eſt adeò facilis determinatu præciſa hujus cubiti menſura. De hac re egimus alibi.

Plenior Tabulæ præſentis explicatio hæc eſt.

a a. Foſſa, cujus latitudo cubitus.
b b. Peribolus foſſæ.
c c. Ambulacrum majus Sacerdotum.
d d. Mons DEI. Ambulacrum Sacerdotum 14. cubitos longum & 14. latum ab r. ad s.
e e. Ariel. Altare ſtrictè dictum 12. longum & 12. latum ab o. ad p.
f f f f. Cornua quatuor.
i i. Peribolus ½. cubitum latus.
m m. Foſſa ad montem DEI.
n n. Gradus reſpicientes Orientem.

Neceſſe duxi iterum ſiſtere Altaris hujus Scenographiam iisdem cum Ichnographia literis notatam: ſed eſt hæc exactior, quàm illa TAB. CCXXV.

Ezech. Cap. XLIII. verſ. 14.

Cæterùm à Sinu Terræ (impoſito) ad inferiorem crepidinem duo cubiti, & latitudo unius cubiti: & à crepidine minori ad crepidinem majorem quatuor cubiti, & latitudo unius cubiti.

Sturm.

Et à foſſâ ſupra terram usque ad ambulacrum majus (c c) pro auxiliantibus quatuor cubiti, & latitudo cubitus.

Et de Sinu Terræ usque ad crepidinem nouiſſimam duo cubiti, & latitudo cubiti unius: & à crepidine minore usque ad crepidinem majorem quatuor cubiti: & latitudo cubiti unius.

AGit primum commatis lemma de Baſi ima Altaris, poſterius de cingulo: illa *duos cubitos* eſt *alta, unum lata*, hoc *quatuor cubitos altum, unum latum*. Ubi latitudo concipi debet tanquam projectura, quæ Sacerdotibus fuit ambulacri loco. Heic ſtandum fuit ei, qui cornua Altaris ſanguine conſperſit pro expiatione peccatorum, ſanguine nempe victimarum pro peccatis, aues iterum mactauit pro holocauſtis. Eſt hoc ambulacrum in Tabula noſtra, quæ Sturmiana eſt, ad latus munitum pariete. Fiat collatio cum Tabulis CXCII. CXCIII. CXCIV. & legantur *Cramer. Ara Templi ſecundi* p. 57. *Sturm. Mar. Æn. Solom.* p. 94. *Villalp. in Ezech.* 390.

Ezech. Cap. XLIII. verſ. 15.

Ariel verò altus fuit quatuor cubitos, & ſuper Arielem quatuor cornua.

Sturm.

Et (ſequens articulus vocatus) mons DEI quatuor cubitorum (d d) & ab Ariel (e e e) ita vocabatur articulus ſupremus, vel Altare ipſum ſtrictè dictum) & in ſummo quatuor cornua (ffff).

Ipſe autem ariel quatuor cubitorum: & ab ariel usque ad ſurſum, cornua quatuor.

SEquuntur partes binæ ultimæ, ſupremæ, & præcipuæ Altaris.

Sunt viri docti, qui non diſtinguunt הַרְאֵל *Har-El* ab אֲרִיאֵל *Ariel*. (LXX. Ἀριὴλ, ubi Euſebius: dicunt exponi λέων ΘΕΟΥ, *Leo DEI*. Polychronius, ὄρος ΘΕΟΥ, *mons DEI*. Theodoretus, τὸ ἀριὴλ ſignificat Hebræorum lingua *montem* DEI, vel ſecundum aliam interpretationem *lumen* DEI. Putat autem hic ſignificare baſin Altaris. Hier. Ariel, ut plerique æſtimant, interpretatur, *lux mea* DEUS.) Intelligunt hi ſimpliciter ſupremam partem Altaris, ubi holocauſta fuere conſumpta. Sed diſtinctas adſignant ideas alii. Intelligit *Abarbanel* per הַרְאֵל, *montem* DEI, locum Altaris & ſpatium ejus, quod infra in terra occupat, ſiue corpus ipſius Altaris, quatuor cubitos latum & altum: per אֲרִיאֵל verò aream ſupremam 12. cubitos longam & latam, uti menſuratur v. 16. Ita quoque *Sturmius Mar. Æn.* 94. Harelem repræſentat ſub formâ parietis 4. cubitos alti, ſupra aream ſeu focum erecti, qui veluti circumſepiebat aream: Arielem verò focum ipſum. Neque diſplicet hoc diſcrimen *Cramero Ara Templi ſec.* p. 64. De cornubus Altaris iterum diſcrepant Interpretes. Agit de hac materia fuſius laudatus ſæpe *Cramerus*, qui cornua locat in quatuor angulis Altaris cuborum formâ erecta. *Sturmio* placent anguli Harelis ſui in mediis lateribus concaui.

Ezech. Cap. XLIII. verſ. 16.

Utque (a) Ariel fuit longus duodecim (cubitos), ita etiam latus duodecim (cubitos), quadrata figura exiſtens per ſua quatuor latera.

(a) Hebr. Et Arielis longitudo 12. cubiti in 12. cubitis latitudinis. Ariel ſonat Leonem DEI, eſtque ſuprema pars Altaris, cui holocauſtum conficiendum imponitur, ipſeque focus aræ.

Et ariel duodecim cubitorum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis: quadrangulatum æquis lateribus.

Sturm.

Et Ariel duodecim longitudine, & duodecim latitudine, quadratus ad quadraturas ſuas. e e.

FUit in ara Templi ſecundi foci longitudo & latitudo 26. cubitorum, de quibus abſcedunt 2. cubiti pro ambulacro Sacerdotum, qui regere debebant ignem, & vertere victimas. Sed heic longitudo & latitudo Arielis ſtatuitur 12. cubitorum. Vid. *Cramer Ara Templi ſec.* 37. *Sturm. Mar. Æn.* 95.

Ezech. Cap. XLIII. verſ. 17.

(a) Crepido etiam longitudine (cubitorum) quatuordecim, & latitudine quatuordecim, quadratum æquilaterum abſoluit. Margo denique circum illud (lata fuit) dimidium cubitum, ſinumque habuit cubitalis altitudinis (circumjectum), ejusque gradus ſpectare Orientem (permiſerunt.)

(a) Major & ſuperior intelligitur.

Sturm.

Et ambulacrum pro auxiliantibus d d. quatuordecim longitudinis in quatuordecim latitudinis ad quatuor quadraturas ejus, & peribolus i i i i. circum illud dimidii cubiti, & foſſa ei m m m m. cubiti circum. Et gradus ejus n n n n. reſpicientes Orientem.

Et crepido quatuordecim cubitorum longitudinis per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis ejus: & corona in circuitu ejus dimidii cubiti, & ſinus ejus unius cubiti per circuitum: gradus autem ejus verſi ad Orientem.

PLaniſſimam omnium explicationem loci hujus, ſatis obſcuri, dat hypotheſis *Sturmii Mar. Æn.* p. 95. הַעַזְרָה *haazrah*, ἱλαστήριον LXX. *Ambulacrum auxilii*, vel *ambulacrum Sacerdotum*, fuit 14. cubitorum in longitudine, totidemque in latitudine, in quo obambulare poterant circumcirca Altare Sacerdotes, recturi ignem & ordinaturi victimas: ejusdem cum foco Horizontis, e. e. ab eo tamen diſtinctum per Arielem; hic autem, quia duntaxat 12. cubitos habuit in longitudine & latitudine, ambulacrum verò 14. neceſſe habuit *Sturmius* excogitare figuram incuruam, qualem in ſchemate conſpicere datur. הַגְּבוּל, *haggebul*, γεῖσος, *peribolus*, margo fuit ſemicubitalis, extra quem fuit הַחֵיק *hachek*, *ſinus*, foſſa profunda, cubitalis latitudinis. Scalas utrinque duas collocat juxta Textum ad Orientem.

Ezech. Cap. XLV. verſ. 10. 11.

10. Sit vobis Bilanx juſta, & Ephi juſtum, & Bathus juſtus.

11. Eadem erit adæquatio Ephi & Bathi, ut Bathus capiat decimam partem (menſuræ) Homer: & Epha decimam partem Homer: (a) ad Homer utriusque modus exigetur.

(a) Ad Homer erit illius aptatio.

10. Statera juſta, & ephi juſtum, & batus juſtus erit vobis.

11. Ephi & batus æqualia, & unius menſuræ erunt: ut capiat decimam partem cori batus, & decimam partem cori ephi: juxta menſuram cori erit æqua libratio eorum.

Crea-



EZECH. Cap. XLIII. v. 13.
Altare holocauſtorum.

Eech. Cap. XLIII. v. 13.
Der Brand-Opfers-Altar.

I. G. Pintz sculp.

CReauit Optimus Maximus DEUS & conſeruat omnia certo numero, pondere, menſura, mundi corpora totalia & maxima, Solem, Fixas, Planetas, ſed & minimas quasque auri, argenti, aquæ, aëris atomos. Voluit hic ipſe cœli terræque Monarcha, ut in hoc terræ, quem incolimus, orbe ſocietas humana conſeruaretur certis, definitis menſuris atque ponderibus, tanquam medio certiſſimo, quo illa cæmentatur per mutua commercia, & absque quo ſubſiſtere nequit. Id quidem incommodum valde eſt, quod natio quæuis, & tantùm non urbs quæuis, ſuas habeat peculiares menſuras, cubitos, monetas, pondera propria, imo corrupti generis humani τεκμήριον, ſed inæqualitas hæc terminatur, imo tollitur labore, qui inſumendus eſt reductione, quo utique ſuperſedere poſſemus, ſi per uniuerſum orbem una eademque foret menſura, pondus idem. Sunt in hac, ut linguarum confuſione, ex parte DEI cauſæ juſtiſſimæ ſemper & ſanctiſſimæ.

Incognitæ prorſus manerent Judaicæ Nationis menſuræ ac pondera, niſi auxilio veniret *Joſephus*, doctiſſimus Sacerdos Judæus, cui nec occaſio defuit, nec voluntas, conferendi illa cum Romanis & Græcis, ſuo tempore uſualibus, nobisque ſatis cognitis. Teſtimonium, quod celebratiſſimo viro dat *Theodoretus in Exod.* XXIX. audi. πιστευτέον δὲ ἐν τούτοις τῷ Ἰωσήπῳ, ἀκριβῶς τὰ ἔθνη τὰ μέτρα ἐπισταμένῳ.

Lucem inprimis obſcuræ materiæ accendit Propheta noſter, dum menſuras nonnullas & pondera præcisè determinat. *Eadem erit adæquatio*, capacitas, *Ephi*, menſuræ cauæ pro ſiccis, & *Bathi*, menſuræ cauæ pro fluidis. *Ut Bathus capiat decimam partem Homer; & Epha decimam partem Homer.* τὸ δέκατον τοῦ γομὸρ χοῖνιξ, καὶ τὸ δέκατον τοῦ γομὸρ. Nam, addit, *ad Homer utriusque modus exigetur*, πρὸς τὸ γομὸρ ἕξει τὸ ἴσον. Norma igitur, ad quam & Epha & Bathus menſurari debent, eſt *Homer*, *Corus* vel *Chomer*. Et Batho cognito, ignorari nequit ejus decuplum, *Chomer*. De utroque egimus alibi.

Ezech. Cap. XLV. verſ. 12.

Cæterum *(a)* Siclus viginti obolorum erit, & viginti Sicli, viginti quinque Sicli, quindecim Sicli erunt vobis Mina.

Siclus autem, viginti obolos habet: porrò viginti ſicli, & viginti quinque ſicli, & quindecim ſicli Minam faciunt.

(a) Sekel authore Hieronymo Staterem æquat, pondus quatuor drachmarum. Æris pars 20. Gera dicitur, parte ſexta major quàm obolus. Sicli 60. *Mane* vel *Minah* conficiunt.

TRiplicis generis pondera heic occurrunt.

שֶׁקֶל *ſchekel, Siclus, viginti obolorum erit.* Egimus de hoc alibi fuſius. Heic duntaxat ex *Eiſenſchmidio Pond. & Menſ.* p. 52. dabimus reductionem.

In pondere Pariſino drachm. 3. gran. 52,00.
- - - Colonienſi — 3. — 68,13.
- - - Argentoratenſi 3. — 62,39.
- - - Medico —— 3. — 48,90.

In crucigeris - - 45.
Aſſibus Tigurinis 30.

גֵּרָה *Gerah*, eſt $\frac{1}{20}$. Sicli, proin
In pondere Pariſino - - grana 13,40.
- - - Colonienſi — — 14,81.
- - - Argentoratenſi — 13,92.
- - - Medico — — 11,44.

In crucigeris - - $2\frac{1}{4}$.
Moneta Tigurina 1. aſſis, 3. denar.

Hic Sicli & Geræ valor conſtat etiam ex Exod. XXX. 13. Leuit. XXVII. 25. Num. III. 47. XVIII. 16. Reſpondetque Gera Obolo Attico, qui $\frac{1}{6}$. fuit Drachmæ Atticæ. *Drachma Attica ſex obolos pondere efficit. Plin.* L. XXI. c. 43.

מָנֶה *maneh, minah, mina*, valet, definiente Propheta, 15. 20. & 25. Siclos, qui ſummatim faciunt 60. Siclos. ἡ δὲ μνᾶ παρ' ἡμῖν ἴσχει λίτρας β' καὶ ἥμισυ. *Joſeph.* L. XIV. c. 12. Mina valet uncias duas cum dimidia, per conſequens 60. uncias. In Nummis 30. Imperiales, ſiue 45. noſtratium Florenorum.

Ezech. Cap. XLV. verſ. 13.

Hæc autem collatio erit, quam conferetis, ſextam partem Ephæ de Homer frumenti, ſextamque partem de Homer conferetis.

Et hæ ſunt primitiæ, quas tolletis: ſextam partem ephi de coro frumenti, & ſextam partem ephi de coro hordei.

REduxi alibi Homerum ad 11. Quartalia $6\frac{10}{17}$. modiolos menſuræ Tigurinæ; De hac menſura Judæi pro collatione adferre tenebantur $\frac{1}{6}$. Ephæ. Epha unum dat 1. quartale, $2\frac{2}{3}$. modiolos, ergò ſacrificium collationis $3\frac{11}{177}$. modiolos.

Ezech. Cap. XLV. verſ. 14.

(a) Legitimus verò modus olei capietur à Batho olei, decima pars Bathi de Coro, decem Bathis Corum explentibus, quia decem Bathi ſunt Homer.

(a) Ebr. decretum olei, bathus olei &c.

Menſura quoque olei, batus olei, decima pars cori eſt: & decem bati corum faciunt: quia decem bati implent corum.

COntinet Bathus ex mea reductione 12. menſuras $\frac{1}{2}$. & $\frac{1}{3}$. menſuræ agreſtis. 15. menſuras $1\frac{1}{2}$. quartale menſ. urbic. Corus ſeu Chomer, æqualis 10. Bathis, 126. menſuras $1\frac{1}{3}$. dimidiæ menſuræ agreſtis.

153. menſuras 3. quartalia menſuræ urbicæ. Proin ex Coro olei ſumi debebant pro ſacrificio collationis

1. menſura $\frac{11}{120}$. dimidiæ menſuræ agreſtis.

$1\frac{1}{2}$. menſura $\frac{3}{16}$. quartalis, menſuræ urbicæ. In Tigurinis.

Ezech. Cap. XLVI. verſ. 19. 20.

19. Porrò introduxit me ad Sacerdotes per aditum, qui eſt juxta humerum Portæ ad Cellas ſacras, quæ Aquilonem ſpectant, & ecce ibi locus erat lateribus ad Occaſum.

20. Et dixit ad me: Iſte locus eſt, ubi Sacerdotes coquant piaculum pro noxa, & pro peccato, & ubi coquant oblationem, ne ad atrium exterius efferendo ſanctificent populum.

19. Et introduxit me per ingreſſum, qui erat ex latere portæ in gazophylacia ſanctuarii ad ſacerdotes, quæ reſpiciebant ad Aquilonem: & erat ibi locus vergens ad Occidentem.

20. Et dixit ad me: Iſte eſt locus, ubi coquent ſacerdotes pro peccato, & pro delicto: ubi coquent ſacrificium, ut non efferant in atrium exterius, & ſanctificetur populus.

DEſcribuntur heîc culinæ, in quibus nempe Sacerdotes coquere debebant Sanctum, id nempe, quod de Sacrificiis pertinebat ad eos. Viam, qua tranſibat Propheta ad culinas, deſignat litera W. unam culinarum lit. E. TAB. CCCCXXIII.

Ezech. Cap. XLVI. verſ. 21. 22.

21. Duxit me quoque ad exterius atrium, & circunduxit me ad quatuor angulos atrii, & ecce (a) in ſingulis atrii angulis erat atrium.

(a) Ebr. Et ecce atrium in angulo atrii, atrium in angulo atrii.

22. In quatuor angulis atrii (fuerunt) atria (b) fumoſa longitudine quadraginta (cubitorum) & latitudine triginta (cubitorum); eademque menſura fuit quatuor illis (atriis) (c) angularibus.

(b) Vox, quam Hier. per *diſpoſitam* interpretatur, à ſuffitu nomen habet. Judæi hoc tantùm loco putant ſignificare ligata.

(c) Judæi vocem, quæ angulos ſignificat, ut ſuperfluam notarunt.

21. Et eduxit me in atrium exterius, & circumduxit me per quatuor angulos atrii: & ecce, atriolum erat in angulo atrii, atriola ſingula per angulos atrii.

22. In quatuor angulis atrii atriola diſpoſita: quadraginta cubitorum per longum, & triginta per latum: menſuræ unius quatuor erant.

COllocantur culinæ hæ populares in atrio exteriori ſeptentrionali, inter portam exteriorem & interiorem, TAB. CCCCXXIII. M N O P. Sunt namque atriola quatuor in angulis quatuor, ſingula à Meridie ad Septentrionem longa 40. cubitos, lata 30. ab Ortu ad Occaſum: remanetque ab una porta ad alteram via ſpatioſa ſeu ambulacrum 40. cubitos latum, aliudue ab Occaſu ad Ortum 20. cubitos latum, quod prius cruciatim ſecat. Videntur adeò fuiſſe culinæ hæ ſub dio. *Villalpandus* verò *in Ezech.* 383. collocat culinas illas ſub terra, ſub qua certum aliàs fuiſſe amplas Cryptoporticus & penuaria.

Ezech. Cap. XLVI. verſ. 23. 24.

23. Per quatuor autem atria illa muri fuerunt, & ſub muris foci facti circumcirca.

Tiroth ſignificare videtur pilas, in quibus fiunt ſuſpenſuræ chaldariorum, lebetum ahenorum.

24. Et dixit ad me: Iſtæ ſunt culinæ, ubi miniſtri domus coquant victimam populi.

23. Et paries per circuitum ambiens quatuor atriola: & culinæ fabricatæ erant ſubter porticus per gyrum.

24. Et dixit ad me: Hæc eſt domus culinarum, in qua coquent miniſtri domus DOMINI victimas populi.

AMbiebat, ex mente *Sturmii*, ſingulas hasce culinas murus 7. cubitos altus, ad quem circumcirca fuere foci, omnisque apparatus culinarius. Altius euehi haud poterant hi muri, ne denegaretur proſpectus ad ædificia Templi magnifica.

PROPHETA DANIEL.

TAB. DCXLII.

Dan. Cap. III. verſ. 1.

Rex Nebuchadnezar fecit aureum ſimulacrum altitudine ſexaginta cubitorum & latitudine ſex cubitorum, quod collocauit in campo Dura regionis Babyloniæ.

Nabuchodonoſor Rex fecit ſtatuam auream, altitudine cubitorum ſexaginta, latitudine cubitorum ſex: & ſtatuit eam in campo Dura prouinciæ Babylonis.

ARchitecturæ Ciuilis eſt, agere de *Coloſſis*, ſimulachris maximis, quibus & adnumerari debet hoc Nebucadnezaris. *Plinius* L. XXXIV. c. 8. nuncupat illa *Coloſſea ſigna*. *Vitruuius* L. X. c. 6. *Coloſſica ſigna*. L. II. c. 8. *Statuas Coloſſi*. Deorum honori fuere erectæ hujusmodi ſtatuæ, & prægrandis ſtatura populo ideam rerum magnarum ſiſtere, ut omnino conjectare liceat, voluiſſe etiam Nebucadnezarem imaginem in ſomno viſam ſubditis adorandam exhibere, quæ *ſexaginta fuit cubitorum altitudine, latitudine ſex cubitorum*, ὕψος πήχεων ἑξήκοντα, εὖρος αὐτῆς πήχεων ἓξ, quæ ipſa corporis humani eſt proportio, craſſities à cordis ſerobiculo ad dorſi ſpinam $\frac{1}{10}$. altitudinis. *Auguſtinus Civ. DEI* L. XV. c. 26. *Humana corporis longitudo à vertice usque ad veſtigia ſexies tantum habet, quantum latitudo, quæ eſt ab uno latere ad alterum latus, & decies tantum, quantum altitudo, cujus altitudinis menſura eſt in latere à dorſo ad ventrem.* Conſtat hinc, פְּתִיחָ, εὖρος, exprimi commodius per craſſitiem, latitudo quippe non 6. foret cubitorum, ſed 10.

Intelligit autem Propheta haud dubiè Babylonicos cubitos, qui *Herodoto* dant cubitum communem & 3. digitos, ſiue $\frac{1}{8}$. cubiti. Cubiti hi ſi fuere Græci, dabit cubitus Babylonicus $2328\frac{1}{2}$. particulas Pariſini pedis in 1440. partes diuiſi. Fuerit adeò altitudo Coloſſi noſtri pedum Pariſinorum 97. & $\frac{10}{1440}$. craſſities $9\frac{1011}{1440}$. Coloſſus celebris ille Rhodius altus fuit 70. cubitos communes, qui ſumti pro 2070. partibus dabunt $100\frac{900}{1440}$. Tribus adeò pedibus circiter minor fuit Nebucadnezaricus Rhodio illo, quem Chares Lindius, Lyſippi diſcipulus, ſpatio 12. annorum impendio Talentorum 300. ex Demetrii Theſauro elaborauerat. Cujusue caſum deſcribit *Plinius* L. XXXIV. c. 7. *Hoc ſimulacrum poſt LVII. annum terræ motu proſtratum, ſed jacens quoque miraculo fuit. Pauci pollicem ejus amplectebantur. Majores erant digiti, quam pleræque ſtatuæ, vaſti ſpecus hiabant defractis membris, ſpectabantur intus magnæ molis ſaxa. Zonara* teſte in *Conſtante, Heraclii* nepote, Saraceni fragmentis, Judæo cuidam Emiſeno venditis, 900. onerarunt Camelos, unde *Voſſius Scient. Math.* c. 7. §. 7. pondus integrum calculat ad 1080000. Libras. Altior adhuc Rhodio hocce fuit Neronis Coloſſus à Zenodoro Gallo confectus, pedum quippe 110. Soli poſtea dicatus à Veſpaſiano. *Plin.* L. XXXIV. c. 7. *Sueton. in Ner.* c. 8. *in Veſpaſ.* c. 18. Omnes hos autem ſuperaſſet, ſi effectui fuiſſet datus, *Dinocratis* labor, qui Alexandro M. promiſerat ſimulacrum ex integro monte Atho, in cujus ſiniſtra manu eſſet urbs integra, in dextra verò confluere debebant omnes montis aquæ.

Dan. Cap. III. verſ. 7.

Satrapæ verò, Duces & Præſides Prouinciarum, (cæterique) Regis proceres congregati ſunt, ſpectantes viros iſtos, in quorum corpora ignis vim nullam habuit, ne-

Et congregati ſatrapæ, & magiſtratus, & judices, & potentes Regis, contemplabantur viros illos, quoniam nihil poteſtatis habuiſſet ignis in corporibus eorum, & ca-

que

DAN. Cap. III. v. 27.
Πυρίβιοι, πυρίπλεκτοι.

Dan. Cap. III. v. 27.
Feüer ſchont Daniels Geſellen, frißt die Abgot.

I. G. Pintz sculps.

que capillus capitis eorum aduſtus eſt, neque Saraballa eorum mutata ſunt, neque peruaſit eos odor ignis.

pillus capitis eorum non eſſet aduſtus, etiam ſaraballa eorum non fuiſſent immutata, & odor ignis non tranſiſſet per eos.

MAnu ducit nos ad DEI Entis infinitè perfecti cognitionem, excitatque ad amorem, metum, fiduciam in DEUM, ſi ulla in Sacris Literis obuia Hiſtoria, hæc certè conſeruatorum Danielis ſociorum in medio ardentiſſimo fornace. Igne probari debebat, uti temporibus Eliæ, veri DEI Gloria, confundi idola: ibi ignis de cœlo labi præſentibus trium ordinum docimaſtis ſiue examinatoribus, & conſumere ſacrificium: heic parcere filiis DEI, deuorare hoſtes. Demonſtrare volebat heic & ibi DEUS per miracula, ſe eſſe ignis Dominum & Creatorem, legum mundo introductarum Authorem, à ſe pendere harundem & conſeruationem & ſuſpenſionem, à ſuo nutu, ut totam naturam, ita rapaciſſimi elementi actionem. Agebatur de adoratione Coloſſi aurei ἐξηκονταπήχεως, juſſu Nebucadnezaris erecti, de ſtatuenda pœna ſeueriſſima in eos, qui mandatis regiis haud parerent, tali quidem, quæ abſterrere poterat eos etiam, qui quàm maxime valebant animo, & hypocriticam ſuadere deuotionem. *Si non adorabitis, projiciemini in ardentem fornacem ignis eadem horâ.* v. 15. *Et quis*, addit Babyloniorum ille Deus mortalis, *ille* DEUS, *qui vos eripiat è manu mea?* Videamus, num DEUS veſter habenas Imperii Babylonici regat, vel ego? quis ignem juſſu meo accenſum extinguere valeat? Socii Danielis, licet fuerint perſuaſi, quod innumeris aliis modis liberari poſſent à DEO Iſraelis ex manibus Nebucadnezaris, absque quod conjiciendi ſint in ardentem fornacem, inhærent tamen huic ipſi theſi, à Rege prolatæ. *De hac re non magnopere ſoliciti ſumus: An DEUS noſter, quem colimus, potis ſit eripere nos de ardente fornace ignis, & an ſit liberaturus de manu tua, an non? (Non oportet nos de hac re reſpondere tibi. Ecce enim DEUS noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare.)* v. 17. Tibi, ô Rex, manendum erit intra naturæ limites, imo & voluntatis diuinæ permittentis terminos, ſed DEUS noſter operari quoque valet ſupra naturam. *Et*, pergunt Triumuiri, pone, nos non liberatum iri ex igne, *notum ſit tibi, Rex, quod Deos tuos non colimus, neque adorabimus aureum ſimulacrum, quod erexiſti.* v. 18. *Tunc Nebuchadnezar totus excanduit, & vultus ejus immutatus eſt aduerſum Sadrach, Meſach & Abednego. (Tunc Nabuchodonoſor repletus eſt furore, & aſpectus faciei illius immutatus eſt ſuper Sidrach, Miſach & Abdenago.)* v. 19. Animo obuerſabatur regii ſui mandati tenor, exarſerat turgeſcens triſtibus iris, & facies nunc excandeſcebat præ rubore, nunc toto expalluit ore. *Præcepit* periculum facturus *fornacem ſeptuplo magis ſuccendi, quam ſuccendi conſueuerat.* Mira mirare, quæ Monarchæ inſpirat rabies, cogitata: Juxta ordinarias Naturæ Leges debebat ardentis hactenus fornacis flamma tenera Triumuirorum corpora conſumere breui, & ne quidquam juuare contra totius naturæ vires: ſed aciem viſus, qualem habebat Nebucadnezar, terminabat naturæ horizon; ignota fuere prorſus, quæ fiunt ſupra naturam. Euehi debuit ignis ad ſeptuplo altiorem gradum, ſimulque potentia DEI probari veluti in cupella. Adſunt, quod hodienum in Aulis Turcarum & Perſarum triſti fato experiuntur, qui gratiâ Monarcharum excidunt, qui juſſa Regis vel oculiloquio data capeſſunt. *Confeſtim illi viri ſunt vincti cum ſaraballis ſuis, tibialibus ſuis & tiaris ſuis, & veſtibus ſuis, ac projecti in ardentem fornacem ignis. (Confeſtim viri illi vincti cum braccis ſuis, & tiaris, & calceamentis, & veſtibus, miſſi ſunt in medium fornacis ignis ardentis.)* v. 21. En mox vires ignis tum naturales, tum ſupernaturales! Conſumit voraciſſimum hoc elementum carnifices, intactis viris DEI. *Flamma ignis occidit viros, qui adduxerunt (miſerant) Sadrach, Meſach & Abednego.* v. 22. Num correpti fuerint hi furoris & injuſtitiæ Nebucadnezaricæ adminiſtri à naturali flammarum rapidiſſimarum impetu, vel juſſu DEI harum vires fuerint extenſæ ultra naturæ terminos, adeoque patratum hac quoque ex parte fuerit miraculum, determinare nolo, ſed id quidem affirmare audeo, miraculo conſeruata fuiſſe ſociorum corpora in medio igne, miraculo ambulaſſe in eo, unà cum quarto, qui iis ſeſe adjunxerat, DEI nempe Angelo, miraculo exiiſſe è flammis. Nam certè ex Naturæ Legibus, & Regis mente, debebant hi tres momento fere citius conſumi. Sed *viderat* ille *quatuor viros ſolutos ambulantes in igne, in quibus nulla erat labes, & forma quarti ſimilis erat filio Deorum. (Ecce, ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.)* v. 25. Aperiebat examen hoc ignis Regi oculos, *acceſſit ad oſtium ardentis fornacis ignis*, v. 26. jubet egredi flammis tres *cultores ſummi* DEI, *(ſeruos DEI excelſi)*, quem etiam poſtea veneratus eſt ipſe. Attamen nouam docimaſtiam ſubire debebant, qui euaſere ſalui, ut nemo eſſet, qui de ſtupendi miraculi veritate quouis modo dubitare poſſet. *Satrapæ, Duces & Præſides Prouinciarum, cæterique Regis proceres congregati ſunt, ſpectantes viros iſtos, in quorum corpora*

ignis vim nullam habuit, neque capillus capitis eorum aduſtus eſt, neque ſaraballa eorum mutata ſunt, neque peruaſit eos odor ignis. Non certè fuere fibræ horum corporum Amianthinæ, ſed carneæ, oſſeæ, nerueæ, membranoſæ, fluido ſanguine undique repletæ, quæ omnia debuiſſent momento conſumi, reſpiratio in rariſſimo aëre ſuffocari: veſtes & pili eminus ab igne corripi & comburi. Aſt nihil horum omnium contingit heic: capillos tenerrimos, & filamenta ſeu linea ſeu ſericea tenuiſſima vincere haud valet celerrimus particularum ignearum motus, cui nec metalla denſiſſima, nec ſaxa duriſſima reſiſtere valent. Rotundam extorquet confeſſionem Regi ſtupendum hocce miraculum, verſ. 32. 33. *Officii mei eſſe judico, referre ſigna, & portenta, quæ in me ſummus DEUS edidit. Sunt enim ejus ſigna permagna, & portenta ejus ingentia, Regnumque ipſius Regnum æternum, & dominatus ipſius per uniuerſa ſecula. (Signa & mirabilia fecit apud me DEUS excelſus. Placuit ergo mihi prædicare ſigna ejus, quia magna ſunt: & mirabilia ejus, quia fortia: & regnum ejus, quia regnum ſempiternum, & poteſtas ejus in generatione & generationem.)*

Dan. Cap. IV. verſ. 30.

Ea ipſa hora ſermo in Nebuchadnezar impletus eſt, ut ab hominibus pelleretur, & fœnum ut bos comederet, ejusque corpus de rore cœleſti tingeretur, adeò ut pilorum copia aquilis, & unguibus ſimilis euaderet volucribus.

Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abjectus eſt, & fœnum ut bos comedit, & rore cœli corpus ejus infectum eſt: donec capilli ejus in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & ungues ejus quaſi ungues auium.

Κυανθρωπίαν, Κυανθρωπίαν linquimus quodlibeticis illis, quæ præterire, ſeculis, αἰλεραανθρωπίαν mulierculis, perſuaſi, neminem adeò veruecini eſſe ingenii, ut credat, poſſe reuerà hominem mutari in lupum, canem, felem, ſed quidem, ferinos poſſe induere mores, vel prauâ imaginatione deluſum credere, ſe eſſe brutum, latrare hinc ut canes, mugire ut boues. Quod fatum videtur fuiſſe ſuperbi illius Nebucadnezaris, fortiſſimi multarum terrarum domitoris, qui ſeſe jactauerat fundatorem Babelis diu ante ædificatæ à Semiramide, vel à Nimrodo. Ita ille v. 27. *Annon hæc eſt Babylon magna, quam ædificaui excellenti mea potentia, ut exiſtat regia, & decus magnificentiæ meæ? (Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?)* Quin & DEUM ipſum inſultauit, ejusque potentiam erecta ſtatua aurea, & fornace ardentiſſimo, ad miraculum patrandum prouocauit ſtolidiſſimo auſu. *Quis eſt ille DEUS, qui vos eripiat è manu mea?* Dan. III. 15. In ipſis Danielis ſociis operatus eſt DEUS μέγα λίαν θαῦμα, ſed Pyrgopolynicen hunc haud dignatur miraculo, ferociam ejus domat per inſtrumenta in ipſa natura poſita, ſtultificans Monarcham ſereniſſimum, brutificans Regem inuictiſſimum. Ut hodienum dantur, qui ex ambitione, auaritia, paſſionibus aliis fiunt amentes. Debebat, vi reuelationis ipſi Nebucadnezari in ſomno factæ, & à Daniele ingenuè explicatæ, verſ. 11. 12. 13. *Arbor hæc magna & robuſta, cujus proceritas attingebat cœlos, conſpicua in extremis partibus totius terræ, excidi, amputari rami ejus, excuti frondes ejus, fructus ejus diſpergi, fugere feræ de illa, & aues de ramis ejus: ipſe relinqui in terra in vinculo ferreo & æreo, tingi in agreſti herba, & in rore cœli, ac ritu ferarum fœnum in terra comedere: humana ratio illi eripi, & ſenſus indi belluinus. (Magna arbor & fortis: & proceritas ejus contingens cœlum; aſpectus illius erat usque ad terminos uniuerſæ terræ.— Succidite arborem, & præcidite ramos ejus: excutite folia ejus, & diſpergite fructus ejus: fugiant beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis ejus. Veruntamen germen radicum ejus in terra ſinite, & alligetur vinculo ferreo & æreo in herbis, quæ foris ſunt, & rore cœli tingatur, & cum feris pars ejus in herba terræ. Cor ejus ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.)* Sententia ſtricta lata, & data executioni. Fuit *ab hominibus pulſus*, num ab Imperii ſui miniſtris, vel occaſione conſpirationis, vel ipſe potius, quod amentes ſæpe faciunt, ratione orbus excurrerit in ſyluas & montes, in incerto linquimus. *Comedebat fœnum ut bos*, juſtiſſimo nempe DEI judicio ferinos induens mores, depaſcebatur gramina delirus, quod ſibi fuerit imaginatus, ſe eſſe bouem. *Ejus corpus de rore cœleſti tingebatur*, totas ſub dio conſumens noctes. *Pilorum copia ſimilis euadebat aquilis, & unguibus ſimilis volucribus.* Heic forſitan hyperbolici quid, Orientalibus linguis familiare, latitat.

DAN. Cap. VI. v. 23.
Parcunt Leones piis.

Dan. Cap. VI. v. 23.
Daniel lebt unter den Löwen.

M. Tyroff sculps.

DAN. Cap. VI. v. 24.
Danielis hoſtes præda Leonum.

Dan. Cap. VI. v. 24.
Daniels Feinde von Löwen verſchlungē.

C. Sperlingin sculps.

latitat. Quamdiu delirus diſcurſitabat in ſyluis & nemoribus, obſeruatus haud dubiè eminus, ne quid accideret ſiniſtri, creuerant continuò pili capitis & barbæ, ut omnino ſpeciem nactus fuerit hominis feri, ſylueſtris. Id ſanè rationi conſentaneum judico magis, quàm inhærere literæ. Absque miraculo certè, cujus haud euidentia adſunt indicia, ad aquilinarum plumarum craſſitiem accreſcere haud poterant pili. De *unguibus* notum, eos, ni reſcindantur, creſcere continuò, ut tandem, omnino comparari queant cum auium unguibus. Accidit id perſæpe leproſis, item in pulmonum apoſtemate, θηρίωμα dicto *Galeno Epid.* VI. *comm.* 7. 24. Hujusmodi prælongos ungues in decrepito ſene vidit *Bartholinus Cent. II. Epiſt. ult.* imo quiuis experiri poteſt in ſemetipſo, ſi quidem creſcere ſinat ungues ad exemplum Guineenſium & Chinenſium. Quinimò creſcunt ungues etiam poſt mortem. Durante hac Mania, forte per tempus, verſ. 12. *vinculis ferreis & æneis* fuit conſtrictus, ne vel ſibi damnum inferret, vel aliis.

Clarum ita fit ex filo Hiſtoriæ, non adnumerandum eſſe Nebucadnezarem obſeſſis ſiue Dæmoniacis, ſed maniacis potius. Non ulla fit neque dæmonis, neque obſeſſionis mentio, & de reconualeſcente non legitur dæmon ab ipſo receſſiſſe, ſed *mens* ipſi *rediiſſe*, *euoluto* nempe *ſeptem temporum*, id eſt, annorum, *curſu*. Corrigendus proin venit *Wierus*, qui de *Præſtig. Dæmon.* L. I. c. 24. & L. IV. c. 1. regem hunc Dæmoniacis adjudicat. Errarunt quoque *Joſephus*, *Bodinus*, alii, qui reuera transmutatum volunt in bouem, vel, quod *Conſtantinus Manaſſes* vult, in Porcum. *In furorem extremum deuolutus eſt, ſe ipſum inſania quadam animi Deum fecit. Sed horrendum in modum humiliatus eſt à DEO, de humana figura in porci figuram commutatus, ſupplicium hoc propter ſuperbiam ferens.* Aliquoties jam innui, adfuiſſe Maniam, *inſaniam lupinam* vel *caninam* vocat *Aetius Tetr.* 2. *Serm.* 2. c. 11. *Æginet.* L. III. c. 16. Spectant fortè ex Hiſtoria Medica huc, quæ paſſim legimus de cornubus enatis. Legatur *Bartholin. de Unicornu*, & in *Hiſtoriis Anatomicis.*

Dan. Cap. V. verſ. 21.

Et de hominibus eſt pulſus, ac ferino ſenſu præditus, inter onagros verſatus eſt, eumque fœno cibarunt veluti boues, & de rore cœleſti corpus ejus tinctum eſt. —

Et à filiis hominum ejectus eſt, ſed & cor ejus cum beſtiis poſitum eſt, & cum onagris erat habitatio ejus: fœnum quoque ut bos comedebat, & rore cœli corpus ejus infectum eſt. —

Vid. Dan. Cap. IV. verſ. 30.

TABB. DCXLIII. DCXLIV.

Dan. Cap. VI. verſ. 23. 24.

23. — Eſtque Daniel eductus de fouea, neque labes ulla reperta eſt in eo, quia credidit DEO ſuo.

24. Jubente quoque Rege adduxerunt viros iſtos Danielis æmulos, qui detulerant, & conjecerunt in foueam Leonum cum liberis & uxoribus ſuis, quos Leones inuaſerunt, antequam ſolum foueæ attigiſſent, eorumque oſſa omnia comminuerunt.

23. — Eductusque eſt Daniel de lacu, & nulla læſio inuenta eſt in eo, quia credidit DEO ſuo.

24. Jubente autem Rege adducti ſunt viri illi, qui accuſauerunt Danielem: & in lacum leonum miſſi ſunt, ipſi, & filii, & uxores eorum: & non peruenerunt usque ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia oſſa eorum comminuerunt.

VIdimus ſupra ſaluatam ſummi DEI Gloriam miraculo, imperante Nebucadnezare, in mediis Gentiliſmi tenebris, ignem parcentem Danielis ſociis, carnifices conſumentem. Nunc ordo perſecutionis tangit Danielem ipſum. Pro crimine, & læſæ quidem majeſtatis, imputatur ei, quod *tribus temporibus quotidie in genua procumbens benedixerit & orauerit, & confeſſionem expoſuerit DEO ſuo*, v. 10. Defertur is Regi, à quo prius fraudulenter & malitiosè decretum extorſerant aulici æmuli, vi cujus debebat vir pientiſſimus in foſſam Leonum dejici, & voraciſſimis his animalibus cedere in prædam, ut poſſent hoſtes de Daniele ſublato canere triumphum. Sed en mutatam mox ſcenam! parcunt carnifices ἄλογοι, diriſſimi aliàs ſententiæ à Dario latæ executores, innocenti, deuorant accuſatores ipſos. Non ſanè naturæ qualicunque inſtinctu. *Nulla labes reperta eſt* in Daniele, à labe etiam morali immuni, non certè, quod minus ſapida fuerit ejus caro, vel fame haud preſſi fuerint Leones, ſed, quia DEUS ipſe ἐνέφραξε στόματα λεόντων. Hebr. XI. 33. *Credidit* enim *ille DEO ſuo*. Abundè conſtat veritas hæc ex eo, quod accidit, liberato ex foſſa Daniele. *Jubente Rege adducti viri iſti Danielis æmuli, & in foueam Leonum cum liberis & uxoribus ſuis dejecti* impetuntur *à Leonibus, antequam ſolum foueæ attigiſſent, & fuere eorum oſſa omnia comminuta.* Liberationem hanc miraculi plenam haud tribuunt Daniel & Darius ullis naturæ viribus, ſed DEO. Daniel v. 22. *DEUS meus Angelum ſuum miſit, & concluſit ora Leonum, ut non læſerint me, (& non nocuerunt mihi.)* Darius Mandato *ad omnes populos, nationes & linguas in omni terra degentes* miſſo, verſ. 26. 27. *A me decretum eſt factum, ut in uniuerſa ditione regni mei metuant & timeant DEUM Danielis, quum ſit DEUS viuus, & permanens in ſecula, ejusque regnum non deſtruetur, & dominatus ejus perdurat. Qui liberat & eripit, editque ſigna & portenta in cœlo & in terra, qui liberauerit Danielem à Leonibus. (A me conſtitutum eſt decretum, ut in uniuerſo imperio & regno meo tremiſcant & paueant DEUM Danielis. Ipſe eſt enim DEUS viuens & æternus in ſecula: & regnum ejus non diſſipabitur, & poteſtas ejus usque in æternum. Ipſe liberator atque ſaluator, faciens ſigna & mirabilia in cœlo & in terra; qui liberauit Danielem de lacu leonum.)* Addunt Rabbini & Arabes Scriptores pro more circumſtantias alias, quas, quia fabulas redolent, ſilentii ſipario inuoluo. Sed haud abſona ſunt, quæ *Joſephus* tradit, explicaſſe rem ita Danielis hoſtes DEIque oſores, peperciſſe Leones illi, quod fame haud fuerint preſſi, juſſiſſeque proin Regem ante carnibus ſaturos reddere Leones, quàm familiæ illæ miſeræ fuerint in foſſam dejectæ.

Dan. Cap. IX. verſ. 24.

Septuaginta hebdomades præfinitæ ſunt populo tuo & urbi tuæ ad conſummandum ſcelus, & perficiendum peccata, & expiandum iniquitatem, & ad juſtitiam ſempiternam adducendum, & obſignandum viſionem & Prophetas, & ungendum ſupremam ſanctitatem.

Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.

ILluſtrem hanc de aduentu Meſſiæ Prophetiam tractabo eatenus, quatenus Chronologiam, quæ pars Matheſeos eſt, attinet, reliqua aliis relicturus.

Notum eſt & omnibus gentibus receptum, eſſe *ſeptimanam*, ἑβδομάδα, שָׁבוּעַ, Cyclum ſeptem dierum ciuilium. Sed datur in Sacris, & ipſo noſtro Textu aliud hebdomadarum genus, quæ Cyclus ſunt ſeptem annorum. Erit proin diſcrimen inter *ſeptimanas diarias* & *annales*. Adjungi his poteſt *ſeptimana magna annalis*, quæ terminatur ſepties ſeptem ſiue 49. annis, quâ finita celebratum fuit *Jubileum*. Nos heic per Septimanas Propheticas intelligimus annales, atque Judæis, qui, nî cœci manere malint, clarè vident, effluxiſſe dudum terminum à Daniele reuelatum, linquimus quartum, quod fingunt, genus hebdomadarum Propheticarum, quæ Cyclum conſtituunt ſeptem annorum Jubileorum, & pro 70. hebdomadibus dant annos 3430.

Quamuis cum omnibus Sacrarum Literarum Interpretibus Septimanas heic intelligamus annales, adeoque 70. ſeptimanas claudamus limitibus annorum 490. occurrunt nihilominus enodandæ quæſtiones haud leues circa annos, an intelligendi veniant communes Solares, vel Lunares, undecim diebus contractiores?

ctiores? Nos, breuitati ſtudentes, intelligimus Solares, quandoquidem ex Chronologia ſacra conſtat, Judæos menſes quidem uſurpaſſe Lunares, ſed Annos Solares, & propterea neceſſe habuiſſe certis temporibus intercalare menſem integrum, id quod adhuc Judæis eſt familiare.

Grauior eſt quæſtio de termino à quo, & ad quem, ſeptuaginta hebdomadarum Danielis. Recenſuit jam ſuo tempore *Hieronymus* octo ſententiarum diſcrimina, *Pererius* 15. quibus addit decimam ſextam. Propoſiti mei haud eſt, tranare hoc pelagus. Sufficiat propoſuiſſe, quæ placent quàm maximè, & ſcitu ſunt inprimis neceſſaria. Eò redit mens *Joh. Frid. Heilbrunneri Diſſ. de ſeptuaginta Hebdomadibus Danielis*, Præſ. *Joh. Georgio Dorſcheo*, Argentorati 1701. habita, terminum à quo deducendum eſſe à decreto Darii Nothi לְחָשִׁיב וְלִבְנוֹת יְרוּשָׁלִַם, quo reuerti voluit Judæos, & Hieroſolymam reædificari, Cyro antea Templi duntaxat ædificationem annuente. Hunc ſi adoptemus terminum, cadet finis annorum 490. in ipſum tempus deſtructionis Hieroſolymæ, quam Daniel v. 27. vocat *vaſtationem ſuper abominationum ala*, *(in templo abominationem deſolationis,)* βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων. En calculum!

	Anni
Inde à ſecundo anno Darii Nothi durauit Monarchia Perſica - -	92.
Poſt Darii Codomanni cladem Alexandro adſcribuntur - - -	6.
Inde ad CHRISTI paſſionem, quæ juxta Scaligerum in anni primi Olympiadis 203. initium cadit - -	356.
A CHRISTO paſſo ad deſtructionem Hieroſolymæ factam ſecundo anno Veſpaſiani per Titum - - -	36.
	490.

Termini ſpeciales Danieli v. 25. expoſiti inueniuntur ita.

I. Septimanæ 7. quibus Judæi Templum & urbem ædificare poterant ſub Dario Notho & Artaxerxe - -	49.
II. Septimanæ 62. à tempore, quo ſtructura fuit continuata, & Nehemias reuerſus ad Aulam Regis -	434.

Poſt hebdomadas hasce *ſexaginta duas*, inquit Propheta v. 26. *excindetur Meſſias, ut nihil ei: urbem autem & Templum deſtruet adueniens populus principalis, ejusque finis erit per diluuium, & ad finem belli conſummata vaſtitudo. (Poſt hebdomades ſexaginta duas, occidetur CHRISTUS: & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt. Et ciuitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.)* Verſ. 27. *Porrò hebdomas una confirmabit fœdus erga multos, & dimidium hebdomadis abrogabit victimam & oblationem, eritque vaſtator ſuper abominationum ala — (Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium: & erit in templo abominatio deſolationis —)*

III. Hebdomas una, cujus medietas v. 27. incidit in tempus Hieroſolymæ obſeſſæ -	7.
	490.
Juxta Petauium, Uſſerium, Chronologos alios, inchoant ſeptimanæ 70. Periodi Julianæ anno - - -	4260.
Anno Nabonaſſareo - - -	295.
Anno ante CHRISTUM natum - -	454.
Additi his anni CHRISTI - - -	33.
Dant - - -	487.

Incidit proin mors Saluatoris in Septimanam ultimam mediam.

Dan. Cap. X. verſ. 6.

Cujus corpus velut hyacinthus, & cujus facies fulguri ſimilis erat, & oculi ejus ut lampades ignitæ, & brachia ejus cum iis, quæ pedes attinent, veluti ſplendor politi chalybis, & vox verborum ejus ut vox multitudinis.

Et corpus ejus quaſi chryſolithus, & facies ejus velut ſpecies fulguris, & oculi ejus ut lampas ardens: & brachia ejus, & quæ deorſum ſunt usque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis: & vox ſermonum ejus ut vox multitudinis.

QUin χαλκολίβανος Apoc. I. 15. Ezechielis חַשְׁמַל I. 4. ſit ipſum נְחֹשֶׁת קָלָל in Textu noſtro, dubitare haud licet. Coincidit ipſa Filii DEI forma, qualis Triumuiris his Prophetis fuit præſentata. Viſus Ezechieli *ventus turbinis veniens ab Aquilone, nubes magna, & ignis ſeſe reciprocans ſplendens per circuitum, de medio autem ejus tanquam ſpecies Haſmal, de medio inquam ignis. (Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone: & nubes magna, & ignis inuoluens, & ſplendor in circuitu ejus: & de medio ejus, quaſi ſpecies electri, id eſt, de medio ignis.)* Johanni ἐν μέσῳ τῶν ἑπτὰ λυχνιῶν ὅμοιος υἱῷ

ἀνθρώπε — οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῦ ὡς φλὸξ πυρὸς, καὶ οἱ πόδες αὐτῦ ὅμοιοι χαλκολιβάνῳ, ὡς ἐν καμίνῳ πεπυρωμένοι. Καὶ ἡ φωνὴ αὐτῦ ὡς φωνὴ ὑδάτων πολλῶν. Danieli vir, cujus *oculi* erant *ut lampades ignitæ*, *brachia & pedes velut ſplendor politi chalybis*, *& vox verborum ejus ut vox multitudinis*. LXX. οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῦ ὡς λαμπάδες πυρὸς, καὶ οἱ βραχίονες αὐτῦ καὶ τὰ σκέλη ὡς ὅρασις χαλκῦ ςίλβοντος, καὶ ἡ φωνὴ τῶν λόγων αὐτῦ ὡς φωνὴ ὄχλε. De metallo variantes offendimus Interpretum opiniones. Ex Judæis *Jarchi*, *Kimchi*, *Aben Ezra* reddunt *æs purum*, *Saadias* rutilo colore fulgens, Sole inprimis illuminatum. LXX. ἐξαςράπτων, *fulgurans*, Theodotion ςίλβων, *fulgens*. Apud Saadiam ſunt, qui קַלַּח idem volunt, quod קלה, æs excoctum, ab omnibus ſcoriis liberatum, ruberrimo colore veluti ſanguine tinctum, *Gar-Kupfer*. Vulgata *æs candens*, quod congruit cum נְחֹשֶׁת לִיבֹן. Sed reſpondet magis Hebræo קַלַּח Arabum *gelil*, *candens*, *fulgens*, item Chaldæorum גְּלַח, *marmor*, Eſdr. V. 8. Omnes hæ interpretationes volunt politum, fulgens quidpiam, quæ idea vaga communis eſt aurichalco, ærique excocto. De hac re plura vide ad Ezech. I. 4. Uti & de תַּרְשִׁישׁ, quæ ſcripſimus occaſione gemmarum in pectorali Aharonis.

PROPHETA HOSEAS.

Hoſ. Cap. II. verſ. 21. 22.

21. Et erit eo tempore, dicit DOMINUS, annuam, annuam (inquam) cœlis, ipſi autem annuent terræ.
22. Terra annuet frumento, vino & oleo, & illa annuent Jisreeli.

21. Et erit in die illa, exaudiam, dicit DOMINUS, exaudiam cœlos, & illi exaudient terram.
22. Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hæc exaudient Jezrahel.

HAud exigui momenti res eſt concatenatus rerum in mundo exiſtentium, ſeu totius naturæ, nexus. Inde veluti ex largiſſimo fonte innumeri exoriuntur riuuli, qui tandem omnes in infinitum perfectionum Diuinarum mare ſe exonerant, nosque eò ducunt. Adſunt in toto hoc itinere veſtigia DEI, infinitæ Potentiæ, Sapientiæ ac Bonitatis Diuinæ: reciprocatio actionum & paſſionum: Harmonia pulcherrima terricolis uſu veniens. Haud ignota fuit hæc veritas Gentilibus, licet nebulis ſubinde inuoluta. Hinc forſitan *Platoni*, ſi ad literam ejus verba interpretari liceat, integer mundus ingens viſus fuit animal continuo ſpiritus uniuerſalis influxu animatum, qui in ſpecie ex Cœlo, Sole, Aſtris, Luna omnia in hac terra, homines, animalia, plantas moueat & foueat. Diuo *Hippocrati* noſtro videbatur calidum hoc uniuerſale & cœlum ipſum immortale quid & diuinum. Ita is *Lib. de Carnib.* Δοκέει δέ μοι, ὃ καλέομεν θερμὸν, ἀθάνατόν τε εἶναι, καὶ νοέειν πάντα, καὶ ὁρᾶν, καὶ ἀκέειν, καὶ εἰδέναι πάντα, καὶ τὰ ὄντα, καὶ τὰ ἐσόμενα. τῦτο ἓν τὸ πλεῖςον, ὅτε ἐταράχθη πάντα, ἐξεχώρησεν ἐς τὴν ἀνωτάτω περιφορὴν. Καὶ ὀνομῆναί μοι αὐτὸ δοκέουσιν οἱ παλαιοὶ αἰθέρα. ἡ δευτέρα μοῖρα, ἡ κάτωθεν αὐτῆ καλεόμενα μὲν γῆ, ψυχρὸν καὶ ξηρὸν. *Et videtur ſanè mihi id, quod calidum vocamus, immortale eſſe, & cuncta intelligere, & videre, & audire, & ſcire omnia, tum præſentia, tum futura. Hujus igitur plurima pars, quum turbata eſſent omnia, in ſupernam circumferentiam ſeceſſit. Et videntur mihi ipſum Veteres æthera nominaſſe. Altera pars inferna appellatur terra, frigidum & ſiccum.* Huic forſitan fundamento innititur potior Idololatriæ Ethnicæ pars. Hinc eſt, quod Ægyptii, Chaldæi, Perſæ, Arabes, Græci, Romani ignem & lucem, Solis in ſpecie, coluerint pro DEO, quod obſeruauerint, pendere inde vitam & augmentum omnium corporum terreſtrium. Non eſt, cur vel miremur adeò, vel deteſtemur, hæc Veterum dogmata, quàm modernorum Atheorum, Deiſtarum, Naturaliſtarum ſomnia abſurdiſſima, qui, licet meliora ex Verbo DEI reuelato, & ſaniore longè, quàm illa Veterum fuit, Philoſophia edocti, viſibilem hunc mundum pro DEO agnoſcunt. Huc collimat Veneti illius Nobilis *Contarini* opinio de Stellis animatis, qua veluti peſte Patauinum Lyceum fuit infectum: *Thomæ Campanellæ* ſomnia, expoſita *Libro de Senſu Rerum & Magia*, de mundo viua ſtatua DEI, imo DEO ipſo, de omnibus rebus, quod animam habeant, & ſenſum: *Berigardi*, Profeſſoris Patauini, in *Circulo Phyſico* recocta Democriti & Epicuri dogmata; impia *Hobbeſii*, *Rob. Fluddii*, *Bodini*, *Vannini*, *Spinozæ* cogitata, apud quos omnes, ſed craſſo ſenſu

- - - - *Jouis omnia plena*

Spiri-

Hos. Cap. IV. v. 16.
Buccula indomita.

Hoſ. Cap. IV. v. 16.
Die unbändige Kühe.

I. A. Fridrich sculps.

Spiritus intus alit, totumque infuſa per orbem
Mens agitat molem.

Prolabetur facile in cogitata haud minus abſurda, qui ſoli literali ſenſui Textus noſtri, & præcellentis diuinæ promiſſionis inhæret; adſcribet vocem articulatam, auditum, intellectum non DEO ſoli, ſed & *cœlis*, *terræ*, imo *frumento*, *vino*, *oleo*. *Annuet* enim *DEUS cœlis*, *ipſi autem annuent terræ*, *terra annuet frumento*, *vino & oleo*, *& illa annuent Jisreeli*. LXX. ἐπακούσομαι τῷ οὐρανῷ, καὶ αὐτὸς ἐπακούσεται τῇ γῇ, καὶ ἡ γῆ ἐπακούσεται τὸν σῖτον, καὶ τὸν οἶνον, καὶ τὸ ἔλαιον. Sed abſit à nobis, imò longiſſimè abſit, ut hujusmodi formemus ideas ſummè injurioſas DEO, rationi contrarias. Sepoſito, quem aliis linquimus, ſenſu metaphorico, ad Eccleſiam Noui Teſtamenti applicatiuo, exaudit DEUS pro infinita ſua ſapientia & bonitate cœlum, terram, vinum, oleum, terricolas, ſi ita dirigit actiones ſolis, aëris, caloris, luminis, temporum anni, pluuiæ, niuis, roris, nubium, ut conueniunt hæc omnia alendis plantis, maturandis frugibus, conſeruandis animalibus & hominibus, & naturali ſenſu docent verba Textus nexum concatenatum agentium & patientium. Ordinatiſſima eſt heic συγκατάβασις. DEUS adloquitur cœlos, adloquendo jubet, jubendo efficit. Ad nutum obediunt creaturæ. Dicit DEUS & facit, ἄματε ἔπος, ἄματε ἔργον. Cœlorum influxui paret terra, terræ frumentum, vinum, oleum.

TAB. DCXLV.

Hoſ. Cap. IV. verſ. 16.

— Sicut buccula indomita defecit Iſrael —

— Sicut vacca laſciuiens declinauit Iſrael —

EST פָּרָה סֹרֵרָה, *parah ſorerah*, propriè vacca œſtro vel culicibus aliisue inſectis percita, domari neſcia. Hinc eleganter Græci, ὡς δάμαλις παροίζησεν Ἰσραὴλ, & ita quoque Ezech. II. 6. סֹרְרִים reddunt, παροιζήσασι. Anſam dant bina hæc loca loquendi de animalculo vetuſtiſſimis quoque Poëtis noto, ὄιστρος, *aſilus*, μύωψ, *tabanus*, *Bräme*, *Roßbräme* dicto. Apud Scholiaſten Homeri & alios legitur fabula de Bellerophante, qui propriarum actionum gloriâ tumidus, Pegaſo inſidens, interiora cœli propius videndi cupidus, ab eodem hoc equo alato, œſtro à Joue percito, fuerit præcipitatus. Egregium ambitioſorum, ſuperborum, emblema, quos nunc ouantes, mox lapſabundos videtis. Ita in *Nonni Dionyſiacis* L. XI. Ampelus, Bacchi fauorem emeritus, Tauro vectus eodem œſtro puncto fuit dejectus. Sic Jo, Inachi filia, in vaccam mutata, irritatá hac à Junone, ad fines usque mundi fuit expulſa. Lege *Sophoclem in Electra*, *Moſchum Idyll. 2. Virgil. Georg.* L. III. *Æſchylum in Prometheo vincto*, *Palæphatum*. De vaccis taurisue œſtro percitis, hinc vago & inſano motu hinc inde jactatis, ſufficiat allegare *Oppiani* teſtimonium.

Βέτυπος, ὀτρηροῖσιν ἐπισπέρχων ὠδυνῆσι.
Πάντῃ δὲ βρυχῇ, πάντῃ δὲ οἱ ἴχνια χηλῆς
Εἱλεῖται. Τοίη μιν ἄγει δρομέια θύελλα.

Neque ipſis curæ eſt bubulcorum authoritas, neque paſcuum,
Neque armentum. Prato autem & ſtabulis omnibus relictis,
Agitantur rabie perciti. Neque ullus ipſis
Amnis, neque mare imperuium eſt, nec petrarum fiſſuræ
Abruptæ, nec ſcopulus ullus, quantumuis inuius, ſiſtit
Impetum taurinum, quando incumbit acriter impellens
Aſilus, grauibus urgens doloribus.
Ubique autem mugitus, ubique ungulæ veſtigia
Verſantur, talis eum rapit acerba procella.

Sunt quidem סֹרְרִים apud Ezechielem in genere rebelles, refractarii, & apud Ægyptios *Sarabaitæ* ex Monachis illi, *quibus pro lege eſt deſideriorum voluptas. Cum quicquid putauerint, vel elegerint, hoc dicunt ſanctum, & quod noluerint, putant non licere. Caſſian. Collation.* 18. c. 4. Eodem generali ſignificatu cluet apud Hoſeam סָרַר *ſarar*, & eſt פָּרָה סֹרֵרָה vacca refractaria, ſed quia talis fit œſtro percita, commodiſſimè adhibuere LXX. vocem παροιζεῖν, & eſt apud Arabes *Sarran* culicis ſpecies, inſidioſa valde hominibus. Affinia quodammodo ſunt Perſarum *chærpeſè*, *Tabanus*, *Meninzk. Lex.* 2643. Arabum *nu-æret*, *næ-æret*, *muſca cœrulea viridibus*

Οὐτέ τι βοῦρβιῶν μέλεται σέβας, ἅτε νομοῖο,
Οὔτ' ἀγέλης. ποίην δὲ καὶ ἄυλια πάντα λιπόντες,
Σεύονται λύσσοι τεθοωμένοι. Οὐ δέ τις αὐτοῖς
Οὐ ποταμῶν, ἠ πόντος ἀνέμβατος, ἠδὲ χαράδραι
Ῥωγάδες, ἠ πέτρη τις ἀφοίητος κατερύκει
Ῥιπὴν ταυρείην, ὅτ' ἐπισπέσοι, ὀξὺ κελεύων

ridibus oculis, magno corpore, ſtimuligerâ caudâ, quæ ſolidæ ungulæ animantia fere in capite mirè infeſtat, ſubinde & aſini nares ſubit, œſtrum ſiue tabani genus, ſed cui aculeus in cauda. Id. 5209. Illuſtrando Textui apprimè inſeruit ſequens deſcriptio *œſtri*, ſiue *tabani*, *aſili*, ex *Ant. Vallisnieri Raggionamento intorno all' Eſtro de Buoi &c. nelle Eſperienze & Oſſeruazioni intorno all' origine, ſuiluppi e Coſtumi di vari Inſetti* p. 117-154. *item Conſiderazioni ed Eſperienze intorno alla generazione de' vermi* p. 42.

Eſt itaque *Oeſtrum*, maximæ molis cornigeris animantibus adeò formidabile, muſcæ ſpecies aculeo forti ad aluum munita, quo cutim bouis perforat, in foramen deponit ouulum unà cum acerrimo ſucco, qui læſo animali acerbiſſimos cauſatur dolores. Ouulum quamdiu in ſuo ſucco jacet, manet vulnus apertum, hauritque animalculum in alieno territorio natum aërem pro vitæ ſuæ ſuſtentaculo. Ex ouulo nempe naſcitur vermiculus, *Tarlo*, *Tarolo*, qui augetur ſenſim absque notabili bouis incommodo. In hoc nido hæret vermiculus per integrum hyemis decurſum, augeſcens magis & magis, eò quidem usque, ut ipſa cutis in loco vulnerato eleuetur in tumorem. Æſtate proxima mutatur Nympha in Chryſalidem, ex qua tandem prodit ipſa muſca volitans. Liberata hæc è carcere cutis bouillæ inuolat proximis quibusque dumetis, vel arboribus, victitans heic, uti inſecta alia, ſucco florum, fructuum, herbarum, ipſis etiam excrementis animalium. Ubi nuptias ineunt mas & fœmina, hæc grauida facta cuti bouis pabulantis inſidens eam modo ante dicto perforat, nouamque ibi deponit ſobolem. Fit id præſertim interdiu, noctu quippe torpidum eſt œſtrum, alis à rore humectatis, quapropter paſtoribus *Virgilius* ſuadet, ut pecora ſua noctu ducant pabulatum, vel bono manè, & *Homero* teſte duplex dabatur diarium iis, qui noctu paſcebant vaccas, boues, equos, interdiu oues & capras, quibus propter pilos longos & denſos tabani minus ſunt, quàm breuipilis animantibus, infeſti. Actiua inprimis ſunt & bellicoſa Oeſtra inſtante tempeſtate vel pluuia, qua temporis circumſtantia minus habent à Sole periculi ouula depoſita.

Jumenta illa, ſi in ſtabulis degant, & ſollicitè ſtrigilentur, ſecuriora ſunt ab œſtris, quia ouulis non conceditur, quâ indigent, hoſpitandi mora.

Rarò vel nunquam inuenias vermiculos hosce in cruribus, quò cutim caudâ verberare poſſunt jumenta, vel linguâ ſeſe lingere, ſed ordinaria ſedes ſunt nates, ſcapulæ, collum, ubi 30. ſæpe reperias eadem ſerie locatos. Rarò item infeſtant jumenta præpinguia, vel maleſana, vel non ante ab œſtris læſa.

Tuberculum quoduis, in quo nidulatur vermiculus, in medio ſui habet foramen, quod ampliatur magis & magis, ad inſtar uteri. Sed non ad ultimum maturitatis ſtatum pertingunt vermiculi omnes, pereunt ante multi, quàm excludi queant, & ſpeciatim in iis jumentis, quæ aratro applicata Solis exponuntur ardori, ſecuriores longè, ſi, quæ hoſpitium præbent, libertate ſua gaudeant, & inter pabulandum arborum umbrâ.

Digito ſi tuberculum molliter tangas, latentem ibi vermiculum ſenties facile, qui extractus mobilior eſt tantò, quò maturior.

Tuberculum ſi prematur, vermiculo paruo exiſtente & immaturo, & loculamento ſuo exprimatur, ſequitur ſanguis, isque paucior, quò ille eſt maturior, nullus, inſecto maturo.

Violenta preſſione prodit vermiculus aluotenus, maturus verò ſi ſponte prorepat, caput prius exerit, uti omnia alia animantia nutrita in utero.

Frequentiores ſunt hi vermiculi jumentis pabulantibus in collibus, montibus, pratis ficioribus, & prope dumeta aut ſyluas: Tauris item, vaccis & equis potius quàm vitulis.

Sub cute deliteſcunt hi vermes per 9. vel 10. menſes.

Lucem fœnerabuntur explicationi figuræ ſequentes.

Fig. I. Vermis Oeſtri ex cute bouina, vel vaccina. a. pars craſſior & poſterior. b. tenuior anterior.

Fig. II. Vermis idem ventre ſupino. c. pars anterior. d. poſterior, ubi ſpiracula.

Fig. III. Vermis per longitudinem ſectus, capite truncatus, ubi in conſpectum veniunt Tracheæ cum ſuis ramis. e. pars poſterior, ubi ſunt ſpiracula. f. pars anterior.

Fig. IV. Chryſalis, in qua conſpicitur Nympha Aſili nondum plenè matura dorſotenus. m. pars ſuperior. n. poſterior.

Fig. V. Eadem Nympha intra Chryſalidem ventretenus ſpectata. o. pars capitis. p. pars caudæ.

Fig. VI. Chryſalis alia perfectior, & aperta, in qua conſpicitur Nympha formâ infantis faſciis inuoluti. q. pars capitis, ex quo prodit canaliculus, quo vermis incluſus nutrimentum quærit. r. pars caudæ, è qua prodeunt tres canaliculi, unus pro excrementis ani, duo laterales pro reſpiratione.

Fig. VII. Vermis ſub bonæ notæ microſcopio conſpectus, ventre ſupino. ſ. pars poſterior. t. u. ſpiracula. x. pars capitis.

Fig. VIII. Oeſtrum ipſum perfectè elaboratum, iterum ſub microſcopio.

Hoſ. Cap. V. verſ. 12. 14.

12. Et ego fui ipſi Ephraim ut tinea, & inſtar teredinis domui Juda.
14. Ego ſum ut Panthera ipſi Ephraim, & ſicut Leunculus domui Juda. —

12. Et ego quaſi tinea Ephraim: & quaſi putredo domui Juda.
14. Quoniam ego quaſi leæna Ephraim, & quaſi catulus leonis domui Juda. —

IN uniuerſo præter DEUM & mundum tum viſibilem, tum inuiſibilem, à DEO creatum, nihil eſt. DEUS, Ens incomprehenſibile, pro infinita ſua bonitate ſeſe approximat nobis, & per emblemata à corporibus variis nobis cognitis deſumta ſeſe cognoſcendum dat. Maximæ autem minimæque molis corpora quia DEI ſunt opera, & ex minimis non minus quàm ex maximis DEI potentia, ſapientia & bonitas prolucet, mirari nemo debet, quod Ter Maximus & Altiſſimus, qui æternitatem ipſam poſſidet, ſeſe comparet non ſolùm *Pantheræ* & *Leunculo*, ſed quoque *Tineæ* atque *Teredini*. Minimi puncti animalculis illis repræſentat judicia ſua ſuffodientia ſenſim & veluti per cuniculos, ut beſtiarum ferocium ſymbolo ea, quæ turbinis ad inſtar impetuosè irruunt, & obuia quæque protinus conſumunt.

עש *aſch* pro *tinea* legitur etiam Job. IV. 19. XIII. 28. XXVII. 18. Pſal. XXXIX. 12. L. 9. Jeſ. LI. 8. רָקָב *rakabh*, *teredo*, in genere ſignificat putredinem omnem, non ligni duntaxat, ſed & oſſium. Prov. XIV. 30. *Zelus oſſium tabo (putredo oſſium inuidia)* eſt, וְרִקְּבוֹן עֲצָמוֹת. Radix רָקַב *putreſcere*. Ex qua tamen probari nequit putridum illud de inſectorum ex putredine ortu ſyſtema. Aliud eſt, generari in putredine, aliud ex putredine. Voci רָקָב affinis quodammodo eſt Arabum *eræza*, *eræzæt*, teredo. *Meninzk. Lex.* 2411. 5706.

שַׁחַל *ſchachal* eſt *Panthera*, *Pardus*, πανθὴρ, Tigridis genus rapaciſſimum, voraciſſimum, velociſſimum, maculis rotundis inſigne. Denotat aliàs שַׁחַל & שַׁחַר nigrum *Leonem*.

כְּפִיר *Cephir* eſt *Leunculus*, de quo alibi.

Binarum harum beſtiarum ſæuarum & aſtutarum ſymbolo DEUS ſe ipſum ſiſtit, & judicia ſua conſumtiua non heic duntaxat, ſed & alibi in Scriptura, Job. X. 16. Thren. III. 10. Jer. XXV. 37. 38. Jeſ. XXXI. 4. Hoſ. XIII. 7. 8. ut peccatoribus notum fiat, quàm ſit φοβερὸν τὸ ἐμπεσεῖν εἰς χεῖρας ΘΕΟΥ ζῶντος, Hebr. X. 31.

Hoſ. Cap. VI. verſ. 3.

Et ſciemus, ſectabimurque ad cognoſcendum DOMINUM; ut aurora paratus eſt egreſſus ejus, & veniet nobis ſicut pluuia, ſicut ſerotina & tempeſtiua pluuia terræ.

Sciemus, ſequemurque, ut cognoſcamus DOMINUM: quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus ejus, & veniet quaſi imber nobis temporaneus & ſerotinus terræ.

EGregiè heic *auroræ*, *pluuiæ*, imò *pluuiæ ſerotinæ* & *tempeſtiuæ* comparatur gratia DEI illucens animæ calamitatibus variis preſſæ, Halcyonia Eccleſiæ poſt præuias graues perſecutiones, illuminatio mentis denſiſſimis ignorantiæ & impietatis tenebris immerſæ. Qui aliquandiu per tenebroſam vallem ambulauit, ei gratius nihil accidere poteſt aurorâ, acceptius nihil & dulcius animæ ab urenti ira DEI torrefactæ quàm gratioſa pluuia. Ut flacceſcere videmus plantas continuo per dies & ſeptimanas ardore Solis, imò torreri, exhalante ſucco, neque reſtaurato, ſed refocillari & veluti reuiuiſcere à pluuia lapſa, adimpletis de nouo nutritiis vaſis. Experimur hanc pluuiæ neceſſitatem atque utilitatem in noſtris etiam climatibus, ſi quando æſtate extorrida nimis gramina torrentur ad radices usque, fructus arborei ſiccitate contrahuntur, vel planè decidunt, uuæ corrugantur. De Orientalium Regionum pluuia ſerotina atque tempeſtiua docuimus alibi, quæ ſcitu ſunt neceſſaria.

Hoſ. Cap. VI. verſ. 4.

Quid faciam tibi, o Ephraim? quid faciam tibi, Juda? Pietas veſtra eſt quaſi nubes matutina, & veluti ros manè veniens & abiens.

Quid faciam tibi, Ephraim? Quid faciam tibi, Juda? miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens.

טַל מַשְׁכִּים, *ros matutinus*, δρόσος ὀρθρινὴ, item ῥανὶς δρόσου ὀρθρινὴ, *gutta roris matutina*, Sap. XI. 23. eſt ros ille, qui nocturno aëris frigore collectus & condenſatus bono manè relabitur in terram & plantas, mox verò à Sole oriente, vel ventis diſſipatur: ſic עֲנַן בֹּקֶר, *nubes matutina*, νεφέλη πρωϊνὴ, nubecula tenuis, quæ pariter exoriente die à cauſis memoratis diſpellitur. Meteoris hisce confert Propheta impetum ad pietatem, qui breui durat, ſollicitationem ad vitam virtuoſam, ſed mox diſparentem.

Hoſ. Cap. VII. verſ. 11.

Et factus eſt Ephraim ſicut columba (a) ſtolida, & ſine corde.

(a) Vecors vel excors.

Et factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta, non habens cor.

I*Nuocaſſe* leguntur eodem commate Iſraelitæ *Ægyptios, & profecti ad Aſſyrios, ſtolidæ* ad inſtar *columbæ*, quæ hac illac volitat, neſcia quorſum. פֹּתֶה *ſimplex*, vox eſt, quæ in laudem cedit & opprobrium. Priori ſenſu ſimplicitas cordis comitem habet probitatem, ſinceritatem. Sumitur de homine antiquæ fidei, à quo abeſt omnis dolus; hoc ſenſu vult CHRISTUS, ut ſimus ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί. Matth. X. 16. Poſteriori ſenſu juncta ſimplicitati eſt ſtoliditas, fatuitas. Ita heic *Ephraim eſt ſicut columba ſtolida, & ſine corde*, ὡς περιστερὰ ἄνους, ἐκ ἔχουσα καρδίαν, ſibi ſuisque rebus conſulere neſcit.

Hoſ. Cap. VIII. verſ. 9.

Quoniam ipſi aſcenderunt in Aſſyriam (veluti) onager, qui ſibi relictus eſt ſolus. —

Quia ipſi aſcenderunt ad Aſſur, onager ſolitarius ſibi. —

VIta onagri ſolitaria non eò intelligenda venit, acſi ſui ipſius generis ſocietatem fugiat. In Phrygia & Lycaonia colliguntur in greges, teſte *Varrone Ruſtic.* L. II. c. 6. ἀγελάζονται κατὰ πλῆθος, *gregatim colliguntur*, *Pollux.* Et integrum fœminarum gregem ducit mas. *Plin.* L. VIII. c. 30. Eſt itaque onager בּוֹדֵד *ſolitarius*, quia Eremita eſt, in deſerto viuit, *ſibi relictus ſolus. Velut onagri exeunt in ſolitudinem ad opus ſuum.* Job. XXIV. 5. Vi interminationis Hieroſolymæ factæ debebat ſplendida hæc urbs deſtruenda *redigi in onagrorum luxum.* Jeſ. XXXII. 14. Maniacus Nebucadnezar *verſari inter onagros.* Dan. V. 21. DEUS ipſe ita adloquitur Jobum. XXXIX. 6. *Onagri domum ſolitudinem poſcui, & cubilia ejus locum ſterilem. (Onagro dedi in ſolitudine domum, & tabernacula ejus in terra ſalſuginis.)* Applicatio proin Textus hæc eſt, quod Ahas, aſinus ferus & indomitus, inuito DEO, unico Iſraelis Paſtore, Legatos miſerit ad Thiglath Pileſarem, ut *aſſereret ipſum de manu Regis Syriæ, & de manu Regis Iſraelis.* 2. Reg. XVI. 7.

Hoſ. Cap. X. verſ. 4.

Loquuti ſunt verba (a) dejerando in vanum, & fœdus pangendo, germinabitque ceu abſinthium judicium in ſulcis agrorum.

(a) Al. execrando vel deuouendo.

Loquimini verba viſionis inutilis, & ferietis fœdus: & germinabit quaſi amaritudo judicium ſuper ſulcos agri.

DE voce ראש *roſch*, quod *cicutam* potius denotet, quàm vel *abſinthium*, vel *fel*, vel ἄγχωσιν, quam LXX. habent, egimus ad Jer. IX. 15. Quadrat inprimis Textui noſtro: Colligite in unum conſilia, pangite fœdera, conjurate, omnia hæc veneno erunt vobis, Regnoque veſtro.

Hoſ. Cap. X. verſ. II.

Ephraim eſt ceu vitula (a) aſſueta, diligit triturам, & ego tranſiui ceruicem ejus pinguem, feci geſtare Ephraim: Juda arabat, Jacob confringebat ei glebas.

(a) Scil. ad agricolationem.

Ephraim vitula docta diligere triturам, & ego tranſiui ſuper pulchritudinem colli ejus: aſcendam ſuper Ephraim, arabit Juda, confringet ſibi ſulcos Jacob.

ISraelem *bucculam indomitam* vidimus ſupra Hoſ. IV. 16. Heic *Ephraim eſt ceu vitula aſſueta, diligit triturам.* LXX. Ἐφραὶμ δάμαλις δεδιδαγμένη ἀγαπᾶν νεῖκος. *Ephraim vitula docta diligere contentionem.* Florebant decem Tribus, poſtquam Pekah, Remaliæ filius, Syriæ Regi Rezim fœdere junctus, vaſtauerat Tribum Juda, occiſis uno die viris fortibus 120000. & abductis è ſequiori inprimis ſexu 200000. ſed, monente Propheta, iterum dimiſſis 2. Paral. XXVIII. 6. Proſperum hunc Iſraelitarum ſtatum deſcribit Hoſeas in Textu. Ubi notandum, vitulam hanc, ſeu bucculam, non fuiſſe aſſuetam agricolationi, ſed triturationi, labori longè faciliori, & gratiori, utpote quo non fuere ſub jugo, liberumque erat vi Legis Diuinæ ore haud obturato comedere de ipſo frumento per triturам excuſſo. Sub jugo patiebantur multùm jumentorum colla, & nudabantur pilis, ſed heic, dum trituræ nauabant operam, laudatur *ceruicis* pulchritudo: *Ego tranſiui ceruicem ejus, ich fuhre ihr über ihren ſchönen Hals*, LXX. ἐγὼ δὲ ἐπελεύσομαι ἐπὶ τὸ κάλλιξον τῆ τραχήλε αὐτῆς, id eſt, agnoui eam pro mea, pro membro gregis mei. Sed quia triturationem antecedit aratio, & confractio in glebas, quæritur, quisnam hisce laboribus durioribus fuerit defunctus? Reſpondet & ad hanc quæſtionem Propheta, *feci geſtare Ephraim*, אַרְכִּיב אֶפְרַיִם, *equitare faciam Ephraim*, LXX. ἐπιβιβῶ Ἐφραὶμ, *ſupponam Ephraim.* Sed *Juda arabat, Jacob confringebat in glebas;* aliter longè legunt LXX. παρασιωπήσομαι Ἰούδαν, ἐνισχύσει αὐτῶ Ἰακὼβ, *reticebo Judam, roborabitur ſibi Jacob.* Modum, quo triturare ſoliti fuerint ſub dio Judæi, jumentorum cornigerorum ope, expoſui alibi, & nî fallor contuli cum Hottentottorum more, apud quos pari ratione triturам exercent equi, quam deſcribit atque depingit Cl. *Kolb. Cap. Bon. Spei.* p. 118.

Hoſ. Cap. XI. verſ. II.

Terrebuntur ſicut auicula ex Ægypto, & quaſi columba de terra Aſſur, collocaboque eos in domibus, dicit DOMINUS.

Et auolabunt quaſi auis ex Ægypto, & quaſi columba de terra Aſſyriorum: & collocabo eos in domibus ſuis, dicit DOMINUS.

METiculoſum cluet animal *columba*, varias hinc ſuppeditat parabolas Scriptoribus ſacris atque profanis. Audi Arethuſam Nympham querulam de propria ſua meticuloſitate,

& Alphei perſecutoris rabie, apud *Ouid. Met.* L. V. *Fab.* 10.

Sic ego currebam, ſic me ferus ille premebat,
Ut fugere accipitrem penna trepidante columbæ,
Et ſolet accipiter trepidas urgere columbas.

Triſt. L. I. *Eleg.* 1.

Terretur minimo pennæ ſtridore columba,
Unguibus, accipiter, ſaucia facta tuis.

Valerius Flaccus de Medea L. VIII. *de Argonautis.*

Ecce! autem pauidæ virgo de more columbæ,
Cum ſuper ingenti circumdata præpetis umbra,
In quemcunque tremens hominem cadit. Haud ſecus illa
Icta timore graui, mediam ſe miſit, &c.

Sophocles in *Ajace* v. 139.

- - - - πεφόβημαι
Πτηνῆς ὡς ὄμμα πελείας.

- - - - - - *Timeo,*
Ut volucris oculus columbæ.

Suidas in πελειάδες.

Δειλῴ τοι δείλοισιν ἐφεδρεύουσι πέλειαι.

Timidæ timidis inſident columbæ.

Hinc τρήρων audit columba *Homero*, ἐπεὶ διὰ τὴν ἀσθένειαν ὑλαβὴς ἡ ὄρνις ἄυτη τρεῖν ἐξὶ τὸ ὑλαβεῖσθαι, *quia præ imbecillitate timet.* Occurrit hæc vox pro *timere* etiam apud *Apollonium in Argonaut.* L. III. v. 541.

Τρήρων μὲν Φεύγουσα βίην κίρκοιο πελειὰς,
Ὑψόθεν αἰσονίδεω πεφοβημένη ἔμπεσε κόλποις.

Pauida quidem fugiens vim accipitris columba,
Ex alto terrefacta in Æſonidæ ſinum incidit.

Ita Ezech. VII. 16. *Qui reliqui facti fuerint ex eis, (qui fugerint ex eis,) euadentes ſcilicet*, ex deſtructione Hieroſolymæ, *erunt in montibus ſicut columbæ conuallium.*

Hoſ. Cap. XIII. verſ. 3.

Idcirco erunt ceu nubes matutina, & ceu ros mane cadens, & abiens, & ſicut quisquiliæ, quas jactat turbo de horreo, & veluti fumus de (a) fumario.

(a) Supple, exiens.

Idcirco erunt quaſi nubes matutina, & ſicut ros matutinus præteriens, ſicut puluis turbine raptus ex area, & ſicut fumus de fumario.

Vid. Hoſ. Cap. VI. verſ. 4.

Hoſ. Cap. XIII. verſ. 7.

Et factus ſum eis ſicut Panthera, & ſicut Pardus ad viam (a) inſidiabor.

(a) Alii legunt, in via Aſſur.

Et ego ero eis quaſi leæna, ſicut pardus in via Aſſyriorum.

VErnacula noſtra: *Ich will ihnen ſeyn wie ein Leopard, und wie ein Pardel auf der Straß gegen Aſſyrien.* Fundatur expoſitione τῶν LXX. καὶ ἔσομαι αὐτοῖς ὡς Πανθὴρ, καὶ ὡς Πάρδαλις κατὰ τὴν ὁδὸν Ἀσσυρίων. Πανθὴρ alia videtur beſtia à πάρδαλι. Diſcrimen apud Græcos quoque Scriptores obuium urget inprimis *Leo Allatius in Hexaëmer.* Contra quem 10. argumentis probat *Bochart. Hieroz.* P. I. L. III. c. 7. 8. unius eſſe generis has beſtias. Textus originalis habet שַׁחַל & נָמֵר, quarum vocum prior reddenda potius per *Leonem*, poſterior per *Pantheram.* Docet nos etiam Cl. *Kolb. Cap. Bon. Spei.* p. 156. vix differre *Pardum* & *Pantheram*, niſi fortè magnitudine, ut etiam differunt inter ſe equi, vaccæ; ſed alium eſſe *Pardum* à *Tigride*, huic maculas eſſe pulchriores, rotundiores, clauſas magis, coloris obſcurè fuſci, refertas pilis flaueſcentibus: illas verò Pardi formâ eſſe ſoleæ equinæ, & non planè clauſas: Tigridem etiam Pardo majorem.

Vidimus jam ſupra, differre nos Tigurinos à nobis. Vernaculam Verſionem ſuſtinet Hieronymus, & Syrus. Latina verò, *ad viam ſpeculabor*, Hebræa voce אָשׁוּר fundatur, quæ ſignificat, *obſeruabo, ſpeculabor, inſidiabor.* אָשׁוּר nempe legerant Græci pro אַשּׁוּר. In literis ipſis nulla eſt variatio, ſed duntaxat in vocalibus. Sed hanc litem terminandam linquo iis, qui pro & contra vocalium diuinitatem pugnant.

Hoſ.

Hos. Cap. XIII. vers. 8.

Occurram eis ut ursus orbatus, & lacerabo (a) pertinax cor eorum. Deuorabo eos ibi sicuti Leæna, fera agrestis dissecabit eos.

(a) Ebr. conclusum, hoc est, obstinatum, pertinax.

Occurram eis quasi ursa raptis catulis, & dirumpam interiora jecoris eorum: & consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos.

EST, quod nemini non notum, sæua bestia *Ursus*, catulis inprimis orbatus. Husai ad Absalonem ita 2. Sam. XVII. 8. *Tu nosti, quod pater tuus militesque ejus viri sint strenui, & fortes, ad hæc amaro animo, non secus ac ursus in campo (catulis suis) orbatus. (Tu nosti, patrem tuum, & viros, qui cum eo sunt, esse fortissimos & amaro animo, veluti si ursa raptis catulis in saltu sæuiat.)* Solomon Prov. XVII. 12. *Satius est, virum occurrere ursæ orbæ, quàm stulto in stultitia sua. (Expedit magis ursæ occurrere, raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti sibi in stultitia sua.)* Contestatur idem de Tigride *Seneca* in *Medea*.

Ut Tigris orba gnatis
Cursu furente lustrat
Gangeticum nemus. —

Martialis III. Epigr. 44.

Non Tigris catulis citata raptis,
Non Dipsas medio perusta Sole,
Non sic Scorpius improbus timetur.

De Urso catulis orbo lege 2. Sam. XVII. 8. אֶקְרַע סְגוֹר לִבָּם, *dirumpam clausuram cordis eorum*, nos, *lacerabo pertinax cor eorum*, *ich will ihnen das Schloß ihres Hertzens zerreissen.* Ubi per *clausuram cordis* commodè intelligi potest *pericardium*, utpote quod cor claudit. Nisi malis concamerationem osseo-carnosam totius thoracis, quæ disrumpi, lacerari debet, siquidem *Leo*, cordis inprimis auidus, appetitui suo velit facere satis. Spectat huc illud *Homeri Iliad.* Χ. v. 115.

— ἀπαλόν τε σφ' ἦτορ ἀπήυρα —

— *tenerumque ipsis cor abstulit* —

Paraphrasis Apollinaris in Psal. VII. 3.

Μήποτ' ἐφαρπάξειε λέων ἐμὸν ὅια τις ἦτορ.

In Ps. LVI. 14.

Ῥύσατο δὲ σκύμνων σλοῶν μέσον ἦτορ ἐμεῖο,

Liberauit autem cor meum è medio Leunculorum pernicioſorum.

Hos. Cap. XIV. vers. 7. (8.)

Reuertentur, qui habitabant sub umbra ejus, reuiuiscent ut frumenta, & florebunt ut vitis, memoria ejus erit ut vinum Libani.

Conuertentur sedentes in umbra ejus: viuent tritico, & germinabunt quasi vinea: memoriale ejus sicut vinum Libani.

CONSISTIT plantarum vita, ut illa animalium, in circulo succi nutritii per structuram organicam. Attamen notabile est discrimen inter vegetabilium & animalium vitam. Est hæc nobilior sociata sensu & motu. Quapropter nulla plantarum animalibus accedit propius, quàm herba *Mimosa* seu *sensitiua*. Heic pœnitentes dicuntur *reuiuiscere ut frumenta*. Commentarii loco erunt, quæ dicturus sum ad 1. Cor. XV. 36.

PROPHETA JOEL.

Joel Cap. I. verſ. 4.

Quod reliquum fecit eruca, comedit locuſta, quod locuſta reliquum fecit, comedit brucus, & quod brucus reliquum fecit, comedit robigo.

Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo.

QUatuor heic occurrunt animalia, nominetenus nota potius quàm reapſe. 1. גָּזָם. 2. אַרְבֶּה. 3. יֶלֶק. 4. חָסִיל. Quæ iterum in theatro comparent Joel. II. 25. *Et penſabo vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, robigo & eruca, exercitus (fortitudo) ille meus magnus, quem miſi in vos.* Sed alio ordine. Omnia hæc quatuor animalium genera ad locuſtarum pertinent claſſem. Potiori ſanè jure retinuiſſent Europææ Verſiones, ad imitationem Leuit. XI. 21. Hebræa nomina, loco *erucæ, locuſtæ, bruchi, robiginis.*

I. גָּזָם *gazam* occurrit quoque Amos IV. 9. Vocem hanc deriuant Judæi à גזז *guz*, vel גָּזַז *gazaz, tondere, abſcindere*, quoniam locuſtæ acutis dentibus folia, cortices, ramulos abſcindunt, & deuorant. Amos l. c. *Veſtros hortos, vineas veſtras, ficus veſtras, atque oleas veſtras deuorabat eruca.* Anſam dat organum hocce meſſorium acutè ſcindens *Piſidæ*, agmini locuſtarum tribuendi μυριόσομον ξίφος, *enſem decies mille acierum.* Eſt hoc animal גָּזָם ex communi Judæorum conſenſu ex *locuſtarum* genere, ſed Græcis & Hieronymo κάμπη, *eruca*, quam & noſtræ Verſiones habent, & inprimis probare ſuſtinet *Fuller. Miſc. Sacr.* L. V. c. 20. Affinis eſt voci huic Polonorum *Gaſienicá*, quæ ſcolopendram, centipedam, erucam ſignificat. *Meninzk. Lex.* 3098.

II. אַרְבֶּה *arbeh*, vid. Leuit. XI. 22.

III. יֶלֶק *jelek* deriuatur à לָקַק *linxit, lambit*, quoniam locuſtæ ſata veluti lambendo abſumunt. Hinc fortè Germanorum *lecken, ſchlecken.* Affine eſt Arabum *lahaſa, labas*, qua voce utuntur, quoties ſata, ut lana à tineis, conſumuntur. In *Eph. Germ. Cent.* VII. *App.* p. 8. judice D. *Joh. Adamo Genſelio*, יֶלֶק eſt inſectum illud vitibus infeſtum, ἴπες, ἴπις Græcis dictum ab ἴπτειν, *ledere. Plinio* L. XVIII. c. 18. *Conuoluulus, Volvox. Columellæ Volucra. Plauto in Ciſtell. Act.* 4. *Sc.* 2. v. 63. *Inuoluulus*, quoniam folia, depoſitis in ea ouulis, conuoluuntur. Germanis *Weinzedel, Weinzirl, Rebſtichel*, Italis *Tagliadizzo.* De quo *Prudent.* in *Hamartigen.* v. 266.

Quamuis maceries florentes ambiat hortos
Sepibus, & denſis vallentur vitea rura,
Aut populator edet gemmantia germina bruchus,
Aut auibus diſcerpta feris lacerabitur uua.

Legatur de hoc inſecto *Vallisnieri Eſper. & Obſervaz.* p. 53.

IV. חָסִיל *Chaſil* deſcendit à חָסַל *chaſal, conſumere.* Emphaticæ ſunt illæ minæ Deut. XXVIII. 38. *Multum ſeminis proferes in agrum, parum colliges, vaſtabit illud locuſta. (Sementem multam jacies in terram, & modicum congregabis: quia locuſtæ deuorabunt omnia.)* יְחַסְּלֵנוּ הָאַרְבֶּה. Nahum III. 16. *Deuorabit te more bruchi*, ubi Chaldæus interpres etiam adhibet Hebræum חָסַל. Affine eſt huic חָסִיל Arabum *uskul, locuſta mas. Meninzk. Lex.* 3275.

In Oriente & Africa plurimæ dantur locuſtarum varietates, ut apud nos erucarum, papilionum, cantharorum. *Damir*, Scriptor Arabs, recenſet flauas, albas, rubras, nigras, magnas, paruas. *Marcellus Virgilius in Dioſc.* L. II. *Variauit admirabili artificio locuſtas natura. Sunt enim, quæ virides, quæ nigræ, quæ liuentes, quæ aliqua parte hunc, aliqua illum colorem oſtendant. Sunt, quæ volantes tantùm latentem antea colorem aliquem proferant. Sunt, quæ ſimplicibus, quæ pluribus alis volent, quæ alis carentes ſaltent, quæ utroque hoc motu priuatæ ingrediantur tantùm. Sunt, quæ longioribus, quæ breuioribus cruribus ſint: & in his, pluribus breuioribusque, & paucioribus longioribusque internodiis; Sunt, quæ canant, quæ mutæ ſint, quæ per diem, quæ in tenebris tantùm audiantur. Et, ne longiores ſimus, ſunt, quæ nihil homini in re ruſtica noceant, innocentesque à pueris capi ſe patiantur. Sunt contra, quæ peſtem & calamitatem ſatorum omnium totis regionibus afferant, illataque fame antiquos agros deſerere ſæpenumero gentes coëgerint.* Inſpice Tabulas CXXXIV. CCLV. CCLVI. Saltarem extra oleas, ſi omnium locuſtarum nomina huc afferrem, foret hic labor Lexico dignior, quàm huic Commentario. De quatuor animalibus in Textu obuiis aſſerere licet, eſſe vel totidem diuerſas

locuſta-

locuſtarum ſpecies, vel denotare quatuor diuerſos ætatis ejusdem locuſtæ gradus: ut *bruchus* dicatur locuſta recens excluſa, nondum alas habens, *attelabus*, quæ volare incipit, *locuſta* tandem, quæ plenè eſt elaborata. Ita ſentiunt multi Latini Interpretes, quibus multa opponi poſſent, & fortè oſtendi, denotare nomina modò allata diuerſas potius locuſtarum ſpecies, quàm varios ætatis gradus. Judæos ſi audiamus, Joelica noſtra interminatio vult venturas locuſtas quatuor annis ſucceſſiuè, *Gazam* primo, *Arbeh* ſecundo, *Jelek* tertio, *Chaſil* quarto. Sed Joel contradiceret Joeli, heic enim *gazam* primo loco ponitur, aſt II. 25. quarto. Et dicitur una *comediſſe*, quod altera *fecit reliquum*, quod non intelligi poteſt niſi de uno eodemque anno, quo, diſcedente primo exercitu, aduolarit ſecundus, ſecundo ſucceſſerit tertius, tertio quartus, qui nihil reliquerit planè, quod in uſum hominum brutorumue cedere potuiſſet. Sunt ex Judæis, qui volunt, in Ægyptiorum illa plaga אַרְבֶּה ſolam irruiſſe. Sed non unius generis memorat locuſtas Pſaltes Pſ. LXXVIII. 46. *Et dedit brucho*, חָסִיל, *prouentum eorum, & laborem eorum locuſtis*, אַרְבֶּה. Pſal. CV. 34. *Ejus juſſu venerunt locuſtæ*, אַרְבֶּה, *& innumeri bruchi*, יֶלֶק. *(Dixit, & venit locuſta, & bruchus, cujus non erat numerus.)*

Apud LXX. quatuor locuſtarum genera in Textu obuia exprimuntur his nominibus, κάμπη, ἀκρὶς, βρῦχος, ἐρυσίβη. Sequitur hos Vulgata, & Latina noſtra, *eruca*, *locuſta*, *bruchus*, *rubigo*. Quarum prima & ultima locuſtis adnumerari non poſſunt, & ἐρυσίβη, *rubigo*, ne animal quidem eſt, ſed vitium vitibus aliisue plantis infeſtum, *der Brenner*.

Meum non eſt, enodare quæſtionem, an locuſtæ hæ Joeli memoratæ ſint ſenſu proprio vel figurato per hoſtes Populi Judaici intelligendæ? Ut ſanè Hieronymo *Gazam* ſunt Aſſyrii, Babylonii, Chaldæi, *Arbeh* Medi & Perſæ, *Jelek* Macedones, Alexandri ſucceſſores, inprimis Antiochus Epiphanes, *Chaſil* Romani. Coincidit ferè *Cyrillus*, qui nominat Salmanaſſarem, Nebucadnezarem, Antiochum & Romanos. *Theodoreto* placent Thiglathphileſer, Salmanaſſar, Sennacherib & Nebucadnezar. Altiori adhuc ſenſu myſtico intelligit Chaldæus interpres populos, linguas, regna & imperia vindictæ. Verum enim verò ſecurior heic eſt ſenſus literalis. Homines ſi conferuntur locuſtis, fit id vel reſpectu numeri, uti Midianitæ & Amalekitæ *aſcenderant magna multitudine inſtar locuſtarum, ut non eſſet numerus ipſorum*, Jud. VI. 5. vel in contemptum, Jeſ. XL. 22. DEUS *ſedet ſupra globum terræ, & qui habitant in ea, ſunt veluti locuſtæ.* Sed ampla Imperia, qualia fuerunt quatuor illæ Monarchiæ, beſtiis comparantur ferocibus, Leonibus, Pardis, Urſis. Vide plura ad Joel II. 25.

Legi inprimis meretur Clar. *Jacobi Haſæi de Judaicæ Terræ depopulationibus per Gazam, Arbe, Jelek & Chaſil* doctiſſima Diſſertatio inſerta *Bibl. Brem. Claſſ.* VII. p. 773. ubi quatuor has plagas per *erucas*, *locuſtas*, *bruchos*, & *uredinem*, LXX viralem Verſionem defendens, diffuſus inprimis circa חסיל, quod uredinem ſeu rubiginem denotet, pluribus illuſtrat.

Joel Cap. I. verſ. 6.

Quoniam gens aſcendit ſuper terram meam, robuſta, innumerabilis, cujus dentes dentes ſunt leonini, habet molares Leænæ.

Gens enim aſcendit ſuper terram meam, fortis & innumerabilis: dentes ejus ut dentes leonis: & molares ejus ut catuli leonis.

ANnuntiatione quadruplicis locuſtarum plagæ v. 4. facta intimatur v. 5. populo Judaico attentiſſima Diuinorum Judiciorum conſideratio. *Euigilate, ebrii, & flete: & ululate omnes, qui vinum bibitis, propter ſuccum expreſſum, quoniam exciſum eſt ab ore veſtro. (Expergiſcimini, ebrii, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam periit ab ore veſtro.)*

— *Aque mero redeant in pectora ſenſus.*

Euigilate veluti ex profundo poſt nimiam vini ingurgitationem ſomno, imo ex peccatorum lethargo; oculis legite, non manibus, vineas veſtras, vaſtatas à locuſtis, vel vaſtandas mox; in præſenti enim vel præterito exprimit Propheta, quod eſt futurum, & tam certò, acſi jam contigiſſet.

Quoniam gens aſcendit ſuper terram meam, ὅτι ἔθνος ἀνέβη ἐπὶ τὴν γῆν μου. Gentis nomine heic veniunt iterum non tam Aſſyrii, Chaldæi, Medi, Perſæ, aliique populi ſupra recenſiti, quam locuſtæ ipſæ, exercitus DEI. Ita Prov. XXX. 25. *Formicæ* audiunt *populus imbecillis*. Verſ. 26. *Cuniculi gens minimè potens. (Lepuſculus plebs inualida.)* Occurrunt paſſim hujusmodi loquendi formulæ apud profanos Scriptores, præſertim Poëtas. Sic cluent Apes *Homero Iliad. β'.* v. 871.

Ἠΰτε ἔθνεα εἴσι μελισσάων ἀδινάων.

Ut ſunt gentes apum frequentium.

Aues eidem v. 458.

- - - ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλὰ,
Χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δολιχοδείρων.

- - *auium volucrium multæ gentes,*
Anſerum, aut gruum, aut cygnorum longo collo.

Muſcæ v. 469.

Ἧυτε μυιάων ἀδινάων ἔθνεα πολλὰ.

Ut frequentium muſcarum multæ gentes.

Porci. *Odyſſ.* ξ. v. 73.

- - - ὅτι ἔθνεα ἔρχατο χοίρων.

- - *ubi includebantur porcorum gentes.*

Mures & locuſtæ apud *Orpheum de Lap.* in *Corallio.*

Ἕκτε μύων ἀγέλας, ἑκ τ' ἀκρίδος ἄπλετον ἔθνος
Ῥαίσει —

Et murium greges, & locuſtarum infinitam gentem
Perdet —

Locuſtæ apud *Piſidam* in *Hexaëmero.*

Τίς ἐκγεατέυει παγγενῆ τὴν ἀκρίδα,
Ἔθνος πτερωτὸν, εἰς φθορὰν Αἰγυπτίων;

Quis omnigenam locuſtam inſtruit,
Gentem alatam, in perniciem Ægyptiorum?

Sic *Virgilio* gentes ſunt equi, vituli, oues, piſces, apes. De his *Georg.* III.

- - - - *totiusque ordine gentis*
Mores & ſtudia, & populos, & prælia dicam.

Aliis teſtimoniis ſupersedeo. Nemo proin habet, cur miretur, gentis nomine Prophetæ noſtro venire locuſtas, imo gentis *robuſtæ, innumerabilis*, ἰσχυρᾶ καὶ ἀναριθμήτε. Sed id mirum, genti huic eſſe *dentes*, imo *dentes leoninos, dentes molares Leænæ*, ὀδόντες λέοντος, καὶ αἱ μύλαι αὐτᾶ σκύμνε. Mirari deſinemus, ſi conferamus Apoc. IX. 8. ubi locuſtis pariter tribuuntur ὀδόντες ὡς λεόντων. Mirum utique, ſi conſideremus, quantas exerat imbecillum adeò animal, abjectus exercitus, rodendo, lingendo, vorando vires, *omnia morſu erodentes, & fores quoque tectorum. Plin. Hieronymus: Quid locuſtis fortius, quibus humana induſtria reſiſtere non poteſt? Cyrillus:* ἄμαχον τὸ χρῆμά ἐςι, καὶ ἀκαταγώνιςος νομιθῆ τῶν τοιάτων ἡ ἔφοδος, ἱκανή τε ἅρδην ἀπολέσαι τὰ ἐν ἀγροῖς. *Res eſt inſuperabilis, & prorſus inexpugnabilis eſt earum impreſſio, & ad perdendas ruris opes planè ſufficit.*

Joel Cap. I. verſ. 7.

Vaſtauit vineam meam, deglubit ficum meam, nudando nudauit eam, & abjecit, alba reddiderunt flagella ejus.

Poſuit vineam meam in deſertum, & ficum meam decorticauit: nudans ſpoliauit eam & projecit, albi facti ſunt rami ejus.

LOcuſtas *vitibus* inprimis & *ficubus* infeſtas experientia docet. Apud *Didymum* L. X. *Geopon.* vites contra locuſtas defendunt tria Sinapi grana defoſſa ad radicem, horum enim odore bruchos interimi vult. Legimus item apud *Theophraſtum* L. XVII. c. 25. & *Plinium*, progerminaſſe de nouo ficus à locuſtis demorſas. De ficu uſurpat Propheta vocem לְקַצְּפָהּ, quam nos reddimus *deglubere, Bochart. Hieroz.* P. II. L. IV. c. 4. *in confractionem*, ſic & Græci, εἰς κλασμὸν, vel συγκλασμὸν, tenellorum nempe ſurculorum. Noſtrum *deglubere, abſtreiffen*, fundatur authoritate *Hieronymi*, cui קְצָפָהּ eſt *decorticatio.* Hanc ſequitur חֲשָׂפָהּ חָשׂף, *nudando nudauit eam, gäntzlich abſchelen.* Nudatur nempe arbor, ſi vel decorticetur, vel flores, folia, fructus amittat, uti id quotannis fit hyeme.

Fronde nemus denudat hyems.

Id Græci vocant ψιλᾶν, quo utitur *Theophr. Hiſt. Plant.* L. IV. c. 16. de Erucis, quæ Mileti ψιλᾶσι τὰ δένδρα. *Alba redduntur flagella* ſeu nudata ſeu decorticata. Sic Jacob *accepit virgas virides de populo, auellana & caſtanea, & deglubit eas, ut albedo appareret, denudans ſcilicet, quod album erat in virgis. (Tollens Jacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas: detractisque corticibus, in his, quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit: illa verò, quæ integra fuerant, viridia permanſerunt: atque in hunc modum color effectus eſt varius.)* Gen. XXX. 37. Sed notandum, albari arborem præſertim in cortice, ſi pereat, διὰ τὴν ἀτροφίαν ἐκλευκαίνεται καὶ ἀποῤῥυτα τὰ δένδρα, *alimenti defectu arbores exalbeſcunt & pereunt. Theophr. de Cauſ.* L. V. c. 12. Sic & ex eadem ratione, contracta in ſenio cute, pili caneſcunt. Mortem inferunt arboribus locuſtæ, ſi conſumtis jam foliis & floribus ramos ipſos aggrediantur & demordeant. *Scalig. Exerc. in Cardan.* 192.

Joel

Joel Cap. I. verſ. 12.

Erubuit vitis, ficus deformata eſt, mala punica, quin & palma & malus, omnesque arbores campi exaruerunt; exaruit enim gaudium à filiis hominum.

Vinea confuſa eſt, & ficus elanguit, malogranatum, & palma, & malus, & omnia ligna agri aruerunt: quia confuſum eſt gaudium à filiis hominum.

ADmonentur v. 2. 3. *ſeniores & cuncti habitatores terræ*, ut raram non minus quàm pernicioſiſſimam locuſtarum plagam *enumerent filiis, omnique poſteritati*; v. 5. *ebrii*, ut *fleant & ululent omnes, qui vinum bibunt, propter ſuccum expreſſum, (in dulcedine,) quoniam exciſum eſt ab ore ſuo*; v. 8. omnis Iſrael, ut *ululet, ut virgo accincta ſacco propter maritum ſuum, cui in juuentute nupſit, (plange quaſi virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis ſuæ;)* Verſ. 10. *Terra* ipſa, ut *lugeat, quod vaſtatum ſit frumentum, erubuit muſtum, deformatum eſt oleum. (Luxit humus, quoniam deuaſtatum eſt triticum, confuſum eſt vinum, elanguit oleum.)* Verſ. 11. *Agricolæ*, ut *erubeſcant, vinitores*, ut *ululent propter triticum & hordeum, quia periit meſſis campi. (Confuſi ſunt agricolæ, ululauerunt vinitores, ſuper frumento, & hordeo, quia periit meſſis agri.)* Quæ omnia naturalibus locuſtis quadrant potius quàm myſticis, uti & id, quod nunc ſequitur, verſ. 12. *Erubuit vitis,* ἡ ἄμπελος ἐξηράνθη, rubigine infecta ſtat veluti pudibunda, nuda, à locuſtis ita demorſa, ut ſucco nutritio interceptus ſit ad folia aditus, hæc proin gratum ſuum virorem exuant, ut apud nos rubigine afficiuntur vites vel ab inſectis, vel Sole poſt pluuiam lapſam folia ante laxata veluti exurantur. Notandum præterea, *locuſtas multa contactu*, ſaliuâ ſuâ virulentâ, *adurere*. *Piſidas* in *Opificio Mundi*.

Τήκει τὰ δένδρα, καὶ μαραίνει τὴν πόαν.

Arbores tabefacit, & herbam marcidam reddit.

Idem teſtatur *Moſetus*. *Nec ſolùm morſu ſegetibus, paſcuis, pratis, hortis, pomariisque nocent: ſed ſtercore item nigro, viridi, mordaci, graui, bilioſaque inprimis atque acri ſaliua, quam multam ex ore, inter rodendum fundunt.* Quæ ſaliua aptè comparari poteſt cauterio potentiali, quod cuti applicatum erodit, & Eſcharam facit. Non proin mirum, ſi juxta Prophetæ effatum, *ficus deformatur, mala punica, quin & palma & malus, omnesque arbores campi exareſcunt.* αἱ συκαῖ ὠλιγώθησαν, ῥοαὶ καὶ φοῖνιξ, καὶ μῆλον, καὶ πάντα τὰ ξύλα τοῦ ἀγροῦ ἐξηράνθησαν.

Joel Cap. I. verſ. 17.

Computruerunt ſemina diſperſa ſubter glebas ſuas, vaſtata ſunt, quæ repoſita fuerunt, euerſa horrea, eò quod pudefactum ſit frumentum.

Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo, demolita ſunt horrea, diſſipatæ ſunt apothecæ: quoniam confuſum eſt triticum.

עָבְשׁוּ פְּרָדוֹת תַּחַת מִגְרְפוֹתֵיהֶם, quatuor ſunt voces, quæ apud optimos Interpretes quadruplicem ſenſum obtinent, & tria ex illis monadica. LXX. ita eas reddunt: ἐσκίρτησαν δαμάλεις ἐπὶ ταῖς φάτναις. *Subſultauerunt vituli in præſepibus ſuis.* Hieronymus: *Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo.* Chaldæus: *Dolia per oſtiola ſua ſunt euacuata.* Judæi nobiscum, *computruerunt ſemina diſperſa ſubter glebas ſuas, die Saamen-Körnlein ſind unter ihren Schollen verfaulet.* Examen harum Verſionum Philologicum relinquentes aliis, interimque noſtram adoptantes, id obſeruari volumus ex Phyſica agraria, putreſcere ſemina ab imbribus copioſis atque continuis, inundata humore nimio, fibris relaxatis, & ad crepaturam diſtentis. Hinc præcipit *Plinius* L. X. c. 24. ut locis humidis citius tanto projiciatur *ſemen* in terram, *ne imbre* ſuperueniente *putreſcat*. Contingit id inprimis in climatibus calidioribus, ut terræ æſtu torridæ irruentes imbres largi & continui tenella ſemina diſtendant nimium, & ad putredinem diſponant. Vix tamen conciliari poſſe videtur hæc interpretatio cum ultimis hujus commatis verbis Vernaculæ noſtræ Verſionis, *das Korn iſt verdorret*, quæ ſequitur τὰς LXX. ἐξηράνθη σῖτος. Neque cum v. 19. *Ignis abſumpſit amœniſſima loca deſerti, & flamma exuſſit omnes arbores campi. (Ignis comedit ſpecioſa deſerti, & flamma ſuccendit omnia ligna regionis.)* Item v. 20.

Sed & beſtiæ agri vociferabuntur ad te, quod exaruerint torrentes aquarum, & quod ignis abſumpſerit amœniſſima loca deſerti. (Sed & beſtiæ agri, quaſi area ſitiens imbrem, ſuſpexerunt ad te: quoniam exiccati ſunt fontes aquarum, & ignis deuorauit ſpecioſa deſerti.) Conuenit ſanè vel locuſtis, vel ſcarabæis deſcribendis Joel. II. 25. conſtitutio arida & ſicca potius quàm humida, & illâ ipsâ pereuntia ſemina vaneſcunt potius quàm putreſcunt, ſed eo ipſo, quia corrugata nimis vel contracta ob alimenti paucitatem vaneſcunt, putreſcunt ſimul. *Plinius* l. c. *Siccis ſerius (ſatio fieri debet,) ut pluuiæ ſequantur, ne diu jacens, atque non concipiens, vaneſcat.* Ita conciliari poſſunt Verſiones noſtræ inuicem & cum natura ipſa. Docet nos ipſa experientia, conuenire aridas temporum anni conſtitutiones locuſtis potius quàm humidas. *Plinius* L. XI. c. 28. *Vernis aquis intereunt oua, ſicco vere major prouentus.* *Ariſtoteles Hiſt.* L. V. c. 29. Φθείρεται δὲ αὐτῶν τὰ ὠὰ ὑπὸ τῶν μετωπορινῶν ὑδάτων, ὅταν πολλὰ γένηται. ἂν δὲ αὐχμὸς συμβῇ, τότε γίνονται μᾶλλον ἀττέλαβοι πολλοὶ, διὰ τὸ αὐτὰ μὴ φθείρεσθαι ὁμοίως. Conſulit hinc *Mouſetus* pro locuſtarum deſtructione, ut ſub initium veris agri aquis largiter perfundantur. Et nouimus nos, unicâ ſæpe pluuiâ largâ erucas & ſcarabæos rufos arboribus plantisque fugari.

Joel Cap. II. verſ. 2.

Dies tenebroſa & obſcura, dies nubiloſa & caliginoſa, ſicut aurora diffuſa ſuper montes, populus multus & robuſtus, cui à ſæculo nullus fuit ſimilis, nec poſt eum erit, usque ad annos generationis & generationis.

Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis: quaſi mane expanſum ſuper montes, populus multus & fortis: ſimilis ei non fuit à principio, & poſt eum non erit usque in annos generationis & generationis.

CLangite, exclamat Propheta v. 1. *tuba in Zione, & claſſicum canite in monte ſancto meo, contremiſcant uniuerſi habitatores terræ, quoniam venit dies DOMINI, in propinquo adeſt. (Cantate tuba in Sion, ululate in monte ſancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: quia venit dies DOMINI, quia prope eſt.* Iterum heic veluti in ſpeculo ſiſtitur locuſtarum plaga, omnibus incolis terrifica. Joel. I. 6. cluebant illæ *gens robuſta & innumerabilis*, heic audiunt *populus multus & robuſtus, cui à ſæculo nullus fuit ſimilis, nec poſt eum erit*, λαὸς πολὺς καὶ ἰσχυρὸς, ὅμοιος αὐτῷ ὃ γέγονεν ἀπὸ τοῦ αἰῶνος, καὶ μετ' αὐτὸν ὃ προστεθήσεται. — Tempus, quo id euenturum ſit, vocat *diem* DOMINI, uti & I. 15. quo altipotens & juſtiſſimus DEUS ſententiam eſt pronuntiaturus de terra & incolis rebellibus; *dies tenebroſa & obſcura, dies nubiloſa & caliginoſa*, ἡμέρα σκότους καὶ γνόφου, ἡμέρα νεφέλης καὶ ὁμίχλης, ita dicta non ſolùm, quia proſpera tempora conferuntur luci, aduerſa tenebris & nocti, ſed quia agmina locuſtarum, dum per aërem volant, obtenebrant ita terram, ut radii Solis penetrare nequeant. *Dies ſicut aurora diffuſa ſuper montes*, ὡς ὄρθρος κυθήσεται ἐπὶ τὰ ὄρη, quibus verbis indicat, venturam mox hanc plagam, & ſeſe per omnem Judææ Horizontem diffuſuram, Hannibalem ſtare ante portam, irruiturum fulguris ad inſtar, ὅιον ἀςραπῆς τινος δίκη, σὺν ὁρμῇ ἐ δρόμῳ, ut *Cyrillus* ſcribit. Notum, auroram non terminari in Horizonte ortiuo, ſed per omnem diffundi Horizontem, coloribus licet ſenſim euaneſcentibus. Conſimiles loquendi formulas ſuggerunt Poëtæ profani. *Homer. Iliad.* θ.

Ἠὼς μὲν πρόκοπτεπλος ἐκίδνατο πᾶσαν ἐπ' αἶαν.

Virgilio Interprete *Æn.* L. IV.

Et jam prima nouo ſpargebat lumine terras
Titboni croceum linquens aurora cubile.

Æn. L. XII.

Poſtera vix ſummos ſpargebat lumina montes.

Joel Cap. II. verſ. 3.

Ante illum ignis deuorans, poſt ipſum flamma exardeſcet. Si terra aliqua ante aduentum ejus fuerit ut horti delicati, poſt ipſum vaſta redditur, ut deſertus. Nemo illum effugere poteſt.

Ante faciem ejus ignis vorans, & poſt eum exurens flamma: quaſi hortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti; neque eſt, qui effugiat eum.

COmparauerit forte quiſpiam locuſtas ipſas igni, quandoquidem *multa contactu adurunt*, quod vidimus ad Joel. I. 19. 20. unde & *Theodoretus in vita Monachi Aphraatis* locuſtas ſcribit ignis ad inſtar omnia conſumere, πυρὶ παραπλησίως ἅπαντα προσδαπανώσας. Ipſi quoque Grammatici *locuſtas* deriuant à *locis uſtis*, licet alii melius *à locutione*, unde cicada ipſa loquacitatis eſt ſymbolum, & à Græco ἀκρὶς deſcendit κατακρεμέυειν, loquacitate ſua aliquem obtundere, quaſi locuſtare. Sed tamen potius per *ignem ante locuſtas deuorantem, & flammam exardeſcentem poſt illas*, æſtus ingens aëris, vel & preſter Orientalibus Regionibus familiaris, intelligitur.

Joel Cap. II. verſ. 4.

Aſpectus ejus ut aſpectus equorum, currunt inſtar equitum.

Quaſi aſpectus equorum, aſpectus eorum, & quaſi equites ſic current.

SIc & fuere τὰ ὁμοιώματα τῶν ἀκρίδων ὅμοια ἵπποις ἡτοιμασμένοις εἰς πόλεμον. Apoc. IX. 7. Quadrat hæc comparatio ex Judæorum mente volatui celeri locuſtarum, ſed quoque figuræ capitis inprimis, equino ſimilis, unde Itali vocant *cavallette*. *Theodoretus*, εἴ τις ἀκριβῶς κατίδοι τὴν κεφαλὴν τῆς ἀκρίδος, σφόδρα τῇ τῶ ἵππε ἰσοσυίαν ἑυρήσει, *qui caput locuſtæ attentè conſiderat, equino perſimilem inueniet*. Ita quoque Arabes adeò in comparandis rebus fœcundi, ut ſoli locuſtæ decem diuerſa conferant animalia, in unum hoc animalculum veluti concentrata, 1. formam equi, 2. oculos Elephantis, 3. Tauri collum, 4. Cornua Cerui, 5. Leonis pectus, 6. Scorpionis (potius Aquilæ) ventrem, 7. Aquilæ alas, 8. Cameli crura, 9. Struthionis pedes, 10. Serpentum caudam. *Abarbanel* dum integram hanc Joelis de Locuſtis Prophetiam Aſſyriis applicat, neſcit quò ſe cum commate præſenti vertat, populos hosce nunc Centauris, nunc eorum peditatum ipſi equitatui veloci adæquat. Sed de Aſſyriis aptè dici nequit, *currere inſtar equitum*, quoniam eorum militia inprimis fuit equeſtris. Quod conſtat ex Ezech. XXIII. 6. 12. 23. XXVI. 7. 10. 11. Nahum III. 2. Hab. I. 8.

Joel Cap. II. verſ. 5.

Irruunt ſtrepitu quodam per cacumina montium ut currus, & ſicut crepitus flammæ ignis deuorantis ſtipulam, (in ſumma) ut populus prævalidus inſtructus ad prælium.

Sicut ſonitus quadrigarum ſuper capita montium exilient, ſicut ſonitus flammæ ignis deuorantis ſtipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium.

APprimè hæc iterum quadrant locuſtis in regionem quandam irruentibus, magno ſtrepitu inuolantibus, fata demordentibus. ἡ φωνὴ τῶν πτερύγων αὐτῶν ὡς φωνὴ ἁρμάτων, ἵππων πολλῶν τρεχόντων εἰς πόλεμον. Apoc. IX. 9. Teſtimonia en parallela ex profanis Scriptoribus! *Plin.* L. XI. c. 29. *Tanto volant pennarum ſtridore, ut aliæ alites credantur. Remigius* Altiſſiodorenſis *in Joelem: Magnum ſonitum faciunt, quando mittuntur, in tantum, ut à ſexto milliari poſſit audiri ſonitus earum. Cyrillus:* Φασὶ γὰρ ἐ δίχα κτύπε πράττεσθαι παρ' αὐτῶν

αὐτῶν ἐν ἀγροῖς τὴν κατάπτωσιν. ἠχώ δέ τινα τῶν ὀδόντων ἀποτελεῖσθαι βλαχρὰν, περιθραυομένων αὐταῖς τῶν πεπτωκότων, ὡς ἀνέμῳ φλόγα διαῤῥιπίζοντος. *Ajunt eas non ſine ſtrepitu in agros decidere. Sed & tenuem quendam ſonum dentibus edere, dum proſtratas fruges mandendo comminuunt, inſtar venti flammam agitantis.* Sed eſt locuſtis ſua quoque ſingularis vox, ut Gryllis; τρύζειν, *ſtridere*, eam nuncupat *Ariſtot. in Mirabil.* Habet *Ælianus Hiſt.* L. VI. c. 19. βομβῶσαν ἀκρίδα, *locuſtam bombilantem.* De modo tamen, quo hic ſonus excitetur, non idem ſentiunt rei naturalis Scriptores. *Plinius: Vox earum proficiſci ab occipitio videtur: eo loco in commiſſura ſcapularum habere quaſi dentes exiſtimantur, eosque inter ſe terendo quaſi ſtridorem edere circa duo æquinoctia, ſicut cicadæ circa ſolſtitium.* Sed idem c. 51. *Locuſtas pennarum & feminum attritu (ſonare) creditur ſanè.* Sic & *Ariſtot. Hiſt.* L. IV. c. 9. τοῖς πηδαλίοις τρίβουσα ποιοῦσι τὸν ψόφον. *Crurum poſteriorum attritu ſtrepitum edunt.* Alis effectum hunc tribuunt Poëtæ. *Mneſalchus* L. III. *Anthol.* c. 24.

Οὐκ ἔτι δὴ πτερύγεσσι λιγυφθόγγοισιν ἀείσεις,
Ἀκρὶ, κατ' εὐκάρπας ἄυλακας ἑζομένα.

Non amplius alis dulciſonis canes,
O locuſta, prope frugiferos ſulcos ſedens.

Item:

Ξανθὰν ἐκ πτερύγων ἡδὺ κρέκεσα μέλος.

Flauis ex alis melos dulce canens.

Meleager.

Αὐτοφυὲς μίμημα λύρας, κρέκε μοι τὶ ποθεινὸν,
Ἐκκρέκεσα φίλας ποσσὶ λάλας πτέρυγας.

O quæ naturâ Lyram imitaris, cane mihi aliquid amabile,
Concutiens pedibus caras vocales alas.

Notandum heic, locuſtas non, ut ſupra, vocari *populum*, ſed *irruere*, *ut populus prævalidus inſtructus ad prælium*, ὡς λαὸς πολὺς καὶ ἰσχυρὸς παρατασσόμενος εἰς πόλεμον. Sic & v. 7. *currunt, ut fortiſſimi viri, ut bellatores conſcendunt murum.* De Aſſyriis, aliisue Nationibus ſi locutus fuiſſet Propheta, non dixiſſet, *ut populus, ut fortiſſimi viri, ut bellatores.*

Sed populo, eique bellicoſo, exercitui comparantur locuſtæ 1. ratione numeri immenſi & virium. *Cyrillus:* κρῆμα ἄμαχον, καὶ δυσκαταγώνιστον παντελῶς ἀνθρώποις, βρύχη καὶ ἀκρίδος ἐμβολή. *Eſt inexpugnabilis, & hominibus prorſus inſuperabilis bruchi & locuſtæ irruptio.* Et *Piſidas* deſcripturus locuſtas, earumque operationes, in theatrum producit machinas omnes ſuo tempore uſitatas bellicas.

Τὸ πτηνὸν ὅπλον εἰς ἀνάμνησιν Φόβε,
Βέλος νεφῶδες ἐξ ἀδήλε τοξότε,
Λόγχην ἑτοίμην, αὐτοκίνητον δόρυ,
Πυκνὴν Φάλαγγα, μυριόσομον ξίφος,
Πηδητικὴν ἔπαλξιν ἀσάτε μάχης.
Οὐχ ἵσταται γάρ, ἀλλὰ πλήττει καὶ τρέχει,
Ἕρπουσα πορθεῖ, καὶ κλονεῖ πτερουμένη.
Δοκεῖ δὲ Φεύγειν, καὶ παλίνδρομος μένει.

Telum volatile ad metum excitandum,
Sagittam nubilam, ab incerto ſagittario (emiſſam,)
Lanceam paratam, haſtam per ſe mobilem,
Frequentem phalangem, enſem mille acierum,
Deſultorium inſtabilis pugnæ propugnaculum.
Neque enim ſtat, ſed currens ferit,
Serpens deuaſtat, & volans tumultuatur.
Videtur autem fugere, & ſtatim recurrens manet.

2. Comparationis membrum eſt ordinata acies; עָרוּךְ eſt *ordinatus*, *præparatus*, ut quiuis militum ſuo ſtet loco, agat, quæ ſibi ſunt demandata. Verſ. 7. *Quisque via ſua incedit, nullus à ſemita ſua deflectit. (Viri in viis ſuis gradientur, & non declinabunt à ſemitis ſuis.)* Verſ. 8. *Nullus alium impellit, ſed quisque via ſua incedit. (Unusquisque fratrem ſuum non coarctabit, ſinguli in calle ſuo ambulabunt.)* Αὐτόπτης *Hieronymus: Tanto ordine ex jubentis DEI diſpoſitione volitant, ut inſtar teſſerularum, quæ in pauimentis artificis finguntur manu, ſuum locum teneant, & ne puncto quidem, ut ita dicam, ungueue transuerſo declinent ad alteram.* *Theodoretus*, μετὰ τινος συμπνοίας, *mutua quadam conſpiratione.* *Cyrillus:* Φασὶ δὲ αὐτὰς στοιχηδὸν ἰέναι, καὶ ὡς ἐν τάξει διῆφθαι, καὶ ἤκιστα μὲν ἀπονοσφίζεσθαι, περιέπειν δὲ ἅτιος ἀλλήλας, ὡσανεὶ καὶ ἀδελφὰς, Φύσεως αὐτῆς (lege αὐταῖς) βραβευούσης τὸ φιλάλληλον. *Ajunt eas ordine ire, & quaſi per acies volare, minimeque ſejungi, & tanquam ſorores ſe mutuò ſubſequi, mutuum illis amorem naturâ diſpenſante.* Idem teſtatur *Sigebertus* de numeroſiſſimo locuſtarum exercitu Galliam A. 874. vaſtante. *Quod mirum eſt dictu, tanto ordine volitauit, præmiſſis ducibus, qui pridie caſtrametarentur, ut militaris diſciplina in iis animalibus cerneretur.*

Joel Cap. II. verſ. 7. 8. 9.

7. Currunt ut fortiſſimi viri, ut bellatores conſcendunt murum; quisque via ſua incedit, nullus à ſemita ſua deflectit.
8. Nullus alium impellit, ſed quisque via ſua incedit; cadunt pro telo, nec (a) lucro inhiant.
(a) Al. nec fauciantur.
9. In ciuitate diſcurrunt, ad muros accurrunt, aſcendunt in domos, per feneſtras introeunt furis inſtar.

7. Sicut fortes current: quaſi viri bellatores aſcendent murum: viri in viis ſuis gradientur, & non declinabunt à ſemitis ſuis.
8. Unusquisque fratrem ſuum non coarctabit, ſinguli in calle ſuo ambulabunt: ſed & per feneſtras cadent, & non demolientur.
9. Urbem ingredientur, in muro current: domos conſcendent, per feneſtras intrabunt quaſi fur.

SIc & deſcribit Moſes locuſtarum exercitum in Ægyptum irruiturum, Exod. X. 6. *Domos tuas implebunt, & domos omnium ſeruorum tuorum, & domos omnium Ægyptiorum. Hieronymus in Joelem: Nihil locuſtis inuium eſt, cum & agros, & ſata, & arbores, & urbes, & domos, & cubiculorum ſecreta penetrent. Theodoretus:* Οὐκ ἀπόχρη τῶν περιβόλων τὸ ὕψος ἐμποδὼν τῇ τέτων εἰσόδῳ γένεθαι. Ἀλλὰ ῥᾳδίως μὲν ὑπερβήσονται τὰ τείχη, κλέπτως δὲ παρεμπλησίως διὰ θυρίδων εἰς τὰς οἰκίας εἰσελεύσονται. ᾗ τῦτο δὲ ἐ μόνον ὑπὸ πολεμίων, ἀλλὰ ᾗ ὑπὸ ἀκρίδων γεγενημένον πολλάκις ἐθεασόμεθα. ἐ πετόμεναι γὰρ μόνον, ἀλλὰ ᾗ κατὰ τῶν τειχῶν ἀνέρπεσαι, διὰ τῶν φωταγώγων εἰς τὰς οἰκες εἰσίασι. *Non ſufficit murorum altitudo ad illorum* (hoſtium) *ingreſſum prohibendum. Muros enim facile tranſcendent: & furum inſtar per feneſtras in domos ingredientur. Quod non ſolùm ab hoſtibus, ſed etiam à locuſtis ſæpè factum vidimus. Non ſolùm enim volando, ſed & ad muros irrependo, per feneſtras in domos penetrant.*

Alia animalia hominem metuunt & fugiunt, locuſtæ contra nec homines curant, nec arma. *Cadunt pro telo, nec lucro inhiant. Sie werden in ihre Gewehr fallen, und nicht verwundet werden.* LXX. ἐν τοῖς βέλεσιν αὐτῶν πεσῦνται, ᾗ ἐ μὴ συντελεωθῶσι. Hominibus inprimis ſunt inſidioſæ, unde fit, ut, aduentante locuſtarum nube, omnes intra ædes maneant, donec illa tranſierit. ἐὰν νέφος ἀκρίδων ἐπέρχηται, πάντες ἔνδον μενέτωσαν ἀφανεῖς, ᾗ παρελεύσονται τὸ χωρίον. *Democritus Geopon.* L. XIII. Armis tantùm non ſunt inuictæ, quia exiguæ mole, leuis armaturæ milites, & motu ſuo ictus eludunt, loricâ quoque dura in dorſo inſtructæ,

- - - cognatus dorſo dureſcit amictus;
Armauit natura cutem.

Claudianus. Sic habebant Locuſtæ Apocalypticæ θώρακας ὡς θώρακας σιδηρᾶς. Apoc. IX. 9.

Ex his omnibus liquet, eſſe hunc formidabilem exercitum v. 6. *A facie illius languebunt populi, omnes facies contrahent luridum ollæ colorem. (A facie ejus cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in ollam.)* Eſt Jer. LI. 27. יֶלֶק סָמַר *bruchus horrendus*, Heſychio βρέττανα Φοβερὰ, *locuſta terribilis.*

Joel Cap. II. verſ. 10.

Ante illum contremiſcit terra, (quin) & cœli commouentur, Sol & Luna obtenebrantur, ſtellæque ſplendorem ſuum contrahunt.

A facie ejus contremuit terra, moti ſunt cœli, Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.

HÆc verba nemo, qui ſanæ eſt mentis, intelliget ita, ac ſi locuſtæ forent cauſa terræ motuum, tonitruum, verarum Solis Lunæue Eclipſium. Figuratis hisce locutionibus indicatur cumprimis terror, quo obruuntur terricolæ occaſione hujus plagæ. *Hieronymus: Non, quod locuſtarum tanta vis ſit, ut poſſint mouere cœlos, & terram concutere: ſed quod aduerſa patientibus præ terroris magnitudine cœlum ruere, & terra fluctuare videatur.* Nihilominus ex parte literali quoque ſenſui eſt concedendus

locus: Quà volant locuſtarum agmina, obtenebratur aër, diſputatur radiis ſolaribus tranſitus. *Hieronymus: Præ multitudine locuſtarum, obtegentium cœlum, Sol & Luna conuertentur in tenebras, & ſtellæ retrahent lumen ſuum, dum lumen in medio nubes poſita locuſtarum ad terram non ſinit peruenire.* Exod. X. 15. *Operuit locuſta ſuperficiem totius terræ Ægypti, ut terra obſcuraretur. Plinius: Locuſtæ Solem obumbrant.* Teſtimonia lege apud *Eutychium* T. II. p. 518. *Aloyſ. Cudamuſt. Nauigation.* c. 13. *Thuan.* L. LXXXIV. *Cœli commouentur,* σεισθήσεται ὁ ἐρανός, id eſt, αἱ δυνάμεις τῶν ἐρανῶν σαλευθήσονται, Matth. XXIV. 29. Notum eſt autem, potiſſimas cœlorum vires conſiſtere in illuminatione & calore: hæ operationes ſi deficiant, dicere utique poſſumus, cœlorum vires moueri, imo remoueri, debilitari; non ſolius *Solis*, ſed & *Lunæ* & *Stellarum.* Volant aliquando locuſtarum agmina diesque noctesque, præſertim ſi transuolanda ſint integra maria, quale eſt Mediterraneum, à pluuia fameque inuicta. Obſeruandum id contra eos, qui volare duntaxat locuſtas pertendunt interdiu, noctu ſeſe demittere in terram.

Joel Cap. II. verſ. 20.

Aquilonarem autem iſtum procul abigam à vobis, & propellam eum in terram torridam & vaſtam, anteriorem ejus partem in Mare Orientale, & poſteriorem ejus partem in Mare nouiſſimum. Et aſcendet fœtor ejus, aſcendetque putredo ejus, quia inſolenter egit.

Et eum, qui ab Aquilone eſt, procul faciam à vobis: & expellam eum in terram inuiam & deſertam: faciem ejus contra Mare Orientale, & extremum ejus usque ad mare nouiſſimum: & aſcendet fœtor ejus, & aſcendet putredo ejus, quia ſuperbè egit.

INſeruit hic locus iis in ſpecie, qui Joelis locuſtas volunt eſſe *Aſſyrios*, qui ab Aquilone irruebant in Palæſtinam, & decem Tribus captiuas abduxerant, vel & *Babylonios*, qui Templum vaſtauerant, *Romanos*, Templi ſecundi deſtructores: licet Aſſyrii atque Babylonii ad ortum magis, Romani ad occaſum ſint ſiti, quapropter, dicunt illi, Propheta mentionem facit *Maris Orientalis*, & *noviſſimi* Occidentalis. Verùm enim verò Textum penitius inſpicienti clarum fiet iterum, quadrare omnia apprimè *locuſtis* propriè ſic dictis. *Aquilonarem iſtum*, inquit DEUS per Prophetam, illam exercitus partem, quæ Hieroſolymam aggreſſa eſt ab Aquilone, *procul abigam à vobis, & propellam eum in terram torridam & vaſtam*, deſertum Arabiæ, *anteriorem ejus partem in Mare Orientale*, primam aciem in Mare Mortuum, reſpectu Urbis Sanctæ ad Orientem ſitum, *& poſteriorem ejus partem in Mare nouiſſimum*, Mediterraneum. *Et aſcendet fœtor ejus, aſcendetque putredo ejus*, præcipitatis nempe locuſtis in maria, & in putrilaginem conuerſis. LXX. Καὶ τὸν ἀπὸ βορρᾶ ἐκδιώξω ἀφ' ὑμῶν, καὶ ἐξώσω αὐτὸν εἰς γῆν ἄνυδρον, καὶ ἀφανιῶ τὸ πρόσωπον αὐτὸ εἰς τὴν θάλασσαν τὴν πρώτην, καὶ τὰ ὀπίσω αὐτὸ εἰς τὴν θάλασσαν τὴν ἐσχάτην. Καὶ ἀναβήσεται ἡ σαπρία αὐτὸ, καὶ ἀναβήσεται ὁ βρόμος αὐτὸ. Teſtimonia extant paſſim de integris locuſtarum exercitibus in maria præcipitatis, quæ attulimus ad Exod. X. 19. ubi legitur *ventus occidentalis fortiſſimus ſuſtuliſſe locuſtas, & defixiſſe eas in mare carectoſum.* (DOMINUS *flare fecit ventum ab Occidente vehementiſſimum, & arreptam locuſtam projecit in Mare Rubrum.)* Quis tandem mirabitur, locuſtarum numeroſiſſima agmina, in maria præcipitata, & ad littora ejecta, fœtore ſuo peſtilentiali inficere aërem? *Hieronymus: Cumque littora utriusque maris aceruis mortuarum locuſtarum, quas aquæ euomuerant, implerentur, putredo earum, & fœtor, in tantum noxius fuit, ut aërem quoque corrumperet, & peſtilentia tam jumentorum quàm hominum gigneretur. Auguſtinus* quoque *de Civ. DEI* L. III. c. 31. & *Oroſius Hiſt.* L. V. c. 11. narrant, ſub conſulatu *M. Plautii* & *M. Fuluii Flacci* tantam locuſtarum copiam ex Mari Mediterraneo ad Africæ littora fuiſſe pulſam, ut peſte inde exorta in ſola Numidia obierint 800000. in περιχώρῳ Carthaginis 200000.

IOEL. Cap. II. v. 25.
Bruchi in poenam.

Joel Cap. II. v. 25.
Die Straff-Käfer.

G. D. Heümañ sculps.

TAB. DCXLVI.

Joel Cap. II. verſ. 25.

Et penſabo vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, robigo & eruca, exercitus ille meus magnus, quem miſi in vos.

Et reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca: fortitudo mea magna, quam miſi in vos.

ABlatâ locuſtarum plagâ nouam promittit annonæ abundantiam Propheta nomine DEI. Verſ. 22. *Germinarunt amœna loca deſerti, & arbor protulit fructum ſuum, ficus & vitis præbuerunt opes ſuas. (Germinauerunt ſpecioſa deſerti: quia lignum attulit fructum ſuum, ficus & vinea dederunt virtutem ſuam.)* Verſ. 24. *Implebuntur horrea frumento, & torcularia ſtridebunt vino & oleo. (Implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo.)* Emphaticè inſecta eadem, quæ Joel. I. 4. recenſentur, nuncupantur *exercitus magnus*, ἡ δύναμίς μου. Sic & in Lege quadam Mahumedica apud *Damirem.* Et fabulatur *Ibn Omar*, cecidiſſe in manus Pſeudo-Prophetæ illius locuſtas hâc inſcriptione, *nos ſumus exercitus* DEI *altiſſimi.*

De inſectorum horum nominibus horumque ſignificatu egi multa tum in Leuitico, tum Joel. I. 4. Supplementi loco adduco heic, quæ habet Cl. *Derham Notes on Albins Hiſtory of Engliſh Inſects* p. 16. cui poſt *Goedartium* אַרְבֶּה vel חָסִיל, βρέχος, eſt *ſcarabæus arboreus major caſtaneus Petiv. Gazoph. Tab.* XIX. 2. *Scarabæus major Raj. Hiſt. Inſect.* p. 104. *Scarabæus maximus rufus, uropygio deorſum inflexo, Liſter. Append. ad Raji Hiſt. de Scarab. Brittannicis.* Angl. *Chafer, Oakweb, May Beetle Albin Hiſt.* Tab. LX. *Scarabæus majalis major pectore nigro*, Wagner. Nobis *Laub-Käfer.* Sunt ſanè haud contemnenda pro ſcarabæis hisce ad Textus Sacros applicatiuis argumenta, ingens eorum numerus, & noxa, quâ arbores ſaltem tertio in noſtris quoque Regionibus infeſtant, quibus addi poteſt ſapor haud ingratus pro cibo. Digna exiſtimo, quæ afferam, verba ex *Molyneux in Tranſ. Philoſ.* n. 234. vel *Lowthorp Abridg. Vol.* II. p. 779. *I muſt confeſs, it long ſeemed to me very unaccountable, that here* (Lev. XI. 22.) *among the pure wholſome creatures, proper for human nouriſhment, Beetles, and thoſeother naſty, dry, and unpromiſing vermin, ſhould be thought fit to be reckon'd up as clean and proper forthe food of Man: But ſince I have had ſome little Experience of what hath happen'd among our ſelves, I cannot but admire the ſagacious prudence of that divine Lawgiver. 'Tis certain, Paleſtine, Arabia, Egypt, and the other neighbouring Countries about them, were allextreamly ſubject to be infeſted with theſe ſorts of pernicious vermin: and therefore Moſes forſeeing the great Dearth and ſcarcity that they might one Day bring upon his People, give them here a permiſſive precept, or a ſort of Hint, what they Shou'd do, when the Corn, Graſs, Olive-Trees, Fruit-Trees, Vines and other Proviſions were deſtroy'd by the Locuſt, and βρέχοι or Beetles ſwarming in the Land: why then, for want of other nourishment, and rather than ſtarve he tells them, they might eat, and live upon the filthy deſtroyers them ſelveæ, and yet be clean. And thus we ſee the native Irish were Authors of a Practical Commentary on this part of the Levitical Law, and by matter of fact, have explain'd what was the true ſenſe and meaning of this, otherwiſe ſo dark and abſtruſe a Text. It is alſo more than probable, that this ſame deſtructive Beetle we are ſpeaking of was that very Kind of Scarabæus, the Idolatrous Egyptians of Old had in ſuch high veneration, as tho pay divine Worship unto it, and ſo frequently engrave its Image upon their Agulios and obelisks, as we ſee at this day. For nothing can be ſuppoſed more natural, than to imagine a Nation, addicte to Polytheiſm, as the Egyptians were, in a Country frequently ſuffering great Miſchief and Scarcity from Swarms of devouring Inſects, ſhou'd, from a ſtronge ſenſe and fear of Evil to come (the common principle of ſuperſtition and Idolatry) give ſacred Worship to the viſible Authors of theſe their ſufferings, in hopes to render them more propitious for the futuré. Thus tis allow'd of all hands, that the ſame People adored as Gods the ravenous Crocodils of the River Nile: and thus the Romans, tho' more polite and civilized in their Idolatry*, febrem ad minus nocendum venerabantur, eamque variis Templis extructis colebant, *ſays Valer. Max.* Lib. II. c. 5.

Scarabæum hunc ipſum ſiſto ex *Albini Hiſt. Inſect. Angl.* a. eſt *ſpondylus*, ex quo ſcarabæus ipſe naſcitur. b. idem mutatus in chryſolidem. c. Scarabæus fœmina. d. mas.

Joel Cap. II. verſ. 30. 31.

30. Et edam prodigia in cœlo atque in terra, ſanguinem & ignem, atque (a) columnas nubis.

(a) Ebr. Palmas.

31. Sol vertetur in tenebras, & Luna in ſanguinem, antequam veniet dies (ille) DOMINI magnus & tremendus.

30. Et dabo prodigia in cœlo & in terra, & ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi.

31. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem: antequam veniat dies DOMINI magnus & horribilis.

Vid. Matth. Cap. XXIV. verſ. 29.

Joel Cap. III. verſ. 15. 16.

15. Sol & Luna atrati erunt, & Stellæ contrahent ſplendorem ſuum.

16. Et DOMINUS rugiet de Zione, atque de Jeruſalem edet vocem ſuam, & commouebunt ſe cœli & terra —

15. Sol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.

16. Et DOMINUS de Sion rugiet, & de Jeruſalem dabit vocem ſuam: & mouebuntur cœli & terra. —

Vid. Matth. Cap. XXIV. verſ. 29.

PROPHETA AMOS.

Amos Cap. III. verſ. 4. 8.

4. Num Leo in ſaltu rugit, ſi non ſit præda (propoſita)? Num catulus Leonis vocem ſuam edit de luſtro ſuo, quum nihil (prædæ cepit?)

8. Leo ſi rugiat, quis eſt, qui non timeat? DOMINUS DEUS cum loquitur, quis non prophetaret?

4. Nunquid rugiet leo in ſaltu, niſi habuerit prædam? nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili ſuo, niſi aliquid apprehenderit?

8. Leo rugiet, quis non timebit? DOMINUS DEUS locutus eſt, quis non prophetabit?

EST tremendus quam maximè, ſi quid, Leonis rugitus, ſymbolum formidandæ potentiæ Scriptoribus tum Sacris, tum profanis. Leone rugiente contremiſcunt fibræ omnes corporis, & anima metu obruitur. *Leo ſi rugiat, quis eſt, qui non timeat?* λέων ἐρεύξεται, τίς οὐ φοβηθήσεται; Vix eſt, qui non afficiatur hac timoris paſſione. Ita ſi fortiſſimus ille Leo ex Tribu Juda rugiat, ſi affectus noſtros, ſi intellectum noſtrum & voluntatem, omnes cogitationes noſtras commoueat, quis eſt, qui tractui huic potentiſſimo ſimul & gratioſiſſimo reſiſtat? DOMINUS DEUS *cum loquitur, quis non prophetaret?* ΚΥΡΙΟΣ ὁ ΘΕΟΣ ἐλάλησε, καὶ τίς οὐ προφητεύσει; Sic Angelus ille ἔκραξε φωνῇ μεγάλῃ, ὥσπερ λέων μυκᾶται, Apoc. X. 3. Et fortè terrifica ipſa hæc Leonis vox anſam dedit Parthis pugnaturis alto clamore partim, partim tintinnabulis æreis timorem injiciendi hoſtibus. Exemplum legitur apud *Plutarchum in vita Craſſi:* βύθιόν τι καὶ δεινὸν ὠρυγῇ θηριώδει, καὶ τραχύτητι βροντῆς μεμιγμένον, *profundum quiddam & dirum rugitu ferino* (i. e. leonino) *& tonitrus aſperitate miſtum*, quo quàm maxi-

maximè fuiſſe territos Romanos, teſtatur Hiſtoricus. Seruant hunc morem præliandi adhuc Turcæ, populique alii Orientales, qui terribili clamore aggrediuntur ſuos hoſtes. Philoſophatur, ut ſæpe ſolet, *Plutarchus*, & rationem inde deducit, quod auditus præ aliis ſenſibus afficiat hominis mentem, imo de throno ſuo deturbet. Τῶν αἰσθητικῶν ἀκοὴ ταρακτικωτάτον ἐσι τῆς ψυχῆς, καὶ τὰ περὶ ταύτην πάθη τάχιστα κινεῖ, καὶ μάλιστα ἐξίστησι τὴν διάνοιαν. Gangis per ſcopulos ſeſe præcipitantis reboantes ſonitus rugitu leonino inferiores judicat *Oppianus de Venat.* L. IV.

Ὅσον ἐπισμαραγεῖ δρυμὸς ἄσπετον, ἠδὲ χαράδραι
Βρυχηθμοῖς ὀλοοιῆσιν, ἐπιβρέμεται δ' ὅλος αἰθήρ.

Quam reſonat ſylua vehementer & vallis (leonis) Rugitibus perniciosis, reboat verò totus æther.

Eſt inprimis Leonis rugitus terribilis, quia eo veluti ſigno dato prædam arripit & diſcerpit. Id expreſsè docet Propheta. *Num Leo in ſaltu rugit, ſi non ſit præda propoſita? Num catulus Leonis vocem ſuam edit de luſtro ſuo, quum nihil prædæ cepit?* Ει ἐρεύξεται λέων ἐν τῷ δρυμῷ αὐτοῦ θήραν ἐὰν ἔχων; εἰ δώσει σκύμνος φωνὴν αὐτοῦ ἐκ τῆς μάνδρας αὐτοῦ καθόλε, ἐὰν μὴ ἁρπάσῃ τί; *Rugiunt Leonis catuli ad prædam.* Pſ. CIV. 21. *Vox ejus par eſt Leonis rugitui, rugitque ſicut Leonum catuli. Frendet ergo, & prædam apprehendet: dimittet, nec tamen euadere ſinit. (Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum: & frendet, & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit, qui eruat.)* Jeſ. V. 29. *Quemadmodum Leo aut catulus Leonis ad prædam ſuam rugit, & nihil pauet.* XXXI. 4. *Super ipſum rugiunt Leones, emittentes vocem ſuam, & reddunt terram eorum deſolatam (in ſolitudinem.)* Jer. II. 15. *Conjuratio Prophetarum ejus in medio ejus, ſicut Leo rugiens, & qui prædam rapit.* Ezech. XXII. 25. An verò tanta ſit leonini rugitus vis, ut veluti magica actione animalia territa loco ſuo ſeſe dimouere nequeant, affirmare non auſim. De hac re nihil nouit Hiſtoria Naturalis. Attamen fabulam hanc narrant *Baſilius in Hexaëm. Hom.* 9. *Ambroſius Hexaëm.* L. VI. c. 3. Addimus in Philologorum gratiam, rugitum Leonis exprimi in Lingua Hebraica per שָׁאַג, in Græca per βρυχᾶσθαι, βρύχημα, pro quo LXX. communiter habent ὠρύειν, ὠρύεσθαι ὠρυωμα, quas voces profani Scriptores tribuunt potius ululatui luporum, canum, vulpium.

Amos Cap. IV. verſ. 7.

Ad hæc pluuiam negaui vobis, dum adhuc eſſent tres menſes ad meſſem, & pluui ſuper ciuitatem unam, ſuper aliam non pluui: pars una (agri) compluebatur, & pars, quæ non compluebatur, exareſcebat.

Ego quoque prohibui à vobis imbrem, cum adhuc tres menſes ſupereſſent usque ad meſſem: & plui ſuper unam ciuitatem, & ſuper alteram ciuitatem non plui: pars una compluta eſt, & pars, ſuper quam non plui, aruit.

PRopheta ſi mandatis diuinis defungi debuiſſet in noſtris oris, de niue locutus fuiſſet potius quàm de pluuia. Quod beneficium nobis per hyemem præſtat nix, id iisdem menſibus, Decembri, Januario, Februario, in Orientalibus Regionibus præſtat pluuia. Heic niue, pluuiâ ibi terra exucca humectatur, depauperata veluti ſtercoratur, ut plantis non deſit alimentum. Obſeruandum nihilominus eſt diſcrimen. Neceſſaria magis eſt pluuia Orienti menſibus hybernis, quàm nix climatibus temperatioribus: nam ibi per æſtatem pauca cadit pluuia, vel nulla, in noſtris oris verò vix ſeptimana tranſit absque illa, ut omnino poſſit verna æſtiuaque pluuia compenſare niuis defectum. Hunc naturæ conceſſum ordinem mutat ſupremus cœli terræque Monarcha, quando vult & quoties cunque: mutauit temporibus Eliæ, & mutationem annuntiat populo ſuo per Prophetam, ſed talem, quæ minus ſit quàm illa uniuerſalis, partialis potius; *pluui ſuper ciuitatem unam, ſuper aliam non pluui, pars una agri compluebatur, & pars, quæ non compluebatur, exareſcebat.* βρέξω ἐπὶ πόλιν μίαν, ἐπὶ δὲ πόλιν μίαν οὐ βρέξω. μερὶς μία βραχήσεται, ἧ μερὶς, ἐφ' ἣν ὐ βρέξω, ξηρανθήσεται. Sed utrobique terrarum diſpenſationis adeò benignæ niuis atque pluuiæ, ejusdemque pro pœna ſublatæ gloria ſoli debetur DEO.

Pluuiam negaui vobis &c.

Amos Cap. IV. verſ. 9.

Percuſſi vos (a) robigine & aurigine, varios veſtros hortos, vineas veſtras, ficus veſtras, atque oleas veſtras deuorabat eruca: non tamen eſtis ad me conuerſi, ait DOMINUS.

(a) Al. legunt, carbunculo & aurigine.

Percuſſi vos in vento urente, & in aurugine, multitudinem hortorum veſtrorum, & vinearum veſtrarum, oliueta veſtra, & ficeta veſtra comedit eruca: & non rediiſtis ad me, dicit DOMINUS.

BInas heic & VII. 1. 2. 3. calamitates memorat Propheta, quæ ingentem Judææ inferre debebant cladem, ſed diſtingui debent à locuſtis, de quibus ſupra. *Percuſſi vos*, ita DEUS per Prophetam, *robigine & aurigine* בַּשִּׁדָּפוֹן וּבִירָקוֹן, ἐν πυρώσει, καὶ ἐν ἰκτέρῳ. *Ich habe euch mit Dürre und Brand geſchlagen.* Præceſſerat hæc calamitas meſſi, & intelligenda venit extorridus æſtus, ſiccitas extraordinaria. De qua etiam v. 7. 8. *Pluuiam negaui vobis, dum adhuc eſſent tres menſes ad meſſem — pars* (agri,) *quæ non compluebatur, exareſcebat. Et diuertebant duæ vel tres ciuitates ad unam aliquam ciuitatem, ut biberent aquam, nec ſatiabantur.* Hujusmodi conſtitutionem deſcribit graphicè *Statius Theb.* L. IV.

- - - Haurit ſitis ignea campos,
Diffugêre undæ, ſqualent fontesque lacusque,
Et caua feruenti dureſcunt flumina limo,
Ægra ſolo macies, tenerique ab origine culmi,
Inclinata ſeges, deceptum margine ripæ
Stat pecus, atque omnes quærunt armenta natatos.

Vel per שְׁדֵפָה 2. Reg. XIX. 26. & heic per שִׁדָּפוֹן intelligi poteſt *uſtilago*, quâ vel frumenti ſpicæ in puluerem atrum conuertuntur, vel humidâ nimis tempeſtate tumeſcunt in grana majora, extus nigra, intus alba, qualia deſcripſi atque depinxi TAB. CIV. Venenatæ ſunt indolis, & veniunt nomine *Secalis luxuriantis*, Gallis *Ergot*, *Ble cornu*, nobis *Korn-Zapfen.* Vel etiam intelligi poteſt *rubigo*, *rubedo*, *ærugo*, ἐρυσίβη, *Mehlthau*, *Milthau*, infauſta non minus veteribus Romanis, quàm ipſa peſtis; pro qua auertenda coluerunt Deum *rubigum*, cui Numa Pompilius, Romanorum Rex, ordinauerat *Rubigalia Feſta*, celebranda die 25. Aprilis mactatione catuli lactantis. *Columella:*

Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas,
Sanguine lactantis catuli placatur & extis.

Perſuaſi namque fuere ſuperſtitioſuli illi, oriri rubiginem à venenato canis ſideris influxu, quam peruerſam ſuperſtitionem deridet *Ouidius* ſequenti diſticho:

Pro cane ſydereo canis hic imponitur aræ,
Et quare id fiat, nîl niſi nomen habet.

Poteſt etiam huc referri *Carbunculus* vitibus infeſtus, *der Fleck und Brenner an Weinreben.* Omnia hæc mala oriri poterant à preſtere ſeu vento orientali urente, qui ipſe poſtea erucas quoque adduxerat, & locuſtas. Unde Græci tum torridam illam ſiccitatem, rubigines, uſtilagines, tum locuſtarum plagam uno nomine nuncupabant ἀνεμοφθορίαν. LXX. nempe ita reddidere שְׁדֵפָה Deut. XXVIII. 22. 2. Par. VI. 28. & in noſtro Textu Aquila, Theodotion & Symmachus. Plura vide ad Gen. XLI. 6. 27. Joel. I. 4.

Amos Cap. V. verſ. 8.

Qui facit (a) Cynoſuram & Booten, qui tenebras mortiferas conuertit in lucem matutinam, & diem nocte obtenebrat: qui euocat aquas maris, refunditque eas ſuper faciem terræ. Ejus nomen eſt DOMINUS.

(a) Kima & Keſil variè exponunt: Aſtra ſunt ſeptentrionalia.

Facientem Arcturum, & Orionem, & conuertentem in mane tenebras, & diem in noctem mutantem: qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ: DOMINUS nomen eſt ejus.

Eſt

ESt idea de DEO omnipotenti Creatore, optimo Saluatore, ſapientiſſimo Conſeruatore aptiſſima procurandæ ſaluti hominum, conuertendis peccatoribus. Hac methodo uſus DEUS ipſe, & qui Numine diuino fuere tacti Prophetæ. Eſt ſanè mira eloquentiæ vis in mutis & ſurdis creaturis, quâ, qui ratione ſua turpiter abutuntur, reduci queunt in gyrum rationis, admoneri de ſuis officiis. Ita innumeris locis Scriptura, & heic. DOMINUS, ſolus & ſupremus cœli terræque Monarcha, facit *Cynoſuram & Booten*, כִּימָה & כְּסִיל, binas ex præcipuis conſtellationes, de quibus plura Job. IX. 9. ſed & in genere Stellas omnes tum Fixas, tum Erraticas, earumque magnitudinem, formam, ſitum, motum. Habet Symmachus Hieronymo teſte *Plejadem & Stellas*, Theodotion *Plejadem & veſperum*. Ipſe *tenebras mortiferas conuertit in lucem matutinam, & diem nocte obtenebrat*, ἐκτρέπων εἰς τὸ πρωϊ σκιὰν, καὶ ἡμέραν εἰς νύκτα συσκοτάζων. Verbo, noctem in diem, diem in noctem, dies breues in longos, hos in illos. Ipſe idem *euocat aquas maris, refunditque eas ſuper faciem terræ*, ὁ προσκαλέμενος τὸ ὕδωρ τῆς θαλάσσης, καὶ ἐκχέων αὐτὸ ἐπὶ πρόσωπον τῆς γῆς. Commutat aquam maris ſalſam in dulcem, mare in nebulas, nubes, pluuiam, fontes, flumina. Per amphoras, ſi punire vult, non guttatim, effundit aquas. *Prohibet guttas aquarum, quæ rurſum fundent pluuiam ex vapore ſuo coactam. Ut defluant ab æthere, ac deſtillent in multos homines. (Quia aufert ſtillas pluuiæ, & effundit imbres ad inſtar gurgitum. Qui de nubibus fluunt, quæ prætexunt cuncta deſuper.)* Job. XXXVI. 27. 28. *Ejus nomen eſt* DOMINUS. ΚΥΡΙΟΣ ὄνομα αὐτῷ.

TAB. DCXLVII.

Amos Cap. V. verſ. 19.

Quemadmodum ſi quis fugiat metu Leonis, occurrat autem ei Urſus: & quum domum venerit, manu ſua innixus ſerpens eum mordeat.

Quomodo ſi fugiat vir à facie Leonis, & occurrat ei urſus: & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eam coluber.

INcidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim. Sic Jacob metu Labanis fugiens occurrit Eſauo: Judæi manibus Nebucadnezaris euadentes Ahasueri ſubiere jugum, vel, deſtructâ Aſſyrio-Chaldaicâ Monarchia, Medis atque Perſis ſubjecti. Parallela noſtro Textui loca ſunt: Apoc. IX. 12. ἡ οὐαὶ ἡ μία ἀπῆλθεν, ἰδὲ ἔρχονται ἔτι δύο οὐαὶ μετὰ ταῦτα. XI. 14. ἡ οὐαὶ ἡ δευτέρα ἀπῆλθεν, ἰδὲ ἡ οὐαὶ ἡ τρίτη ἔρχεται ταχύ. Jeſ. XXIV. 18. *Qui fugiet à voce terrifica, incidet in foueam: & qui è fouea aſcenderit, laqueo capietur. (Qui fugerit à voce formidinis, cadet in foueam: & qui ſe explicauerit de fouea, tenebitur laqueo.)* Quæ verba repetuntur Jer. XLVIII. 44.

Commodam heic occaſionem nactus ſiſto ex *Linckiano*, quod Lipſiam decorat, *Muſeo* ſerpentes tres.

1. Serpens Americanus dorſo nigro ad latus lineis albis reticulato, tæniatim fere maculoſis tractibus ſenſim anguſtioribus, quandoque biſurcatis, ad extremam usque caudam cinctus.

Serpens Americanus ex albo & nigro varius.

2. Vipera Americana capite ex carneo & nigro vario, lituris per dorſum totum album variis nigris characteres Arabicos fere referentibus pictum, ventre flauido.

Vipera Americana annulis & characteribus Arabicis ex albo & nigro variis.

Serpens fluuiatilis Surinamenſis, variis characteribus Orientalibus inſcriptus. *Raj. Syn. Quadr.* 332.

3. Serpens tenuis ex flauo & albo varius, notulis per dorſum variæ figuræ, quadratæ inprimis, & magnitudinis pictus, ventre albido.

Amos Cap. VI. verſ. 12.

Num in rupibus equi currunt? num bobus quispiam arat? Quandoquidem judicium in fel, & fructum juſtitiæ in abſinthium vertiſtis.

Nunquid currere queunt in petris equi, aut arari poteſt in bubalis? quoniam conuertiſtis in amaritudinem judicium, & fructum juſtitiæ in abſynthium.

PEruerſa apud vos ſunt & præpoſtera omnia; claui finduntur ligna, ſecuri aperiuntur fores. Quàm difficile eſt, imo impoſſibile, ut *in rupibus currant equi*, plenis paſſibus, & in iisdem *aretur bobus*, tam difficile eſt, mollire ſaxea corda veſtra, o Iſraëlitæ. In vanum eunt & fumum omnia noſtra Prophetarum monita. LXX. Textum noſtrum vertunt ita: *εἰ διώξονται ἐν πέτραις ἵπποι; εἰ παρασιωπήσονται ἐν θηλείαις; Si perſequentur in petris equi? ſi reticebunt ad fœminas?* Clarior Verſio noſtra, congrua Syriacæ. Hebræus Textus concentratus admodùm, הֲיִחָרֹשׁ בַּבָּקָרִים. *Num quis arabit bobus?* Hinc intellexere nonnulli per בָּקָרִים boues ſyluaticos, bubalos, arationi ineptos, non domeſticos. Cauſam infructuoſitatis verbi ſui elegan-

ti metaphorâ exponit Propheta. *Quandoquidem judicium in fel, & fructum juſtitiæ in abſinthium vertiſtis.* LXX. *ὅτι ὑμεῖς ἐξεστρέψατε εἰς θυμὸν κρῖμα, καὶ καρπὸν δικαιοσύνης εἰς πικρίαν.* Docuimus ad Thren. III. 5. & Hoſ. X. 4. vocabulum רֹאשׁ *roſch* rectius forte reddi per *cicutam*, qui ſenſus heic quoque obtinet locum. Non conſiſtetis, Iſraëlitæ peruerſi, coram DEO, ut equo perdifficile eſt, & plena res pericli, ſuper ſcopulos nudos plenis currere paſſibus, vel boui ſuper iisdem cauare ſulcos. Nam miſeros, egenos, innocentes duris preſſerunt calamitatibus, imo ſub juſtitiæ titulo pœnâ mortis mulctarunt. Omne dulce, ſocietati hominum utile commutarunt in abſinthium & amariſſimam bilem, quapropter manebit illos venenoſiſſimus cicutæ ſuccus.

Amos Cap. VII. verſ. 1.

Tale quid oſtendit mihi DOMINUS DEUS: Ecce *(a)* examen locuſtarum in principio, quum renaſcens herba creſceret, & ecce poſt detonſionem Regis (repullulabat.)

(a) Al. legunt, fictor vel fingens locuſtas. Tondentur in vere luxuriantes ſegetes; quod renaſcebatur, à locuſtis fuit corroſum & perditum. Alii tempus autumnale intelligunt, ad prata referentes, ut lekeſch ſit cordum.

Hæc oſtendit mihi DOMINUS DEUS: & ecce fictor locuſtæ in principio germinantium ſerotini imbris, & ecce ſerotinus poſt tonſorem gregis.

LOcuſta heic & Nahum III. 17. גֹּב & גֻּבִּי audit. Arabibus *Gab*, *Gabi*. *Giabi* locuſtæ, *Meninzk. Lex.* p. 6017. Affine forſan Perſarum *deba*, Turcarum *dibaſa* eidem p. 2020. 2021. Deſcendit hæc vox גֹּב forſan ab Arabum *gaba*, *à terra emergere*, ſolent quippe locuſtæ ouula ſua vel vermiculos in terra recondere, ut ex Nymphis hisce juniores naſcantur. Ita *Ariſt. Hiſt.* L. V. c. 28. *ὅταν τέκωσιν (αἱ ἀκρίδες,) ἐνταῦθα γίνονται σκώληκες ὠοειδεῖς, οἱ περιλαμβάνονται ὑπό τινος γῆς λεπτῆς, ὥσπερ ὑφ' ὑμένος. ἐν ταύτῃ δὲ ἐκπέτονται. Plin.* L. XI. c. 29. *Hæ pariunt in terram demiſſo ſpinæ caule oua condenſa autumni tempore. Ea durant hyeme ſub terra, ſubſequente autem exitu veris emittunt paruas, nigrantes, & ſine cruribus pennisque reptantes.*

Debebat locuſtarum plaga Judææ immitti, *quum renaſcens herba*, לֶקֶשׁ, *creſceret*, quod in Zona temperata ſeptentrionali contingit autumno. *Columella* L. VIII. c. 3. *Aluntur commodiſſimè autumnali fœno* (agni,) *quod cordum vocatur.* Quo ipſo tempore locuſtæ oua ſua deponunt, *τίκτουσι δὲ λήγοντες τὰ θέρη. Ariſtot.* l. c. Quieta manent hæc per hyemem, ſed appropinquante æſtate prodeunt ouiformes vermiculi nigri, *σκώληκες ὠοειδεῖς*, Nymphæ vermiculi. Eſt hæc circa generationem locuſtarum naturæ lex. Sed formationem ipſam ſibi tribuit maximus DEUS. Ipſe eſt יֹצֵר גֵּבִי *fictor locuſtarum.* Extat eadem vox Gen. II. 7. 8. 19. ubi de formatione hominis & brutorum. Non quod adhucdum animalcula hæc fingat ex nihilo, vel materia infor-

informi, vel pretioſiore, quàm eſt aliorum animantium, reſidua ex formatione Adami, ut Turcarum Theologi fabulantur. Prouidit ita ſapientiſſimè juſtiſſimus DEUS, ut locuſtarum numeroſiſſimæ generationi & vitæ reſpondederet tempus, in pœnam peccatoribus adſignatam. Deut. XXVIII. 38. *Multum ſèminis proferes in agrum, parum colliges, vaſtabit illud locuſta. (Sementem multam jacies in terram, & modicum congregabis: quia locuſtæ deuorabunt omnia.)* 2. Paral. VII. 13. *Si conſtrinxero cœlum, ut non ſit pluuia, & ſi mandauero locuſtæ, ut abſumat terram. (Si clauſero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauero & præcepero locuſtæ, ut deuoret terram.)* Pſ. LXXVIII. 46. *Dedit brucho prouentum eorum, & laborem eorum locuſtis.* Pſ. CV. 34. *Ejus juſſu venerunt locuſtæ, & innumeri bruchi. (Dixit, & venit locuſta & bruchus, cujus non erat numerus.)* Hinc eſt, quod locuſtæ non ſolùm Judæis, ſed Arabibus quoque clueant *exercitus* DEI. Vide, quæ ſcripſimus ad Joel. II. 25. Sic & *Plinius: Deorum iræ peſtis ea intelligitur.* Hinc & Gentilium Feſta ſolennia, quibus Deorum iras placare præſumſerant. Athenienſibus *Apollo* cluebat *Conopius*, quod fugauerit locuſtas. Conſtat id ex *Pauſaniæ Atticis.* Sic *Hercules* in *Oeta Conopion* apud *Strab.* L. XIII. Demonſtratu facilis eſt hæc locuſtarum à DEO formatio ex ipſa ſtructura, quæ infiniti eſt artificii, & quadrat inprimis refutandis tum Atheis, tum Philoſophis illis, qui æquiuocæ fauent generationi, promachum venerantes *Arnobium* L. II. *Non ſi negemus, muſcas, ſcarabæos, & cimices, nitedulas, curculiones & tineas omnipotentis eſſe opus Regis, ſequaciter poſtulandum à nobis eſt, ut, quis ea fecerit inſtitueritue, dicamus. Poſſimus enim nulla cum reprehenſione neſcire, quis & illis originem dederit, & obtinere, non eſſe à DEO ſuperiore prolata tam ſuperuacua, tam vana, tam ad nullas pertinentia rationes.* Parum abſunt cogitata hæc ἀφιλοσόφα Patris à dogmate *Marcionitarum*, qui *Tertulliano* & *Hieronymo* teſtibus alium voluere Creatorem cœli, terræ, hominum, alium inſectorum.

Amos Cap. VII. verſ. 7.

Sic ergo oſtendit mihi: En DOMINUS conſtitit ſuper murum ad normam extructum, habebatque normam in manu ſua.

Hæc oſtendit mihi DOMINUS: & ecce DOMINUS ſtans ſuper murum litum, & in manu ejus trulla cæmentarii.

QUater occurrit heic & commate proximè ſequenti vox אֲנָךְ *anak*, quam LXX. conſtanter reddunt ἀδάμαντα. Subſcribit *Symmachus, Hieronymo* teſte. Fauet huic interpretationi *Orpheus* περὶ λίθων, qui ſub *Galactitæ* titulo *Adamantem* memorat *Anactiten.*

Τόνδε παγγενέες μὲν ἀνακτίτην ἀδάμαντα
Κλεῖον.

Hunc & Anactiten veteres Adamanta
Vocabant.

Reineſius quoque *Var. Lect.* L. II. c. 7. *Anach* agnoſcit pro *Adamante*, quem *anachiten* vocari perhibet, *quod vanos pellat metus ex mente*, juxta *Plinium* L. XXXVII. c. 4. Sed mauult *Salmaſius* deriuare hanc vocem ἀπὸ τῆς ἀνάγκης *à neceſſitate, coactione.* Quicquid harum deriuationum ſit, haud videtur אֲנָךְ in Textu noſtro ſignificare gemmam. Docet nos *Kimchi*, eſſe אֲנָךְ *plumbum* vel *ſtannum*, nempe Linguâ Arabicâ, quem ſignificatum quoque habet *Golius* in *Lexico* ex *Ibn Maruph.* Hinc fortè *Theodotion* אֲנָךְ reddit τηκόμενον, *fuſum*, quoniam dicta metalla liquantur facile; *Aquila* ἀλείφωσιν, *Hieronymus ſtagnaturam.* Hinc ſtanni diuitem Angliam *Bretanicam* dici volunt quaſi בְּרִית אֲנָךְ *ſtanni agrum. Bochart. Phœnic.* L. I. c. 39. Volunt viſionis circumſtantiæ inſtrumentum, quo cæmentarii utuntur in extructione murorum. *Hieronymus* habet *trullam cæmentarii*, alii melius *libellam, perpendiculum, ein Senck-Bley, Bley-Schnur*, uti Vernacula noſtra.

TAB. DCXLVIII.

Amos Cap. IX. verſ. 3.

— Et ſi ſubduxerint ſe ab oculis meis in fundum maris, inde mandabo ſerpenti, ut mordeat eos.

— Et ſi celauerint ſe ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo ſerpenti, & mordebit eos.

OCcurrit in Textu נָחָשׁ *nachaſch*, vox ſerpentibus & piſcibus, nominatim *Zygænæ* communis, Jeſ. XXVII. 1. Imò & ſideri Job. XXVI. 13. Dari tamen *hydros*, ſerpentes, qui in aquis dulcibus, vel ſalſis marinis degunt, nemo negauerit. Et conuenit magis ſerpenti δράκοντος vox, qua LXX. utuntur, quàm Zygænæ. Quicquid ſit נָחָשׁ in Textu, heic loci iterum ex Linckiano Muſeo ſiſto ſerpentum Tabulam.

Fig. I. Serpens eſt ex venenatiſſimis, cujus morſus paucis momentis vel horis hominibus, canibus, vitam adimit. Deſcriptus amplè in *Tranſact. Philoſoph.* n. 144. Ex ὀφεολογίᾳ mea adduco duntaxat ſynonyma.

Vipera caudiſona Americana, ex flauo, albo & fuſco varia, maculis nigricantibus per dorſi longitudinem catenulæ inſtar protenſis, ſequentibus ferme triangularibus ſeu cuſpidatis albis, medio-fuſcis, nigro colore marginatis, ſubinde ſagittæformibus, in apices rhomboidales deſinentibus.

Coluber Americanus caudiſonus, perbellè notatus, absque crepitaculis.

Vipera caudiſona Americana Tyſon.

Boicininga & *Boicininginga*, *Boiquira* Braſilienſibus. *Marcgrav. Piſon. Hiſt. Nat.* L. V. c. 2.

Ayug Tapuyis.

Teuthlacot Zauhqui i. e. Domina Serpentum. *Hernandez.*

Caſcauela, *Tangedor* Luſitanis.

Rattlesnak Anglis, i. e. Anguis crotalophorus. *Joſſelyn New England.* 38.

Ratelslang Belgis.

Ecacoatl, *Hoacoatl* Mexicanis.

Hæmorrhous Indicus *Nierembergii*, *Abucyatli* dictus, viperæ caudiſonæ ſimilis, ſed ſonalibus caret. *Raj. Syn.* 287.

Serpens venenoſus maximus Virginianus cum ratulis. *Serpent à ſonnette. Vincent. Muſ. Cent.* I. 38.

Serpens peſtifer, omnium Occidentalium venenoſiſſimus, qui accedentem ſonitu crepitaculi in cauda admonet. *Vincent. Elench.* Tab. p. 25.

Fig. II. Amphisbænæ ſimilis, ex pallido fuſca, & nigricans diademata, ſemitæniis fuſcis, tæniis bifurcatis nigris à capite usque ad caudam picta.

Serpens Promontorii Bonæ Spei tæniis albis & nigris, dimidiam partem annulatis, caudâ acutâ. *Vinc. Cent.* III. 29.

Serpens minor Occidentalis, annulis variegatis. *Vinc. Cent.* V. 51.

Amos Cap. IX. verſ. 5.

Ad hæc tanget DOMINUS DEUS exercituum terram, & liqueſcet, & lugebunt omnes, qui habitant in ea, quin uniuerſa ea ut fluuius intumeſcet, & abſorbebitur ut fluuius Ægypti.

Et DOMINUS DEUS exercituum, qui tangit terram, & tabeſcet: & lugebunt omnes habitantes in ea: & aſcendet ſicut riuus omnis, & defluet ſicut fluuius Ægypti.

DAt ſyſtema de liquefactione primæuæ terræ *Woodwardo Hiſt. Nat. Tell. illuſtr.* p. 48. anſam explicandi hunc locum de pœna potius præterita, per diluuianam cataſtrophen effectui data, quàm de futura, ut illius commemoratio terrori eſſet impio Iſraelis populo. Poteſt tamen æquè applicari hic Textus ad ultimam terræ per ignem liquefactionem, vel & pœnas intermedias, uti *Coccejus* intelligendum vult de Romanorum irruptione, qui Palæſtinam inundarunt, ut Nilus Ægyptum. Certum id eſt, *liqueſcere terram, ſi* eam *tetigerit DOMINUS DEUS exercituum.*

Amos

Amos Cap. IX. verſ. 6.

Qui ædificat aſcenſus ſuos in cœlis, & faſciculum ſuum in terra fundat, qui euocat aquas maris, & refundit eas ſuper faciem terræ. DOMINUS eſt nomen ejus.

Qui ædificat in cœlo aſcenſionem ſuam, & faſciculum ſuum ſuper terram fundauit: qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ. DOMINUS nomen ejus.

MYſticam explicationem Theologis lubens concedo, quod CHRISTUS ſit ὁ οἰκοδομῶν εἰς τὸν οὐρανὸν τὴν ἀνάβασιν αὐτοῦ, quod is poſt paſſionem ſuam potentiâ propriâ ſublatus in cœlos, tanquam Filius DEI exercitum ſuum, fidelium, *faſciculum ſuum in terra fundauerit, euocet aquas maris, & refundat eas ſuper faciem terræ*, τὴν ἐπαγγελίαν αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς, θεμελιῶν, ὁ προσκαλέμενος τὸ ὕδωρ τῆς θαλάσσης, καὶ ἐκχέων αὐτὸ ἐπὶ πρόσωπον τῆς γῆς, populis integris, ut olim Romanis, mandare queat, ut inundent terram armis. Sed ad literam quoque intelligi poſſunt verba Textus de *cœnaculis cœli, nubibus, exercitu* DEI *fundato in terræ vortice:* de euaporatione illa inſigni *aquarum maris*, quæ alis ventorum ſublatæ per terræ faciem diſperguntur, & pluuiæ ſpecie per pluuias *effunduntur*.

PROPHETA ABDIAS.

Abdias Cap. I. verſ. 4.

Si in altum ut aquila conſcenderis, nidumque tuum inter aſtra collocaris, illinc te detraham, dicit DOMINUS.

Si exaltatus fueris ut aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum, inde detraham te, dicit DOMINUS.

Vid. Jer. Cap. XLIX. verſ. 16.

PROPHETA JONAS.

TAB. DCXLIX.

Jon. Cap. I. verſ. 4.

DOMINUS autem excitabat ventum magnum in mari, factaque eſt ingens tempeſtas in mari, ita ut cogitare (quispiam poſſet,) nauem eſſe confringendam.

DOMINUS autem miſit ventum magnum in mare: & facta eſt tempeſtas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.

SOle clarius eluceſcit ex hac Hiſtoria, ſi ex ulla alia, DOMINUM, altipotentem DEUM, *educere ventum è ſuis theſauris*, Pſal. CXXXV. 7. *adhibere pondus vento*, Job. XXVIII. 25. Ἀπο μηχανῆς fiunt omnia, nullus adeſt cauſarum nexus. Miraculis omnia plena. Debebat Jonas Miſſionarius DEI juſſu tendere Niniuen, pœnitentiæ verba ſonare, impiam ciuita-

ION. Cap. I. v. 4.
Agitur vento navis, feritur undis.

Jon. Cap. I. v. 4.
See-Sturm.

I. G. Pintz sculps.

tem ad meliorem frugem diſponere. Sed non arridet commiſſio hæc viro DEI, in Japho nauim conſcendit Tharſin fugiturus. DOMINUS *verò excitabat ventum magnum in mari.* ΚΥΡΙΟΣ ἐξήγειρε πνεῦμα ἐπὶ τὴν θάλασσαν. Enarrat ipſe Propheta nautis ſua fata, terrorem, quo perculſi fuerant, auget, dum ipſis fatetur ſponte, mandatum ſibi eſſe injunctum à DOMINO DEO *cœli, qui & mare & continentem (aridam) fecit,* v. 9. Haud it inficias, ſe eſſe ipſum cauſam mali & periculi occaſionalem. Imo dat ipſe conſilium, quo placari poſſit ira DEI, v. 12. *Tollite me,* inquit, *& in mare me abjicite, tum tranquillum fiet vobis mare: noui enim, propter me eſſe hanc tempeſtatem magnam, quæ vobis imminet. (Tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis: ſcio enim ego, quoniam propter me tempeſtas hæc grandis ſuper vos.)* Id comprobauit euentus. Volebant equidem illi parcere miſero Jonæ, & aliis potius quibuscunque, quàm extremo illo, conſiliis uti. *Conabantur viri illi nauem remigando ad terram ſubducere, neque potuerunt, quod mare magis magisque contra eos efferebatur. (Et remigabant viri, ut reuerterentur ad aridam, & non valebant: quia mare ibat, & intumeſcebat ſuper eos.)* v. 13. Tandem, prouidente ita DEO, in extremo malo extremum tentant remedium, exequuntur ſententiam à Jona de ſe ipſo latam. *Accipientes igitur Jonam, dejecerunt eum in mare, conſtititque mare ab æſtu ſuo. (Tulerunt Jonam, & miſerunt in mare: & ſtetit mare à feruore ſuo.)* v. 15. Quis, quæſo, adeò lynceus, ut videat heic ullum inter ejectionem Jonæ & acquieſcentiam ſubitaneam maris nexum? Tempeſtate quippe furente, ſi fluctus agmine facto intentant ſæua pericula nautis, motus hic undarum ſpumantium haud ceſſat illicò juxta naturæ curſum, ſed ſenſim atque ſenſim. Monſtrat proin ratio ipſa miraculum, per ventos & aquam patratum, DEO hæc organa dirigente. Sed animus eſt, intueri propius corporis mentisque oculis ſæuam hanc tempeſtatem.

Ventus, de quo nunc, impetuoſus רוּחַ גְּדוֹלָה item סַעַר גָּדוֹל Græcis audit τυφὼν, ἄνεμος τυφωνικὸς Act. XXVII. 14. Latinis item *Typho* ex congreſſu duorum, trium, vel plurium ventorum, horundemque pugna ortus, qui in vorticoſum motum actus tremendas vires in ſubjectas ei naues, aquas, arbores exerit, ob reſiſtentiam in media axi nullam, viresque ibi concentratas. *Suidas:* τυφὼν, τυφὼς πνεῦμα καπνώδες ἐμπίπτον ἀπὸ νέφους — καταγιδώδης ἄνεμος. Sunt inprimis hujusmodi venti frequentes & formidabiles in maribus ſub-æquatorealibus, inter binos Tropicos, Malaccam inter & Japoniam, Malaccam item & Capitis Bonæ Spei Promontorium, & *Orcanis, Orkan,* nomine nauigantibus veniunt. Graphicè hujusmodi Orcanem deſcribit *Walther Schultze Oſt. Ind. Reiſe* c. 2. *Als wir 14. Tage von der Capo de Bonne Eſperance gegen Oſten geſegelt waren, überfiele uns in der Hinternacht ein ſo grauſamer Sturm, daß wir uns alle in Todes-Gefahr befunden. Als nemlich die Winde gleichſam mit einem donnerenden Schall und groſſer Gewalt (welche Volck und Schiffe verſchlingen kan,) von allen vier Orten der Welt gegen einander auf eine erſchröckliche Weiſe zu ſtürmen anfiengen, welches die erfahrne Schiff-Leute einen* Orkan *nennen. Die grauſamen Winde fielen gleichſam vom Himmel auf uns mit groſſer Krafft gerad nieder, wodurch die ungeſtümme Wellen gleichſam gezwungen ſich nicht auf und nieder bewegen konnten. Wann aber dieſe gefährliche Winde an einer oder andern Seiten der Welt ausberſten, ſo nennen es die See-Fahrende einen* Schwantz des Orkans. *Alsdann brechen die Winde mit einer erſchröcklichen Gewalt durch, und die brauſende Meeres-Wogen ſteigen Himmel-an: die Schiffe aber gerathen in die äuſſerſte Gefahr, gleichwie ich ſelbſt erfahren hab. Die donnerende Winde flogen im Anfang rund um den Compaß her: hielten keinen rechten Strich, und fielen auf uns mit groſſer Gewalt gleichſam aus dem Himmel nieder. Die Segel zerriſſen, und flogen bey Stücken in die Lufft. Das Meer, welches zuvor ſehr brauſete, war uns gleich eben: doch ſchiene unſer Schiff zu ſincken durch die ſtarcke herab ſtürtzende Winde, welche ſo hefftig waren, daß einer des andern Worte kaum hören konnte. Unſer Schiff wurde gantz auf eine Seite gelegt, wodurch Boort und Wände guten Theils unter das Waſſer geriethen. — Inzwiſchen machten die grauſamen Winde ein Loch, und ſtieben mit unbeſchreiblichem Krachen und Donneren vom Weſten nach Oſten hin. Alsbald ſchiene das erſchröckliche Meer mit ſeinen tobenden Wellen bis an die dunckle Wolcken zu ſteigen, doch fiele unſer Schiff ein wenig wieder herunter, wir wurden aber greulich auf und nieder geſchlingert und geworffen. Wir faſſeten inzwiſchen einen beſſeren Muth, weil die finſtere Nacht vergieng, und die längſt gewünſchte Morgen-Stund wieder anbrach: ob gleich die wütenden Donner-Winde ſich noch erſchröcklich hören lieſſen: ſie legten ſich aber darauf allgemählich, und veränderten ſich um Mittag in ein leidenliches Gewitter. Die ſchwartze Wolcken zertheilten ſich, und Winde und Meer wurden ſtill.* Corripuit Orkan Jonam quoque & itineris ſocios tantâ quidem vi, *ut cogitare quispiam poſſet, nauem eſſe confringendam,* הָאֳנִיָּה חִשְּׁבָה לְהִשָּׁבֵר, *nauis cogitabat, vel putabat, frangi, aut conteri,* τὸ πλοῖον ἐκινδύνευε τε συντριβῆναι. Ad literam videntur cogitationes adſcribi ipſi naui. Sic & Galli, *la navire ſe penſa rompre. Abarbanel* id intelligit de nautis ipſis, acſi in tam urgenti neceſſitate conſilium cepiſſent exponendi nauim irruptioni ad littora vel ſcopulos quosuis obuios, vitam fortè natando ſaluaturi. Poſſem heic, ſi tempus locique anguſtia id permitteret, nonnulla afferre de ſæuiſſimis illis Auſtr-Occidentalibus ventis, qui in Indicis maribus frementes undas ad

ſidera

Ion. Cap. II. v. 1.
Cetus Ionæ.

Jon. Cap. II. v. 1.
Der Wallfisch Jonä.

I. G. Pintz sculps.

ſidera fere (ſi ita loqui licet) eleuant, menſibus nempe hybernis inde ab Aprili usque ad Septembrim: de *Elephante* procella in Bengalæ littoribus: de columnis illis aqueis, *Waſſer-ziehende Hoſen, Spouts*, glomerante vento ſurgentibus.

TAB. DCL.

Jon. Cap. II. verſ. 1.

Porrò DOMINUS piſcem magnum præparauit, qui deuoraret Jonam, fuitque Jonas in viſceribus piſcis tribus diebus & tribus noctibus.

Et præparauit DOMINUS piſcem grandem, ut deglutiret Jonam: & erat Jonas in ventre piſcis tribus diebus & tribus noctibus.

MAtth. XII. 40. dicitur Jonas fuiſſe ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους. Nos reddimus, *in ventre Ceti*, *im Bauch des Wallfiſches*: Notandum heic, non intelligi poſſe *Balænam*, vel *Cetum* propriè ſic dictum, qualis in Septentrione communiter capitur. His prægrandis licet molis piſcibus faucium rictus adeò eſt anguſtus, ut tranſitum vix dare queat homini, imò vix brachio, teſte *Kolb. Cap. Bon. Spei* p. 198. 205. De magnis rebus magna ſpargi ſolent mendacia. Mens ſcilicet noſtra admiratione ſemel capta ideas de rerum magnitudine perbellè augere & multiplicare nouit. Falſis de Balæna rumoribus accenſendum, quod legimus in *Dionyſio Periegete* v. 603.

Πολλάκι δ' ἄν κλὴ νῆα σὺν αὐτοῖς ἀνδράσι νηὸς
Κεῖνα καταβρώξειε τεράατα.

Priſciano interprete.

Quippe ſolent pariter nauem ſorbere virosque.

Feſto Auieno.

Protinus hæc ipſas abſorbent fauce carinas,
Inuoluuntque ſimul mox monſtra natantia nantes.

Id quod ne de *Scylla* quidem affirmare auſus fuit *Homerus*, Poëtica licet licentiâ & ipſe uſus.

Animaduertendum probè, eſſe vocabulum κῆτος, *Cetus* commune omnibus magnæ molis *piſcibus*, qui *cetaceorum* nomine veniunt. In ipſo noſtro Textu legitur דָּג גָּדוֹל, κήτος μεγάλον, *piſcis magnus*; Liberum proin erit, ex cetaceorum piſcium Claſſe quærere talem, cujus rictus amplus adeò, ut Jonam deglutire potuerit. Offert autem ſeſe, & plerisque Interpretibus commendat *Canis Carcharias ſeu Lamia Rondeletii & aliorum*, *Geſſn. Aquatil.* 204. *Aldrouand. de Piſcib.* 379. *Willoughby Ichthyol.* 47. *The white Shark*, *Meer- oder See-Hund.* Κῆτος ἐν τοῖς ἀλκιμωτάτοις, μεγέθει μέγιστος. *Ælian. Hiſt.* L. I. c. 8. *Tiburon Marcgrauio* & *Franc. Hernandez*, quem depingi curauimus TAB. XV. *Lamia* & *Lamna* dictus ἀπὸ τοῦ ἔχειν μέγαν λάμον, ab amplo faucium rictu. *Oppian.* L. I. *Halieut.* v. 370.

— δυσαντέα χάσματα λάμνης.

— *Infauſti rictus Lamiæ.*

Occurrunt hi in omni fere Mari, Oceano, Mediterraneo, quod ipſum ſulcauit Propheta noſter, in Mari Rubro, maximo numero. *Rondeletius* mille librarum pondere, ex mediocribus, deſcribit, cujus fauces obeſum etiam virum capere poterant: *Petrus Gillius* alios ad Nicæam & Maſſiliam captos 4000. librarum, in quorum ſtomachis viri integri loricati fuerint inuenti. Carni humanæ inprimis eſt inſidioſus, θηρίον ἀνθρωπόφαγον *Archeſtrato*, prædâ delectans hominum in mare projectorum. Memorabilis cumprimis eſt fabula illa de *Hercule*, qui ſponte ſua faucibus Carchariæ inſiliens, in ejus ventriculo per tres noctes commoratus inde ſaluus, ſed caluus, rediit, hinc τριέσπερος λέων, *trinoctius Leo* dictus. Debebat nempe ἀνθρωπόφαγος hic piſcis Neptuni juſſu deglutire *Heſionem Laomedontis* filiam, quam projectus ille ad audendum Heros projectione ſua liberauit. Vid. *Lycophron in Caſſandra & Scholiaſtes. Phauorinus voce* τριέσπερος. *Cyrill. Comm. in Jon.* c. 2. Memorabilior tantò hæc de *Hercule* fabula, quoniam probabile fit admodùm, Græcos ipſam hanc Hiſtoriam Jonæ, quàm à Phœniciis habere poterant, actionibus heroicis Alcmidæ intermiſcuiſſe, Jonam proin ipſum ſub Herculis fiſto & picto latere pallio. Quod veroſimilius tantò, quia perſuaſus fuit *Joſephus*, ejectum fuiſſe Jonam in Ponto Euxino, ultimo Argonauticæ nauigationis termino. Imo for-

ſan vera Jonæ Hiſtoria ortum dedit fabulæ de *Andromeda*, *Cephei* & *Caſſiopes* filia, ſcopulo alligata, à magno piſce deuoranda, ſed à *Perſeo* liberata prope *Jauan* vel *Joppen*, qua de re *Ouid. Metam.* L. IV. *Fab.* 18. *Plin.* L. V. c. 13. *Pomp. Mela* L. II. *de Situ Orb.* Fidem non ſuperat, condidiſſe Joppenſes memoriam Jonæ Joppenſi naui vecti, & prope Joppen ejecti. Quis autem miretur, veteres Gentiles veris Hiſtoriis miraculoſis, quas à Judæis habere poterant, aſſuiſſe fabuloſas circumſtantias? Nemo eſt, qui ignoret, id quod in hac contingit platea, recenſeri aliter in proxima. Sed quoque ludere ſolebant, & rem variare Poëtæ pro ſua licentia. Adſuerat ipſe *Joſephus*, quod ſupra jam memoraui, Hiſtoriæ Jonæ circumſtantias, de quibus in Sacris literis nil extat, vectum fuiſſe abſorptum Joppen inter Phœniciæ & Tharſos Ciliciæ in Pontum Euxinum usque, ibique ejectum, velociſſimo ſimul & longiſſimo facto trajectu in tenebricoſiſſimo carcere. Sed notandum, non trajicere ſolere lamias per Fretum Byzantinum, non reperiri in Ponto Euxino illas, ſed Delphinos duntaxat minores. Teſtimonium adeſt *Oppiani Halieut.* L. I. v. 606.

Ἐν δὲ οἱ ἀτέ τε κῆτος ἀναρσιον, ἀτέ τι πῆμα
Ἐντρέφεται νεπόδεσσιν ὀλέθριον.

Non infeſta inibi cete, nec piſcibus ulla
Pernicioſa vagis animalia.

Petrus Gillius de Boſphoro Thrac. L. III. *Canes Carchariæ, qui lamiæ & ſcyllæ nominantur, illuc non ſubeunt, propterea quod Pontus Euxinus feris piſcibus frequentari non ſoleat, niſi Delphinis & Phocis.* Collimant *Ammian.* L. XXII. *Ariſt. Hiſt.* L. VIII. c. 13. *Plin.* L. VIII. c. 15. *Ælian. Hiſt.* L. IX. c. 59. Ne opus quidem fuit longinquo hocce per Boſphorum trajectu, quum à littoribus Syriæ iter Niniuen usque non longius ſit quàm à littoribus Ponti. Ridiculum mage eſt, & Geographiæ incompatibile, quod *Sulpicius* narrat, Jonam fuiſſe ad oras Niniues ipſius ejectum. Niniue neque Ponto adjacet, neque Mediterraneo Mari, ſed Tigridi Fluuio. Debuiſſet proin Jonas piſce veredo vectus circumnauigare Africam integram, & magnam Aſiæ partem, ut poſſet intrare Tigridis oſtium. Iter, quod vix ſuſtinuiſſet Talus, de quo Poëtæ fabulantur, eum ter unico die circumnauigaſſe Cretam. Tolerabilior ſanè Arabs *Aſſabili*, qui vult, Jonam exactis quadraginta diebus ejectum fuiſſe ad oras Niniues. Definit nempe is, & cum eo Scriptores Arabes alii moram Prophetæ in ventre Ceti ad normam temporis Niniuitis pro pœnitentia conceſſi. Quum contra LXX. *Sulpicius*, *Theodoretus*, *Cyrillus*, *Theophylactus* 40. illos de pœnitentia cogitanda dies commutauerint in tres.

Utcunque recepta hactenus ſit de *Carcharia* Jonæ vectore ſententia, eam tamen iterum infringere, & rationibus haud contemnendis tentat Clar. *Haſæus Leuiathan.* p. 239. 1. Piſcis ille vocatur magnus, κῆτος μέγα, lamia verò à 4. pedibus vix aſcendit ſupra 15. aut 16. quæ longitudo nulla fere eſt, ſi eam conferas cum immanibus Cetis ad 150. pedum menſuram aſcendentibus. 2. Κῆτος, *Ceti* vox non conuenit lamiæ, quæ nec Cetus eſt, nec ex cetaceo genere, qui pulmonibus ſunt præditi, branchiis carent, & fœtus excludunt viuos. *Homerus* etiam *Odyſſ.* μ. v. 96. diſertè Cetum à canibus marinis diſtinguit.

Δελφῖνας τε κύνας τε, καὶ εἴποτι μεῖζον ἕλησι
Κῆτος, ἀμύρια βόσκει ἀγαστόνος Ἀμφιτρίτη.

Delphinosque canesque, & ſicubi majorem capere poſſet
Cetum, quæ infinita alit gemebunda Amphitrite.

3. Querela Jonæ II. 6. *Alga alligata eſt capiti meo (pelagus operuit caput meum,)* Lamiam excludit, utpote non ἀλγόφαγον ſed σαρκόφαγον, & votum dat Balænæ, quæ Algâ paſcitur. 4. Vix fieri potuit, niſi ſine cauſa augere velimus miracula, ut lamia integrum hominem deglutitum per aliquot dies in ventriculo ſeruet viuum, & euomat illæſum. *Sextuplex ordo dentium ſerratim poſitorum, ac inſtar clauatæ machinæ circumcirca acuminatorum, quos Suidas vocat* σρογγύλας καὶ ἐναλλάσσοντας, *liberum homini tranſitum ſine læſione ejus & dilaniatione per gulam non permittit.* Difficultatibus his & aliis motus Clariſſ. *Haſæus* ad caſtra tranſit doctiſſimi mihique amiciſſimi D. *Peſtaloſſii*, Medici Lugdunenſis Galli, qui *Diſſ. de Jona in Balæna* dans les *Mem. de Trevoux* 1719. p. 1476. neque Carchariam fuiſſe diuini vatis deglutitorem, neque hunc in Balænæ fuiſſe immiſſum ventrem, ſed in ore tantùm ejus hæſiſſe triduo. Argumenta probandi ab *Haſæo* & *Heumanno* latius diducta hæc ſunt. בָּטֶן ſumi poteſt pro *cauitate* quauis e. g. faucium. Ejusdem ſignificatus eſt vox מֵעַיִם, quæ ventrem, cor, uterum, animum, denotat. Reſpondet his κοιλία vox, quæ ſumitur pro omni cauo, quod eſt κοῖλον. CHRISTUS itaque quando dicit, Jonam fuiſſe ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους, nihil aliud indicare vult, quàm fuiſſe *intra* piſcem, ἐν τῷ κοίλῳ magni piſcis. Sic *viſcera non tantùm inteſtina dicimus, ſed quicquid ſub corio eſt. Serv. ad Virgil. Æn.* L. I. v. 215. Quidni igitur & fauces. His rationibus motus haud abſonum judicat Cl. *Haſæus* p. 252. pro diuerſorio Jonæ ſtatuere Ceti magni dentati ſeu Orcæ (quam veluti ex Orco reuocat) fauces, quæ pluribus capiendis hominibus pares ſunt.

Vidimus ſupra veram Jonæ Hiſtoriam à Gentilibus transfiguratam in fabulas, cui ne nos quidem adhiberemus fidem, nî extaret in Sacris Pandectis. Sed fabulis illis Gentilium vix cedunt Rabbinorum Legendæ apud *Sol. Jarchi:*

Jarchi: deglutitum fuiſſe Jonam à דָּג, piſce maſculo, ſed, quia nondum ſatis mortificatus DEUM Liberatorem inuocare noluerit, ejectum in ventrem דָּגָה, piſcis fœminæ, ejusque prægnantis, ubi anguſtiore carcere clauſus egerit pœnitentiam. Fabulæ anſam dedit, quod v. 1. extet vox דָּג, v. 2. דָּגָה. Alia recutitorum fabula hæc eſt, creatum fuiſſe hunc piſcem in ipſis mundi exordiis, & in hunc finem ſeruatum, ut Jonam deglutiret. Id quod certo ſenſu philoſophico haud abſonum, ſed non eo, quo ſumſere Judæi. Vixiſſet piſcis ille ad Joaſi & Jeroboami tempora 3066. juxta Joſephum 3130. annos.

Μέγα λίαν θαυματέργημα agnoſcet, miraculoſam DEI manum venerabitur, quisquis Hiſtoriam hanc debitâ dignatur attentione. Non minori potentiâ opus fuit heic, quàm qua conſeruati fuere Danielis ſocii in mediis flammis. Hominem en! cujus vita pendet à reſpiratione liberâ, degentem per tres dies & noctes in carcere anguſtiſſimo, in aëre vel compreſſo nimis, vel nimis raro, vel, ſi in faucibus Orcæ hæſerit, undis aquæ quouis momento obrutum, absque cibo, absque ſomno, nunc in ſuperficie, nunc in fundo maris! in cauo ſtomacho, cujus contractoriâ & reſolutiuâ vi paucarum horarum ſpatio reſolui debuiſſet in liquamen: ubi neque ſedendi erat locus, neque ſtandi, neque decumbendi, ſed quidem ſudandi, tum propter aërem clauſum, tum propter momentaneum vitæ periculum: in carcere tenebricoſiſſimo, niſi aperto orificio ſuperiori aliquid obſcuræ luculæ viderit per tranſennam: augentibus terrorem introeuntibus, exeuntibusue fluctibus, atque proſpectu in armatas undique dentibus maxillas. In diuerſorio non aderat niſi mucus ventriculi, piſces vel recens deglutiti, vel ſemidigeſti, in Orcæ faucibus alga; extra carcerem mare. ἔσωθεν μάχαι, ἔξωθεν πόνοι. Terroris plena ſi fuit mora, terrificus magis fuerit neceſſe eſt exitus, ſeu per Carchariæ rictum dentibus intro ſpectantibus undique obſitum, ſeu per Orcæ dentatæ tremendas maxillas. Mortis fuere omnia plena, introitus, mora, exitus, ſola DEI manus θαυματεργέσα adjutrix. Ingenuè id confitetur immoriger ante, pœnitens ex poſt, qui experimenta periculoſiſſima ſuſtinuit, Propheta. Verſ. 3. ad fin. ardentiſſimas lege preces, & ſimul ἐπινίκιον. *De ventre inferorum vociferabar, & tu exaudiebas vocem meam,* ubi notandum, vocem שְׁאוֹל *Scheol*, ἅδος, denotare nunc cauitatem ſubterraneam, nunc ſepulchrum, nunc ſedem damnatorum, heic tenebricoſiſſimum carcerem, ſed mobilem. *Dejeciſti me in profundum, in cor maris, ut fluuius me circundaret, omnes fluctus tui undæque tuæ ſuper me tranſirent. Cogitabam ego, abjectum me eſſe à conſpectu oculorum tuorum, veruntamen rurſus Templum Sanctitatis tuæ videbo. Circundederunt me aquæ usque ad animam, abyſſus circunquaque me concluſerat, carectum implicitum erat capiti meo. (Et projeciſti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt. Et ego dixi: Abjectus ſum à conſpectu oculorum tuorum: veruntamen rurſus videbo templum ſanctum tuum. Circumdederunt me aquæ usque ad animam, abyſſus vallauit me, pelagus operuit caput meum.)* v. 3-6. Quæ poſtrema verba non allegorico ſenſu accipio, ſed literali, indeque colligo, piſcem illum Jonæ deglutitorem non carnibus veſci, ſed herbis marinis, סוּף, quæ vox non ſolam arundinem ſignificat, ſed & algam, præjudicio id eſt σαρκοφάγῳ Carchariæ, argumento pro Orca. *Ad fiſſuras montium deſcenderam*, ad imas globi terrei inæqualitates, imò ad montes, ſcopulos ſubmarinos. *Terra vectibus ſuis perpetuò me concluſerat, Tu autem ab interitu vitam meam reduxiſti*, o DOMINE DEUS. *(Ad extrema montium deſcendi, terræ vectes concluſerunt me in æternum: & ſubleuabis de corruptione vitam meam, DOMINE DEUS meus.)*

Hiſtoriæ illuſtrandæ ſeruiunt ſequentes figuræ.

A. Rictus *Carchariæ.*

B. Rictus *Orcæ.*

C. Numiſma ſub *Trajano* à Pruſaenſibus percuſſum, in cujus auerſa *Heſione Laomedontis*, Trojanorum Regis, filia utraque manu ſaxo affixa, Ceto ſeu monſtro marino expoſita, quam *Hercules* ſoluit. *Beger. Theſ. Elect. Brand. Cont.* p. 643.

D. *Alga anguſtifolia vitriariorum* C B. I B. *Fucus marinus ſiue Alga marina graminea Park.* 1292. quâ percommodè coronari poterat Jonas.

Legantur

Martini Lipenii Jonæ Diaplus Thalaſſius ex Hiſtoria Sacra deſumptus. Witteb. 1667. & 1678. 4.

Franc. Baring Diſſ. de Ceto Jonæ. Bremæ 1689. 4.

Sigiſm. Auguſt. Pfeiffer. Diſſ. Epiſtolaris Apologetica pro ſtabiliendo Themate, *Piſcem Jonæ deglutitorem eſſe Balænam*, oppoſita *Chriſt. Franciſco Paulini* & *Joh. Henr. Majo*, aliisque lamiæ propugnatoribus. Lubec. 1697. 4.

Joh. Brunſmann. de Ceto Jonæ Diſſ. qua diſquiritur, verusne fuerit, an minus, rationesque Sam. Bocharti, quibus adductus propriè dictum negauerit fuiſſe Cetum, diſſoluuntur. Jen. 1687. 8.

Chriſtiani Gotthold Wiliſch recentiſſimorum de Jona in piſce ſententiæ examen. Lipſ. 1721. 4.

Joh. Georg. Neumann. Programma de Miraculo Jonæ ab empæctis vindicato.

Jon. Cap. II. verſ. II. al. Cap. III. verſ. I.

Mandauit autem DOMINUS piſci, & euomuit Jonam in aridam.

Et dixit DOMINUS piſci: & euomuit Jonam in aridam.

PIſcium non eſt, res ſemel deglutitas, licet ventriculo moleſtas, vel & ore captas, rejicere vomitu. Imo impoſſibilem fere reddunt hanc actionem dentes recurui, ſpectantes introrſum. Hinc contingit aliquando, ut Lucius aliusue piſcis rapax alium etiam magnum arripiat, integrum verò vel deglutire, vel in ſtomacho locare nequeat, præda dimidia foràs ſpectet, viſuique ſeſe offerat monſtrum bicaudatum, caudis in aduerſa protenſis. Oſtendimus jam ſupra, è faucibus Carchariæ licet apertis exitum haud patuiſſe absque miraculo, quod auget vel ſola veſtium, hærentium facile, conſideratio. Eſt & Orcæ maxilla, inferior nempe, dentibus undique armata. Et quorſum, reſeratis licet carceris portis, fuga patuiſſet captiuo? Ex charybdi in ſcyllam, ex ventre lamiæ, vel faucibus Orcæ in mare, ubi vel abſorpſiſſent miſerum fluctus, vel proximus quisque ex piſcibus rapacibus diripuiſſet? Hinc ſoli DEO tribuenda liberationis gloria, *mandauit* DOMINUS *piſci*, προσεταξη απο ΚΥΡΙΟΥ τῳ κητει. Idem nempe, qui *piſcem magnum præparauit* II. 1. ut Jonam deglutiret, qui captiuum per triduum omnipotenti ſua manu conſeruauit, portas nunc aperuit carceris. Totius naturæ conditor, qui *mandauerat coruis, ut adferrent panem & carnem Eliæ, (præcepit coruis, ut paſcant Eliam ibi,)* 1. Reg. XVII. 4. qui *mandauit locuſtis, ut abſumerent terram*, 2. Paral. VII. 13. qui *mandat ſerpenti, ut mordeat*, Amos IX. 13. qui mandat alibi cœlis, nubibus, pluuiæ. Mandare, eſt creaturis uti.

Verus locus, ubi Jonas fuit ejectus, ignotus eſt prorſus, percurres ante omnia Aſiæ littora, quàm illum inueneris. Vocatur יַבָּשָׁה, ξηρὰ, *arida*, *Land*, ſic & Chaldæus interpres יַבָּשְׁתָּא. Controuerſas de loco conjecturas examinauimus ſupra, & exploſimus illam in ſpecie *Joſephi Ant.* L. IX. c. 11. juxta quem Jonæ deglutitor tranare debebat maria, Syrium, Phœnicium, Cilicium vel Cyprium, Rhodium, Carium, Jonium, imò totum Ægeum ſeu Archipelagum, Helleſpontum inſuper & Propontidem, Pontum denique Euxinum, & Prophetа ipſe pedibus emetiri iter per Colchidem, Iberiam, Tauri juga, Albaniam, Armeniam. Placet *Druſio*, *Chriſtoph. à Caſtro*, *Gabrieli à Coſta*, *Martino Opizio*, *Sinus Iſſicus* vel *Iſſæus*, ad *Iſſum*, Ciliciæ urbem, Nicopolis ab Alexandro nuncupatam, qui Darium prope eam vicit: Aliis *Seleucia* in confiniis Syriæ & Ciliciæ, Ptolemæo *Pieria* dicta, à qua emetiendum fuiſſet iter per Syriam & Meſopotamiam. Longiſſimum omnium eſt iter, quod *Joh. de Pineda* proponit ad *Mare Rubrum*, nempe per maria Syrium, Ægyptium, totum Mediterraneum, imo Africæ Periplum. Quam opinionem hauſiſſe videtur ille à Judæis. Securiſſimi omnium conjectant, qui vel *Joppen* volunt, vel *Palæſtinæ littora*, unde commodum fuit Hieroſolymam verſus iter, ubi poterat Prophetа DEO LIBERATORI ſua ſoluere vota, & Hieroſolymâ tendere Niniuen.

Ion. cap. IV. v. 6. 7. 8.
Kikajon Ionæ.

Jon. Cap. IV. v. 6. 7. 8.
Jonæ Kürbis oder Wunder-Baum.

G.D. Heumañ sculps.

TAB. DCLI.

Jon. Cap. IV. verſ. 6. 7. 8.

6. Parauit autem DOMINUS DEUS Kikajon, quæ aſcendit ſuper Jonam, ut umbram capiti ejus faceret, ut eriperet eum ab adflictione ſua. Lætatus eſt autem Jona de Kikajon magno gaudio.
7. Parauit autem DEUS, quum poſtero die aurora exoriretur, vermem quendam, qui Kikajon læderet ut exareſceret.
8. Orto autem Sole adduxit DEUS Eurum torrentem, ut Sol feriret caput Jonæ, ut penè exanimatus animo ſuo mortem poſtularet dicens: Mori quàm viuere ſatius mihi fuerit.

6. Et præparauit DOMINUS hederam, & aſcendit ſuper caput Jonæ, ut eſſet umbra ſuper caput ejus, & protegeret eum, laborauerat enim: & lætatus eſt Jonas ſuper hedera, lætitia magna.
7. Et parauit DEUS vermem, aſcenſu diluculi in craſtinum: & percuſſit hederam & exaruit.
8. Et cum ortus fuiſſet Sol, præcepit DOMINUS vento calido & urenti: & percuſſit Sol ſuper caput Jonæ, & æſtuabat: & petiuit animæ ſuæ ut moreretur, & dixit: Melius eſt mihi mori, quam viuere.

PArui momenti videtur quæſtio de Jonæ קִיקָיוֹן, nobisque nihil adferre vel commodi vel damni. Et tamen propter illam *bellum* reuerà *cucurbitinum* eſt enatum *Hieronymum* inter & *Auguſtinum*, Patres ut eruditiſſimos ita pientiſſimos. Hic nempe ex Veterum ſtetit partibus, fuiſſe *Kikajon* ex *cucurbitarum* genere, ille verò *hederam*. A verbis ventum ad verbera, accuſatus ab Auguſtino Hieronymus Romæ, tanquam Heterodoxiæ reus. Patet hoc exemplo, poſſe Theologos cæterà pios & doctos in ἀδιαφόροις & Problematicis diſſentientes exacerbari ita, ut diſſenſus maximo veniat Eccleſiæ ſcandalo, & hæretificationes multiplicentur præter neceſſitatem. Fuit autem bellum illud tantò ridiculum magis, quod fortè à neutro ſteterit rei veritas.

Ex *Auguſtini* partibus ſtant Verſiones LXX. (quæ κολοκυνθην, *colocynthidem* habet,) Syriaca, Arabica, Æthiopica, *Pagninus*, *Lutherus*, *Forſterus*, alii. In *Hieronymi* acie *Aquila*, *Symmachus*, *Theodotion*, *Vulgata*, *Corn. à Lapide*, *Oecolampadius*, alii. Placet aliis *cucumis*, aliis *platanus*, aliis *ficus*, aliis *Mauz*. *Ribera* & *Sanctius* volunt, *Kikajon* eſſe nomen omnibus plantis citò ſuccreſcentibus & obumbrantibus proprium. Malunt nonnullæ Europææ Verſiones, & has inter Tigurinæ ambæ, ſeruare Hebræum *Kikajon*, quàm incerti quid ſtatuere.

Aliam à Patribus illis, & fortiorem aciem, formant Rabbini plerique *Kimchi*, *Arias*, *Mercerus*, *Junius*, *Tarnouius*, *Piſcator*, *Coccejus*, *Grotius*, *Druſius*, *Amama*, *Buxtorffius*, *Hottinger*, *Schindler*, *Urſinus*, *Pfeiffer*, *Hildebrand*, *Bochart*, *Guilandinus Epiſt. de Stirpib.* p. 11. *Hiller Hierophyt.* P. I. p. 453. Oſtendunt hi nobis *Ricinum* (Fig. A.) Plantam Orienti familiarem, hortis etiam noſtris haud ignotam, quæ ad inſignem creſcit altitudinem, amplis foliis & ramis brachiata. *Inſigni auctu celeriter adoleſcit, caule craſſo, ſtriato, glauco, geniculato, inani, ſuperius ramoſo, ex obſcura purpura nitente & glabro. Folia ampla, platano & aceri ſimilia, digitata, in ſeptem octo aut nouem acuminata ſerrataque ſegmenta, atrouirentia, ſplendida, & interdum acetabuli inſtar concaua, unde pediculus auerſo folio oritur dodrantalis, purpuraſcens, concauus; quanto autem ſuperiora fuerint folia, tanto ampliora exiſtunt. Flores longa ſerie thyrſoide ſurculo peculiari racemati inſident, è ſanguineis criſpisque ſtaminibus, quæ terna è fructus rudimento emicant, conflati: quibus muricata triquetra vaſcula ſuccedunt, quæ ſemina claudunt oblonga, Ricini animalculi æmula, foris liuida & maculoſa, interiore medullâ candida, quæ capitulis per maturitatem fiſſis ac rimas agentibus cum impetu exiliunt. Præter flores videre eſt in eodem thyrſo muſcoſa glomerata nucamenta coloris herbacei, quæ nullo relicto fructu tandem matureſcunt. Radix ſimplex, longa, craſſa, du-*

ra, candida, crebras circumcirca fibras emittens. Raj. Hiſt. Plant. p. 166. ex I. B. Eſt hæc ipſa planta Ægyptiorum κικὶ apud *Herodotum* L. I. c. 92. ubi unguentum ex illa paratum hoc nomine venit, ἀπὸ τῶν σιλλικυπρίων τὸ καρπῦ, τὸ καλέουσι μὲν Αἰγύπτιοι κικὶ, *ex fructu ſillicypriorum, quod Ægyptii* κικὶ *appellant.* Sic & *Straboni* L. XVII. fructus κικὶ in agris ſeri, & ex eo oleum parari dicitur, τὸ κικὶ καρπός τις σπειρόμενος ἐν ἀρούραις, ἐξ οὗ ἔλαιον ἀποθλίβεται. Audit hoc oleum ἔλαιον κίκινον, *oleum cicinum. Dioſc.* L. IV. κικὶ ἢ κρότων — ἐξ οὗ ἀποθλίβεται τὸ λεγόμενον κίκινον ἔλαιον. *Plin.* L. XV. c. 7. *Fit oleum & è cici arbore in Ægypto copioſa.* Planta hæc *Elcheroa* nuncupatur Arabibus. Docet id *Hieronymus: Pro cucurbita ſiue hedera in Hebræo legimus* קִיקָיוֹן, *quæ etiam Linguâ Syrâ & Punicâ elkeroa dicitur. Lexicon Copticum* p. 185. κοκὶ, *kuki vox Ægyptia* (ubi forſan legendum kiki) *Arabicè granum elcheroa, vel alcheroa.* Hodiè *Chyrwæ, Chærwæ. Meninzk. Lex.* 1889. Reddit & *Abenbitar* Dioſcoridis κικὶ Arabicè *Cheroa.* Fig. B. ad marginem exhibet Characteres Ricini. Et Fig. C. ex Ill. *Sloane Natural. Hiſtory of Jamaica Vol.* I. p. 129. *Tab.* 184. eſt *Ricinus minor Staphyſagriæ folio flore pentapetalo purpureo. Ricinus Americanus lacteſcens trilobato folio perennis flore nigricante, Hort. Beaumont.* p. 36. *Ricinus Americanus perennis floribus purpureis Staphidis agriæ foliis. Commelin. Hort. Amſt.* p. 17. *Ricinoides Americana ſtaphiſagriæ folio Tournef. Inſt.* p. 566. Alia ſynonyma habet laudatiſſimus *Sloane Vol.* II. p. 362.

Sed quomodo *kiki* illud ſiue *kikajon* unica nocte ſuccreſcere potuerit, ſola naturæ ſollicitatione, eò quidem usque, ut Jonam obumbrare potuerit, ego haud capio. Videntur mihi verba illa, *parauit* DOMINUS DEUS *kikajon*, LXX. προσέταξε ΚΥΡΙΟΣ ὁ ΘΕΟΣ κολοκύνθῃ, *præcepit* DOMINUS DEUS *cucurbitæ*, accrementum naturæ viribus majus, miraculoſum. Seligit DEUS plantam, quæ naturâ motore lætè creſcit, ſed his viribus ſuperaddit majores, ut piſcinam Betheſdæ, balneum per ſe quidem multis ægris ſalutare, quotannis ſemel commoueri juſſit per Angelum, pro effectu miraculoſo, Iſraelitis ſeu coturnices ſeu locuſtas adduci per Eurum.

Magno quidem & gaudio & commodo fuit Prophetæ pulcherrimæ plantæ umbra, ſed haud diuturno. *Parauit* DEUS, *quum poſtero die aurora exoriretur, vermem quendam, qui kikajon læderet, ut exareſceret,* προσέταξεν ὁ ΘΕΟΣ σκώληκι ἑωθινῇ τῇ ἐπαύριον, καὶ ἐπάταξε τὴν κολόκυνθαν, καὶ ἀπεξηράνθη. Quod citò factum, peribat citò. Fuere ex parte DEI, ut ſunt in omnibus, tum accrementi ſubitanei, tum exareſcentiæ citæ cauſæ finales, ab ipſo Propheta recenſitæ, quarum pleniorem inquiſitionem aliis linquo, ut & ad uſus morales applicationem. Qualisnam autem fuerit ille vermis, תוֹלַעַת, tacente Scriptura haud neceſſe duco inquirere operoſius, quum innumera ſint inſecta, quæ DEI juſſu poterant ſententiam de kikajon lata exequi, ut nouâ creatione haud fuerit opus. Non eſt planta, imo non ſunt folia, flores, radices, fructus, quæ non infeſta ſibi habeant certi generis inſecta, cœlo præſertim ſudo magno ſe propagantia numero. Neque ab his matricidis immunes ſunt plantæ venenatæ. Sunt tamen ſecuriores magis, quæ folia habent aſpera, caules hirſutos, aculeos horridos, quibus accenſeri poteſt *Auguſtini cucurbita.* Hinc Græcorum prouerbium apud *Athenæum* L. II. ex *Epicharmo*, ὑγιέστερος κολοκύνθας, *ſanior cucurbitâ*, aliud apud *Suidam* & alios, κρότωνος ὑγιέστερος, *Crotone vel Ricino ſanior.* Licet dubium adhuc ſit, an κρότωνος nomine veniat *Ricinus*, vel potius *Croton* urbs, fortiſſimi Milonis patria, de cujus ſalubri ſitu teſtimonium extat apud *Strabonem* L. VI. & alios. Redeo ad *Kikajon.* Id non, quod communiter fit, denudatum fuit foliis vel floribus, ſed *læſum* in trunco, ut exareſceret: pereſi fuere à verme tubuli nutritii, & impeditus ſic vel interruptus alimenti aſcenſus.

Injuriarum heic nondum finis. *Orto Sole,* ſublato umbraculo, *adduxit* DEUS *Eurum torrentem, ut Sol feriret caput Jonæ, ut penè examinatus animo ſuo mortem poſtularet, dicens: Mori quàm viuere ſatius mihi fuerit.* Καὶ ἐγένετο ὡμὰ τῷ ἀνατεῖλαι τὸν ἥλιον, καὶ προσέταξεν ὁ ΘΕΟΣ πνεύματι καύσωνι συγκαίοντι, καὶ ἐπάταξεν ὁ ἥλιος ἐπὶ τὴν κεφαλὴν τοῦ Ἰωνᾶ, καὶ ὠλιγοψύχησε, καὶ ἀπελέγετο τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, καὶ εἶπε· καλόν μοι ἀποθανεῖν με, ἢ ζῆν. Euro æſtuoſo flante, & Sole verberante accenſa Ephemera, quæ præter laſſitudinem accerſiuit Jonæ dolores capitis.

PRO-

PROPHETA MICHA.

TAB. DCLII.

Mich. Cap. I. verſ. 8.

Hanc ob rem plangam & ululabo, incedam lacerus & nudus, edamque planctum, ut Dracones, & luctum, ut juuenes Struthiones.

Super hoc plangam, & ululabo: vadam ſpoliatus & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum.

Vid. Job. Cap. XXX. verſ. 29.

EX *Linckiano Muſeo*, quod Lipſiæ eſt, ſiſto iterum ſerpentes.

Fig. 1. Amphisbæna ſubflaui in dorſo, in ventre carnei magis coloris.

Ξανθὸς ἐπὶ τρία δῶρα φέρων μῆκός τε καὶ ἰθῦν.

Flauus eſt, ad tres palmos (minores) habens longitudinem.

Amphisbæna Africana ſiue Serpens cœcus, Scytales ſpecies. *Vincent. Cent.* II. 13.

Fig. 2. Serpens lato capite marmorato, ex nigricante, fuſco, albo & flauido varia, faſcia nigricante per medium dorſum undatim veluti eunte, nunc cohærente, nunc interrupta, albo colore marginata, ventre flaueſcente.

Αἰθαλώεις μὲν νῶτα.

Dorſo quidem fuliginoſus.

Nicander de Dryino v. 420.

Serpens Guineenſis rariſſimus, in ſuperiori parte fuſci, in inferiori albi coloris. *Vinc. Cent.* IV. 97.

Mich. Cap. I. verſ. 16.

Calua reddere & tondere ſuper filios tuos delicatos, propter caluitium tuum ſicut aquila, quoniam à te transmigrabunt.

Decaluare, & tondere ſuper filios deliciarum tuarum: dilata caluitium tuum ſicut aquila: quoniam captiui ducti ſunt ex te.

SUnt omnibus auibus rapacibus, aquilis inprimis, multæ plumæ, quæ vere excidunt, apertis mage cutaneis poris, atque tunc aues caluas reddunt. Id nos Germani vocamus *mauſen*, Galli *muer*, i. e. mutare pennas, recentiores Græci μετέυειν, quæ ipſa vox à *mutare* originem habet. Hac voce utitur *Demetrius* ἑρμοσοφ. c. 53. Et fortè noſtrum *mauſen, muſen*, ab eadem origine deſcendit potius quàm à *mure*. Id quod Etymologis decidendum linquo. Veteres Græci dicere ſolebant, μαδίζεσθαι, πτεροφυῆσαι, ἀποβάλλειν τὰ πτερὰ. Calueſcunt proin aues, ut homines, hac quidem differentia, quod illa caluities totum attineat corpus, hæc ſolum caput, & illis accidat omni vere, his in extrema utplurimum ſenecta.

Mich. Cap. IV. vers. 13.

Surge, & extere, ô filia Zion, quoniam faciam cornu tuum ferreum, & ungulas tuas faciam chalybeas, ut conteras populos multos. —

Surge, & tritura, filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos. —

Vid. Jer. Cap. XLVI. vers. 20.

TABB. DCLIII. DCLIV. DCLV.

Mich. Cap. VII. vers. 17.

Puluerem in morem Serpentis lingent, ut quæ repunt in terra, & ex habitaculis suis contremiscent, ante DOMINUM DEUM nostrum pauebunt, & te timebunt.

Lingent puluerem sicut serpens: velut reptilia terræ proturbabuntur de ædibus suis: DOMINUM DEUM nostrum desiderabunt, & timebunt te.

Vid. Gen. Cap. III. vers. 14.

NEque hanc prætermitto occasionem sistendi Serpentes nonnullos ex θηριοφυλακίῳ *Linckiano*.

Fig. 1. Serpens Americanus cœruleus.

Fig. 2. Serpens Americanus ferrugineo dorso, maculis per totam laterum longitudinem semilunatis nigricantibus; medio albis, ventre albido nigris punctis notato, capite ex ferrugineo & albo vario.

Serpens Americanus ferrugineis variis maculis nigris in dorso, à latere squamis ex umbra circulis albis semilunatis.

Hæmorrhous, Hæmorrhois, colore est arenoso, per corpus verò notis nigris & albis variegata. *Aëtius, Auic. Arab.* T. II. p. 138. *Lat.* IV. 6. 3. 36.

Fig. 3. Serpens Surinamensis aquaticus ex nigro, cœruleo & albo varius, maculis præsertim in dorso nigris, sed variæ figuræ & magnitudinis.

Serpens vulgaris aquaticus Surinamensis ex nigro & albo varius.

Albaris varii serpentis species. Giauhari.

Fig. 4. Tab. DCLIV. Serpens Americanus tæniatus, tæniis latioribus cupreis & angustioribus sordidè albis.

Serpens Americanus annulis majoribus ex cupro & minoribus sordidè albo.

Serpens minor Americanus variegatus, tæniis latioribus & annulis nigris.

Fig. 5. Dipsas Surinamensis capite ex nigro, fusco & albo vario, diademate ex punctis albis constante ornatus, collo supernè purpureo-fusco, ad latera albo, semitæniis dehinc per totam dorsi longitudinem alternis latioribus fusco-purpureis, angustioribus dilutioris purpuræ in maculas candidas terminatis, quæ solæ caudam prætenuem longam nigricantem decorant: venter flauescit.

Dipsas Surinamensis perbellè notatus.

Αἰὲν ὑποζυφόωσα μελαίνεται ἄκροθεν οὐρή.

Semper subobscura nigricat extrema cauda.

Nicand. de Dipsade v. 337.

Dipsadi sunt nigredinis vestigia plurima, & color postremæ partis versus caudam ad nigredinem declinat. *Auicenna.*

Serpens albus in capite lineas habens coronæ instar. *Damir.*

Serpens Americanus longus, crassus, capite latiori, cauda tenui & longa. *Vinc. Cent.* III. 82.

Serpens Americanus longus, tenuis, capite crasso, cauda tenui. *Vinc. Cent.* IV. 13.

Serpens Siamensis longissimus variegatus, capite plano & viperino, fusco-marmoreo. *Vinc. Cent.* IV. 56.

Fig. 6. Tab. DCLV. Serpens Americanus ex luteo & griseo (vel fusco) in capite & collo veluti reticulatus, reliquo corpore tæniatus, tæniis veluti fractis.

Ser-

Serpentis Americani ex luteo & griſeo variegati ſpecies.

Serpens Americanus cum maculis fuſcis. *Vinc. Cent.* II. 66.

Serpens Americanus tenuiſſimus leucophæo marmoreus, capite plano, collo & cauda tenui. *Vinc. Cent.* III. 60.

Fig. 7. Acontia Surinamenſis longa prætenuis, capite anteriore flaueſcente acuto, dorſo cœruleo-viridi, ventre albido, & linea rubente per longitudinem picto.

Acontia ſeu Jaculatrix Surinamenſis ex cœruleo & viridi varia.

Caninana, cujus venter flauus, dorſum viride, 8. circiter palmos longus. *Raj. Syn. Quadr.* 328.

Serpens Indicus gracilis viridis. *Achætulla* Ceylonenſibus, id eſt, oculis infeſtus. Idem ex viridi & albo variegatus, capite mucronato. *Raj. Syn.* 331. *Herm. Muſ. Ind.* 8. 92.

Vipera Africana longiſſima, ſiue *Chalcis*, Aſpidis ſpecies, colore viridi, *vipera parua* vulgò dicta. *Vinc. Cent.* II. 9.

Serpens Americanus gracilis & longiſſimus, Dipſadis ſpecies. *Vinc. Cent.* II. 12.

Anguis Borneocus viridis familiaris, pertenuis. *Petiv. Muſ.* n. 105.

Fig. 8. Serpens Americanus tæniis ſubalbidis & cupreis latis per æqualia fere interualla ſibi ſuccedentibus, ſaturatioris in dorſo coloris, caudâ obtuſiore.

Serpens Americanus annulis cupreis & ſubalbidis.

Serpens coralloides Americanus tæniatus, caudâ longâ in acumen deſinente. *Vinc. Cent.* V. 90.

Serpens minor Americanus longiſſimus, tæniis nigris & flauis, corpus ambientibus, dum viueret rubicundis. *Vinc. Cent.* VI. 168.

PROPHETA NAHUM.

Nahum Cap. II. verſ. 12. 13. (II. 12.)

12. Ubinam luſtrum Leonum, & paſcua juuenum Leunculorum, ad quæ conferebat ſe Leo (maritus) Leænæ, ubi degebat catulus Leoninus, nec quisquam turbabat?
13. Leo inquam rapiens quantum ſatis eſſet catulis ſuis, ſtrangulans quoque Leænis ſuis, qui & rapina compleuit latibula ſua, luſtraque ſua laceris animantibus.

11. Ubi eſt habitaculum Leonum, & paſcua catulorum Leonum: ad quam iuit Leo, ut ingrederetur illuc: catulus Leonis, & non eſt, qui exterreat?
12. Leo cepit ſufficienter catulis ſuis, & necauit leænis ſuis: & impleuit præda ſpeluncas ſuas, & cubile ſuum rapina.

Vid. Ezech. Cap. XIX. verſ. 2. & alibi.

Nahum Cap. III. verſ. 15. 16. 17.

15. Ibi quoque ignis deuorabit, conficiet te gladius, deuorabit (autem) te more bruchi.
16. Onera te (hominibus) tanquam brucho, onera te tanquam locuſtis. Auxiſti mercatores tuos ſupra ſtellas cœli, bruchum (videlicet) auolantem ſtatim, ut impetum cepit.
17. Comatuli tui Locuſtam referunt, ingenui tui attelaborum examen

15. Ibi comedet te ignis: peribis gladio, deuorabit te ut bruchus.
16. Congregare ut bruchus, multiplicare ut locuſta. Plures feciſti negotiationes tuas, quàm ſtellæ ſint cœli: bruchus expanſus eſt, & auolauit.
17. Cuſtodes tui quaſi locuſtæ: & paruuli tui quaſi locuſtæ locuſtarum,

imitantur tempore frigido in ſepibus conſidentium, ſed orto ſole diffugientium, ut neſciatur locus eorum, ad quem peruenerint.

quæ conſidunt in ſepibus in die frigoris: Sol ortus eſt, & auolauerunt, & non eſt cognitus locus earum, ubi fuerint.

SYmbolo ſtellarum cœli, & locuſtarum deſcribit heic Nahum Niniuitas, alibi Prophetæ alii alios opibus armisque potentes populos. Confluent intra Niniues mœnia, veluti in aſylo, alienigeni Principes & Mercatores, & *attelaborum examen imitantur tempore frigido in ſepibus conſidentium*, ἐξήλατο ὡς ἀττέλεβος ὁ συμμικτὸς σε, ὡς ἀκρὶς ἐπιβεβηκυῖα ἐπὶ φραγμὸν ἐν ἡμέρᾳ πάγες. *Exiliit, quaſi attelabus, commiſtus tuus, ſicut locuſta, quæ aſcendit ſuper ſepem in die gelu.* Obſeruandum ὡς ἐν παρόδῳ, eſſe id inſectis omnibus commune, ut motum & quietem accommodent præcisè aëris conſtitutioni, motum & volatum calori, quietem frigori, & gelido tempore vel ſepibus parietibusue proximis quibusque ſeſe affigant, vel in caua ſe recipiant, manſura ibi per hyemem veluti ſomno obruta. Sed non habent illi, monente Propheta, cur vel potentiæ ſuæ confidant, vel diuitiis, *nam orto ſole diffugiunt, ut neſciatur locus eorum, ad quem peruenerint.* ὁ ἥλιος ἀνέτειλε, καὶ ἀφήλατο, καὶ οὐκ ἔγνω τὸν τόπον αὐτῆς. Conuolaturos quidem exteros rebus proſperè euntibus, ſed aduerſis auolaturos, Niniuenque eſſe derelicturos.

PROPHETA HABACUC.

TAB. DCLVI.

Habac. Cap. I. verſ. 8.

Equi ejus velociores ſunt Pardis, & auidiores Lupis veſpertinis: equites ejus diffuſi irruunt, equites ejus è longinquo venient, aduolant ut aquila feſtina ad vorandum.

Leuiores pardis equi ejus, & velociores lupis veſpertinis, & diffundentur equites ejus: equites namque ejus delonge venient, volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum.

INtelligit Propheta, dum Chaldæorum *Equos*, (equitatum) *velociores* dicit *Pardis*, non tam curſum, quàm ſaltus. Id ipſum inſinuaſſe videntur LXX. ἐξαλοῦνται ὑπὲρ παρδάλεις. De Pardorum ſaltibus habemus præter experientiam teſtimonia veterum. *Cyrillus* in h. l. πηδητικὴ δὲ λίαν ἡ πάρδαλις, καὶ πολὺ λίαν εὐπετὴς εἰς τὸ καταθρώσκειν δύνασθαι τῶν διωκομένων. *Saltatorium animal Pardus, veloci impetu aſſiliens, quos perſequitur. Pollux:* ἔχει τὸ σῶμα ὑγρὸν, εὐέλικτον, πολύμορφον, πηδητικὸν, ἁλτικὸν, *corpus* enim *habet leue, flexile, ad ſaltus facientibus aptiſſimum.* Scæuam, militem illum fortem, intuitu impetuoſæ velocitatis exercitæ in obſidione Dyrrhachii contra hoſtes, cum Pardo confert *Lucanus* L. VI.

- - - - non ſegnior extulit illum
Saltus, & in medias jecit ſuper arma cateruas,
Quàm per ſumma rapit celerem venabula Pardum.

Sed quoque celebrem reddit Pardum velox curſus. *Ælian. Hiſt.* L. VIII. c. 6. ἡ πάρδαλις δὲ αἱρεῖ θέουσα τὰ πλεῖστα, καὶ ἔτι καὶ μᾶλλον τὸν πίθηκον. *Curſu adſequitur Pardus pleraque animalia, præſertim etiam Simias. Oppianus Cyneget.* L. III.

Ὠκύτατον θείει καὶ τ' ἄλκιμον ἰθὺς ὀρούει
Φαίης ὄπποτ' ἴδοιο διηερίην φορέεσθαι.

Celerrimè currit, & fortiter rectà irruit,
Diceres cum videres, eam aëriam ferri.

Meminit *Olearius Perſ. Reiſe.* L. IV. p. 398. Pardi ad venationem adaptati, curſu omni cane venatico ſuperioris, qui quosuis aſſecutus eſt lepores.

De Chaldæorum Equis porrò Propheta, eſſe *auidiores lupis veſpertinis*, וְחַדּוּ, *& acuti*, quod Epitheton tum velocitati in curſu, tum acumini viſus applicari poteſt. Occurrit apud *Oppianum* inter luporum genera τοξευτὴρ, *jaculator*,

HAB. Cap. I. v. 8.
Equi Pardis velociores.

Hab. Cap. I. v. 8.
Pferde leichter als die Pardeln.

I. G. Pintz sculps.

lator, cui Zoographus tribuit θοὰ κῶλα, *veloces artus:* alia ſpecies dicta κίρκος, *circus*, *accipiter*, πάντεσσι βοώτερος ὦκα λύκοισι, *lupis omnibus celeritate potior*. *Æliano* teſte *Hiſt.* L. X. c. 26. eſt Lupus ὀξυωπέστατον ζῶον, καὶ μέντοι νυκτὸς καὶ σελήνης ἐκ ἀσης, ὅδε ὁρᾷ· acutiſſimè cernens animal, etiam noctu, & ne ſplendente quidem Luna. *Lucem jaculari* credidit *Plinius* L. XI. c. 37. ſed potius tribuenda eſt hæc viſus acuties multiuariis tunicæ uueæ coloribus. Propter ipſum hoc viſus acumen fuit Lupus Apollini ſacer, quod ex *Arati* Scholiaſte conſtat, imo *Apollo* ipſe Lupi formâ fuit cultus teſte *Macrobio Sat.* L. I. c. 17. Intelligit etiam *Bochartus Hieroz.* P. I. L. III. c. 7. & 10. ὀξύτητα de Luporum & Equorum actionibus promptis. De Lupo *Virgilius*.

\- - - *Et genus acre Luporum.*

De Equo idem *Georgic.* L. III.

— *Aſcanius mediis in vallibus acri*
Gaudet equo. —

Hominibus ipſis adſcribitur acre ingenium, *ein ſcharffer Verſtand.* Plura in hanc rem lege ad Jer. IV. 13. V. 6.

Habac. Cap. III. verſ. 6. 10.

6. Stetit, & menſus eſt terram, vidit & deſignauit gentes, diſperſerunt ſe montes æterni, inclinarunt colles ſeculi, (quin &) itinera mundi ejus ſunt.
10. Viderunt te montes, atque dolore correpti ſunt: nymbus aquarum tranſiit, abyſſus vocem ſuam edidit, quum in excelſum manum ſuam ſuſtuliſſet.

6. Stetit, & menſus eſt terram, aſpexit, & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſeculi: incuruati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus.
10. Viderunt te, & doluerunt montes, gurges aquarum tranſiit, dedit abyſſus vocem ſuam, altitudo manus ſuas leuauit.

MYſticam linquo explicationem, qui metaphoricas in hoc capite obuias locutiones, & quaſi hieroglyphicas, intelligi volunt majeſtaticam Iſraëlitarum ἔξοδον ex Ægypto, περίοδον in Deſerto, εἴσοδον in Terram Sanctam, vel & repræſentari veluti in Tabula picta deſtructionem Hieroſolymæ & Templi. Altius ego, pace illorum, aſcenderem ad diluuianam usque cataſtrophen, quæ ipſa typus eſſe poteſt judiciorum in aliis mundi periodis de his illisue Gentibus ſumtorum. *Stetit* ſanè in Diluuio DEUS, & *menſus eſt terram*, κατὰ πόδας αὐτῆ ἔστη, καὶ ἐσαλεύθη ἡ γῆ, *ad pedes ejus ſtetit*, & *commota eſt terra*. Fuit tunc temporis terra, ſcabellum pedum ſuorum, magnificum judiciorum theatrum. Menſus eſt terram, ut in prima creatione, in longitudine, latitudine, altitudine, profunditate, ſitu, motu, ſic & in deſtructione per aquas, quæ totum inundare debebant orbem, menſus ipſas has aquas, ut quæ ad 15. cubitos ſurrexerant ſuper cacumina montium, ſeſe demitterent iterum, & reciperent in ſuos alueos. *Vidit*, & *deſignauit gentes*, ἐπέβλεψε, καὶ διετάκη ἔθνη, *aſpexit*, & *diſtabuerunt gentes*, aſpexit iratus, & tanto percuſſit metu, ut neſciuerint prorſus, quò ſe verterent, tandemque ſubmerſi *diſtabuerint* tabo liquati. *Diſperſerunt ſe montes æterni*, *inclinarunt colles ſæculi*, emphaticè iterum LXX. διεθρύβη τὰ ὄρη βίᾳ, ἐτάκησαν βενοὶ αἰώνιοι, *contriti ſunt montes violentia*, *tabuerunt*, vel liquati ſunt; *colles ſempiterni*. Clarius Chaldæus interpres, *manifeſtauit ſe*, *commouit terram*, & *diluuium adduxit*. — *Montes*, *qui ab initio fuerant*, *fuere rupti*, & *colles æterni depreſſi*. Arabs, *montes fuere contriti*, & *colles liquati*. Quibus loquendi formulis egregiè exprimuntur fata, quæ ſuſtinuit primus orbis, deſtructio montium, & conuerſio totius corticis terræ in liquamen. Quæ cataſtrophe aliis verbis iterum ſiſtitur v. 10. *Viderunt te montes*, *atque dolore correpti ſunt: nymbus aquarum tranſiit*, *abyſſus vocem ſuam edidit*, *quum in excelſum manum ſuam ſuſtuliſſet*. LXX. ὄψονταί σε, καὶ ὠδινήσασι λαοὶ, σκορπίζων ὕδατα πορείας, ἔδωκεν ἡ ἄβυσσος Φωνὴν αὐτῆς, ὕψος Φαντασίας αὐτῆς. *Videbunt te*, & *dolebunt* (ſiue parturient) *populi*, *diſpergens aquas itineris*. *Dedit abyſſus vocem ſuam*, *altitudo phantaſiæ ejus*.

Plura de hac materia in Hiſtoria Diluuii.

PROPHETA ZEPHONIAS.

Zephon. Cap. II. verſ. 9.

Propterea viuo ego, dicit DOMINUS Exercituum, DEUS Iſraelis, quod Moab futurus erit ut Sodoma, & filii Ammon ut Gomorrha, reliquiæ urticarum, & foſſa ſalis, vaſtitasque perpetua. —

Propterea viuo ego, dicit DOMINUS exercituum, DEUS Iſrael, quia Moab ut Sodoma erit, & filii Ammon quaſi Gomorrha, ſiccitas ſpinarum, & acerui ſalis, & deſertum usque in æternum. —

Vid. Job. Cap. XXX. verſ. 9. Pſal. CVII. verſ. 34.

Zephon. Cap. II. verſ. 14.

Cubabunt in ea greges, omnes feræ gentium, quin & Onocrotalus & Caſtor in ornamentis liminum degent: vox canet in feneſtra ſolitudinis, in limine, quoniam Cedrum eruet.

Et accubabunt in medio ejus greges, omnes beſtiæ gentium: & onocrotalus & ericius in liminibus ejus morabuntur: vox cantantis in feneſtra, coruus in ſuperliminari, quoniam attenuabo robur ejus.

IN theatro heic ſiſtuntur præter diuerſi generis animalia integri greges, עֲדָרִים, quibus licuit eſſe adeò felicibus, ut ſedes figerent, ubi ſtetit potentiſſima & florentiſſima *Niniue*.

קָאַת *Kaath*, *Pellicanus*, vel *Ardea*, de qua aue videatur Pſ. CII. 7. Jeſ. XXXIV. 11.

קִפּוֹד *Kippod*, *Caſtor*, vel *Erinaceus*, de quo iterum Jeſ. l. c.

חֹרֵב *Chorebh* multis eſt etiam animal, & quidem *Coruus*. Textum quippe noſtrum ita reddit Hieronymus: *vox cantantis in feneſtra, coruus in ſuperliminari.* LXX. θηρία Φωνήσει ἐν τοῖς διεξύγμασιν αὐτῶν, καὶ κόρακας ἐν τοῖς πυλῶσιν αὐτῆς. *Theodoretus* etiam ad h. l. inter deuaſtationis ſigna memorat κοράκων νεοττίας, *nidos coruorum.* Imo intelligit *Cyrillus* non coruos communes, ſed νυκτικόρακας, qui feræ magis ſunt indolis, neque degunt niſi in locis deſertiſſimis: ἐὰν ἐμφιλοχωρήσειαν αὐτοῖς πυλῶσιν οἱ νυκτικόρακες, εἰ μὴ πλείση τις ὄση, καὶ ἀνδάνεσα λίαν τοῖς ὧδε Φύσεως ἔχεσιν ὑπαρχη χολή. Sed eadem vox חֹרֵב denotat etiam, & proprio magis ſignificatu deſertum, ariditatem, gladium, utpote qui quicquid ei obuenit, deuaſtat.

Zephon. Cap. III. verſ. 3.

Proceres ejus ſunt in ea Leones rugientes, judices ejus Lupi veſpertini, oſſa non reliqua faciunt usque manè.

Principes ejus in medio ejus, quaſi Leones rugientes: judices ejus lupi veſperè, non relinquebant in mane.

Vid. Ezech. Cap. XXII. verſ. 27.

PROPHETA ZACHARIAS.

Zachar. Cap. VII. verſ. 12.

Cor ſuum adamantinum fecerunt, ne Legem audirent. —

Et cor ſuum poſuerunt ut adamantem, ne audirent Legem. —

Vid. Jer. Cap. XVII. verſ. 1.

Zachar. Cap. IX. verſ. 9.

Exulta vehementer, filia Zion, jubila, filia Jeruſalem, en Rex tuus veniet tibi, juſtus & ſeruator ipſe, mitis, vehens ſuper aſino & pullo aſinarum.

Exulta ſatis, filia Sion, jubila, filia Jeruſalem: Ecce, Rex tuus veniet tibi, juſtus & ſaluator: ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinum, & ſuper pullum, filium aſinæ.

Vid. Matth. Cap. XXI. verſ. 2. 5.

Zachar. Cap. XII. verſ. 1.

Onus verbi DOMINI ſuper Iſraelem, dicit DOMINUS, qui extendit cœlos, fundat terram, & ſpiritum hominis in medio ejus fingit.

Onus verbi DOMINI ſuper Iſrael. Dicit DOMINUS, extendens cœlum, & fundans terram, fingens ſpiritum hominis in eo.

EST, quà latè patet, uniuerſum, cœli, terra, microcoſmus homo, Templum ad Gloriam DEI conditum. Jure ſummo poſcit Creator adorationis gloriam ab omni creatura, quæ in Templo hocce viuit, reſpirat, cogitat: debetque hunc cultum Creatori omnis κτίσις. Huic baſi innititur omnis religio naturalis & rationalis. Sunt omnia opera DEI infinitè perfecta, ut optimo jure de iis gloriari queat infinitè perfectus Creator. Sic *dicit DOMINUS, qui extendit cœlos*, λέγει ΚΥΡΙΟΣ ἐκτείνων οὐρανὸν, ſpatia illa inter Fixas & Erraticas Stellas immenſa, Cœlum aëreum, ſuper capita noſtra fornicis ad inſtar expanſum, *fundat terram*, καὶ θεμελιῶν γῆν, globum terraqueum, ſedem habitationis noſtræ. *Ubi eras*, ita DEUS ipſe ad Jobum XXXVIII. 4. &c. *quum terræ fundamenta jacerem? Expone, ſi quid tenes ſcientiæ. Quis adhibuit ei menſuras? Si modo noſti. Quis eam ad regulam extruxit? In quo fundamento fixæ ſunt baſes ejus? Aut quis demiſit lapidem ejus angularem? (Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, ſi habes intelligentiam. Quis poſuit menſuras ejus, ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis demiſit lapidem angularem ejus?)* Sed quoque DEUS *ſpiritum hominis in medio ejus fingit*, καὶ πλάσσων πνεῦμα ἀνθρώπου ἐν αὐτῷ, animam rationalem, cogitando actuoſam, uniuit corpori organico, ſed modo omnibus hominibus imperſcrutabili. Eſt ergò DEUS

DEUS *fortis ſpirituum uniuerſæ carnis.* Num. XVI. 22.

PROPHETA MALACHIAS.

TAB. DCLVII.

Malach. Cap. I. verſ. 3.

Eſau autem odio habui,& poſui montes ejus ſolitudinem, & hæreditatem ejus velut deſertum Draconum.

Eſau autem odio habui,& poſui montes ejus in ſolitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deſerti.

Vid. Jer. Cap. LI. verſ. 37.

EX *Linckiano* celebri Muſeo ſiſto iterum ſerpentes.

Fig. 1. Acontia Africana capitis roſtro & ſuperciliis flaueſcentibus, dorſo cœruleo, ventre albo, longa, tenuis.

Acontia ſeu jaculatrix Africana cœrulea.

Serpens Americanus longus cœrulei coloris, Dipſadis ſpecies. *Vincent. Cent.* II. 23.

Fig. 2. Serpens Americanus, ex albo, lurido, & fuſco pulchrè variegatus, maculis per dorſum inprimis nigro-fuſcis, plerisque ſublongo-rotundis,aliis variæ figuræ,totus conſperſus, ventre albo-flauo, etiam dilutius maculato.

Serpens Americanus variis coloribus præditus.

Serpens Americanus major elegantiſſimus in marmoris modum varius. *Vincent. Cent.* I. 19.

Serpens Americanus variegatus marmoreus. *Vinc. Cent.* IV. 8.

Serpens Surinamenſis longiſſimus ſubpallidi coloris, pulcherrimis maculis notatus. *Vinc. Cent.* IV. 57.

Serpens viperinus Surinamenſis variegatus, capite craſſo, corpore & cauda longioribus. *Vinc. Cent.* IV. 64.

Malach. Cap. III. verſ. 2.

- - - Eſt enim veluti ignis excoquens, & ut Borith (herba) fullonum.

- - - Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum.

Vid. Jer. Cap. II. verſ. 22.

Malach. Cap. IV. verſ. 2.

Vobis autem, qui nomen meum timetis, orietur Sol Juſtitiæ, ſanans (a) radiis ſuis, exibitis, & pingues eritis ut vituli ſaginati.

Et orietur vobis timentibus nomen meum, Sol juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus: & egrediemini & ſalietis ſicut vituli de armento.

(a) Ebr. alis ſuis.

Vid. Pſal. XXIX. verſ. 6. Jer. Cap. L. verſ. 11. XLVI. verſ. 20.

NOVUM

NOVUM TESTAMENTUM.

EVANGELIUM MATTHÆI.

TAB. DCLVIII.

Matth. Cap. I. verſ. 18. 25.

18. JESU vero CHRISTI natiuitas talis erat. Cum enim mater ejus Maria deſponſa eſſet Joſepho, priusquam (a) conueniſſent, (b) inuenta eſt grauida è Spiritu Sancto.

18. Chriſti autem generatio ſic erat: cum eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph, antequam conuenirent, inuenta eſt in utero habens de Spiritu Sancto.

(a) Scilicet in eandem domum. Nam deſponſa quidem erat Maria, ſed nondum à Joſepho domum ducta: Ideo Angelus dicit, ne metuat eam adjungere ſibi i. e. deſponſam ducere.
(b) Deprehenſa.

25. Nec cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum, & vocauit nomen ejus JESUM.

25. Et non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum: & vocauit nomen ejus JESUM.

18. Τοῦ δὲ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ ἡ γένησις οὕτως ἦν. Μνηστευθείσης γὰρ τῆς μητρὸς αὐτοῦ Μαρίας τῷ Ἰωσὴφ, πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ Πνεύματος ἁγίου.

25. Καὶ οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν, ἕως οὗ ἔτεκε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον, καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ ΙΗΣΟΥΝ.

IN mirabili ſunt mirabilia, miraculi plena omnia, perſona, conceptus, partus, vita tota, mors. Miraculoſi non haberemus ideam, ſi non forent Leges certæ in naturam introductæ. Stantibus his ſtant miracula, & argumenta ex his pro Diuinitate CHRISTI & veritate Religionis formari ſolita, cadentibus cadunt. Fruſtra prouocaremus ad miracula Moſis, Eliæ, Prophetarum, CHRISTI, demonſtraturi DOMINUM eſſe DEUM, CHRISTUM Meſſiam. Facilis hinc applicatio ad Textum. Eſt omne opus formationis, conceptionis, generationis humanæ reſpectu noſtri miraculum, quia DEI opus. Sunt tamen certæ Leges ſiue Statuta à DEO Authore Naturæ in Naturam illata, juxta quas formatus à DEO in prima creatione homo definito tempore debet euolui, concipi, in dias prodire luminis auras. Ad ſtupendum hoc opus neceſſaria eſt abſolutè copula utriusque ſexus, absque qua inde à καταβολῆ κόσμου ad hoc momentum temporis nemo mortalium concipi potuit, vel naſci. In generatione dulciſſimi Saluatoris noſtri occurrunt naturæ congrua, ſed quoque tranſcendentia eam. Naturalis eſt mora nouimeſtris in utero matris, qua quidem oſtendere voluit, verum ſe eſſe hominem. Sed naturæ vires infinitis paraſangis ſuperat conceptus. εὑρέθη (Μαριὰμ) ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ Πνεύματος ἁγίου. Ita Textus: τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν ἐκ Πνεύματός ἐστιν ἁγίου. v. 20. Deipara virgo imprægnationem pro impoſſibili reputans ita ad Angelum: Πῶς ἔσται τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω; Sed ſcrupulo liberat ſollicitam matrem cœleſtis nuntius: Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπί σε, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι. Διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον κληθήσεται υἱὸς ΘΕΟΥ. Luc. I. 34. 35. Prædixerat mirabile φαινόμενον Veteris Teſtamenti Euangeliſta Jeſaias c. VII. 14. *Ecce virgo illa concipiens & pariens eſt filium.* Quærat nemo ex me, qua id fieri poſſit ratione. Circa conceptionem ordinariam philoſophari licet, licet nondum determinare præcisè modum, an uterum & ouula ſubintrent vermiculi in ſemine viri hoſpitantes? vel ab Aurâ ſeminali

nali fœcundentur ouula? ſed heic omnis Philoſophia obmuteſcit, quoniam, quod inquiri debet, omnes Naturæ Leges ſuperat. Digito mecum compeſcet labellum, quisquis naturæ vires indagat. Concipiens virgo ſi miraculum eſt, miraculis accenſeri debebit & pariens, qualem heic ſiſtimus. Eſtque id duntaxat animaduertendum, per Saluatoris partum nil detrimenti paſſam eſſe Virginitatem Matris, licet clauſtra virginitatis fuerint reſerata. Nam & in ſenſu naturali virginitas haud conſiſtit in hymene, vel vaginæ arcta clauſura, ſed in non admiſſione viri, qua ſola deuirginatur fœmina. Non proin neceſſe eſt, aliam & nouam quærere viam, quâ CHRISTUS in lucem prodierit, quàm ordinariam, & vana ſint nouarum viarum molimina, quas erudito orbi obtrudere conatur *Joh. Bapt. Mantuanus de Loc. Concept.* CHRISTI. Compleuerat Deipara τὰς ἡμέρας τοῦ καθαρισμοῦ κατὰ τὸν νόμον Μωσέως. Luc. II. 22. Momentoſa heic Lex eſt Diuina. Exod. XXXIV. 19. *Omne primogenitum meum eſt, & omne primogenitum tuum maſculum meum eſt, ſiue ex armento ſit, ſiue ex grege. (Omne, quod aperit vuluam generis maſculini, meum erit. De cunctis animantibus, tam de bobus quàm de ouibus, meum erit.)* Ad quam tanquam Typum digitum intendit Lucas II. 23. Occurrunt quidem in rerum natura *inſolitæ partus viæ*, de quibus Tractatum conſcripſit *Bartholinus*, Partus Cæſarei, ex ventre inciſo nati, ſed hi non adnumerari debent partubus ſupernaturalibus.

Matth. Cap. II. verſ. 2. 9.

2. Ubi eſt ille natus Rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam illius in Oriente, & venimus ad adorandum eum.
9. At illi audito Rege profecti ſunt, & ecce, Stella, quam viderant in Oriente, præcedebat illos, donec progreſſa ſtaret ſupra locum, in quo puellus erat.

2. Ubi eſt, qui natus eſt rex Judæorum: vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.
9. Qui, cum audiſſent Regem, abierunt: & ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat puer.

2. Ποῦ ἐστιν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; εἴδομεν γὰρ αὐτοῦ τὸν ἀστέρα ἐν τῇ ἀνατολῇ, καὶ ἤλθομεν προσκυνῆσαι αὐτῷ.
9. Οἱ δὲ ἀκούσαντες τοῦ βασιλέως ἐπορεύθησαν. Καὶ ἰδοὺ, ὁ ἀστὴρ, ὃν εἶδον ἐν τῇ ἀνατολῇ, προῆγεν αὐτοὺς, ἕως ἐλθὼν ἔστη ἐπάνω οὗ ἦν τὸ παιδίον.

MUltam crucem figunt eruditis circumſtantiæ in hac Magorum Hiſtoria obuiæ, quam ſolus ex Euangeliſtis recenſet Matthæus, ſilentio premit magni aliàs nominis Hiſtoricus *Flauius Joſephus*, Scriptores profani omnes, ſi unum excipias *Macrobium*, qui *Saturnal.* L. II. ſolius Cædis Bethlehemiticæ facit mentionem. Linquo illis quæſtiones, quæ extra meum ſunt forum. Quinam fuerint illi Magi, & ex quanam parte Orientis venirint? Num Judæi habitantes in Babel, ad quos nuntios miſerint Judæi Hieroſolymæ præſtolantes aduentum Meſſiæ? Num Proſelyti ex Gentilibus? Philoſophi & Theologi Perſæ? an Felicis Arabiæ incolæ? Tractatio hæc, quam in me ſuſcipio, ſpectabit *Stellam*, quæ Magos ad Meſſiam natum adduxit. Qui plura deſiderat, legat *Chriſtophori Cellarii Diſſ. de Magis ex Oriente Stella duce Bethlehemum profectis. Reſp. Georgio Beiche. Hal. 1704. Laur. Bened. Tribel. de Magis poſt JESUM in Templo repræſentatum aduenientibus. Reſp. Georg. Frid. Schmidt. Jen. 1715. Jac. Albert. Hanſelmann. de Magis Stella duce Bethlehemum profectis communior ſententia propugnata. Præſ. Joh. Hermanno von Elswich. Witemb. 1716.* qui omnes ventilandam ſibi ſumſerunt Hiſtoriam ipſam Magorum magis, quàm inquirendam Stellam ducem.

De *Stella* hac audenter aſſerimus, nec ante aduentum CHRISTI comparuiſſe Phænomenon tale, nec poſt: non fuiſſe Stellam Fixam ex cognitis, non Nouam, modo loquendi Phyſicis uſitato, non Planetam, ſed Meteorum inſolitum & extraordinarium prorſus, imo miraculoſum. Rationes ſunt ſequentes.

1. *Stellam* vocant ipſi Magi *Regis Judæorum*, βασιλέως τῶν Ἰουδαίων, nato Meſſiæ propriam, aduentus ſui nuntiam; quod prædicatum nulli competit Stellarum Fixarum, propria luce radiantium. Fuere quidem Fixæ à veteribus Aſtronomis diſpartitæ in certas conſtellationes, & has inter Dii ipſi locati, Planetæ ipſi quoque Jouis, Saturni, Martis, Veneris, Mercurii nominibus inſigniti, proin quaſi Deificati, vel Dii ipſi, ſi ita loqui licet, ſtellificati. Sed hæc huc non prorſus quadrant.

2. Atteſtantur Magi, ſe *vidiſſe* hanc *natiRegis Judæorum Stellam*; quo ipſo innuere volunt, haud

MATTH. Cap. II. v. 2. 9.
Iesus natus et adoratus in stabulo.

Matth. Cap. II. v. 2. 9.
Die Geburt u. Anbetung Christi im Stall.

I. A. Fridrich sculps.

haud fuiſſe Aſtronomis Orientis cognitam, ſed nouam planè. Illæ quippe neque fuiſſent admirationi, neque Meſſiæ ſignificatiuæ.

3. Stellam hanc viderunt non ſolùm noctu, ut communiter tunc videri ſolent, ſed quoque interdiu. Non equidem expreſſis verbis extat hæc circumſtantia in ipſa Hiſtoria, ſed indubiè elicitur ex ea. Hieroſolymâ quippe profectis ὁ ἀςὴρ, ὃν εἶδον ἐν τῇ ἀνατολῇ, προῆγεν αὐτὲς. Profecti autem ſunt dubio procul non ſolùm noctu, ſed & interdiu; imo verò videtur Stella hæc δαδηχὸς eorum fuiſſe in toto itinere; quemadmodum fidus fuit & perpetuus Iſraëlitarum in deſerto comes columna illa nubis & ignis, præcellens CHRISTI Typus.

4. Comparuit illis Stella nunc, nunc diſparuit. Ante viderant, quàm ex patria fuere profecti: Hieroſolymæ fuit ipſis inconſpicua; Hieroſolymâ Bethlehemum indiuiduus comes. Hujusmodi nihil dici poteſt de Fixis, de Planetis, imo neque de Meteoris. Diſparuit tandem Stella prorſus, homagio Meſſiæ præſtito, officio ſuo defuncta.

5. Singulari attentione dignus eſt motus hujus Stellæ, nec regularis ab Ortu ad Occaſum, qualis eſt Fixarum diurnus ſiue 24. horarum, neque ab Occaſu verſus Ortum, qualis eſt Planetarum proprius, neque etiam, qualis eſt Meteororum, irregularis prorſus, ſed linea directionis fuit integra, quà Magis eundum fuit, via.

6. Non fuit continuus hic motus, ſed interruptus; progrediebatur nunc, nunc ſtabat. Id ni factum fuiſſet, dicendum foret, quod fidem tranſcendit, iter proſecutos fuiſſe Magos indeſinenter diu noctuque, absque quod indulſerint ſomno, cujus miraculi memoria fuiſſet literis conſignata, ſi id contigiſſet. Imo verò videtur fuiſſe ὀδηγὸς hic tardiſſimi motus, ut eum commodè ſequi poſſent viatores.

7. Certò dici poteſt, non fuiſſe eleuatam altè ſupra terram. De Fixa quapiam vel Planeta effari utique licet, eſſe in Zenith hujus illiusue Prouinciæ, Urbis, ſed non in præciſo Zenith hujus illiusue domus; Tale quid autem memoratur de Stella hac miraculoſa, ἔςη ἐπάνω ἔ ἦν τὸ παιδίον. Tantum abeſt, ut eleuari queat ad Fixas vel Planetas, ut ne quidem aſſurrexerit ad ordinariam Meteororum altitudinem, ſi *ſtellas* excipias *cadentes*, quæ aliquando viſuntur ſuper ædium culmina, ſed momento diſparent.

8. Quò altius eſt Meteorum in Atmoſphæra noſtra, eò patentior eſt Horizon, in quo conſpicitur. Teſtis ſit *Lampas* illa *volans* A. 1719. viſa Italiam & Iſtriam, forſan & Corcyram inter & Angliam, quæ tamen vix altior fuit 14. milliaribus à terra.

9. Quò humilius eſt Meteoron, eò majorem habet Parallaxin, ut unius vel paucorum minutorum ſpatio progredi videatur à pago ad alium, ab urbe ad aliam.

10. Eſt & id ſingulare, quod viſa fuerit hæc Stella duntaxat à Magis: nil quidquam legimus de Judæis vel Gentilibus.

Qualenam autem fuerit μετέωρον hocce, dictu non adeò eſt facile. Sufficiat omnis ratiocinii loco ἀςέρος, quam Euangeliſta ſuggerit, idea; fuerit Stellæ ad inſtar fulgidum corpus. Qui plura dicit, conjectat, & fortè in vanum. Ita *Chryſoſtomo Hom.* VI. videtur fuiſſe ἀδὲ ἀςὴρ, ἀλλά δύναμίς τις ἀόρατος εἰς ταύτην μεταχηματισθεῖσα τὴν ὄψιν, *Theodoro Tarſenſi* δύναμις θειοτέρα, diuinior quædam vis ſeu virtus, unde nonnulli ex Stella hac Angelum faciunt.

Grauior quæſtio verſatur inter eruditos, quanam ratione Magi ex conſpectu Stellæ certò judicare vel inferre potuerint Meſſiæ Natiuitatem? Adeò quippe perſuaſi venerant in Judæam hoſpites peregrini, ut non inquiſiuerint, num natus eſſet CHRISTUS, ſed natum quæſiuerint. πῦ ἐςιν, inquiunt, ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν Ἰεδαίων; & hujus ſuæ firmiſſimæ perſuaſionis hanc, quæ ſequitur, dant rationem: εἴδομεν γὰρ αὐτῦ τὸν ἀςέρα ἐν τῇ ἀνατολῇ, καὶ ἤλθομεν προσκυνῆσαι αὐτῷ. Multæ & variæ fingi poſſunt conjecturæ, quæ omnes tandem terminantur in triſyllabam vocem, NESCIO.

Fuere ex Diuis Eccleſiæ primitiuæ Patribus, *Baſilius*, *Theodorus Tarſenſis*, *Hieronymus*, qui judicarunt, manſiſſe in Orientalibus Regionibus in perenni memoria Prophetiam illam Bileami de *Stella ex Jacob*, Num. XXIV. 17. ejusque memores Magos, viſo extraordinario hocce φαινομένῳ, intuliſſe mox, eſſe hanc ipſam ſtellam nati Meſſiæ nuntium. Verùm enim verò concipi vix poteſt, manſiſſe ſuperſtitem in medio & tenebricoſiſſimo Gentiliſmo hanc Bileami Prophetiam per tot ſeculorum decurſum adeò illibatam, ut applicari potuerit ad natum Meſſiam; accedit, quod ex optimorum interpretum mente per *Stellam* illam *ex Jacob* non intelligi debeat Stella quæpiam materialis viſibilis, ſed CHRISTUS ipſe, Lux mundi, oriens Sol ex alto. Et judicare facile poterant Magi, forſan in Scholis Chaldaicis Elementa Aſtronomiæ edocti, non eſſe Lumen hoc extraordinarium Stellam ex Fixis vel Erraticis, ſed potius Meteorum.

Recurrunt alii ad Sibyllarum, Samiæ cumprimis, Oracula, quæ ita:

Humano quem virgo ſinu inuiolata fouebit,
Annuit hoc cœlum, rutilantia ſidera monſtrant.

Sed oſtenderunt dudum eruditi, contexta fuiſſe oracula illa non ante CHRISTI aduentum, ſed poſt, ex pio ſed fraudulento zelo ab ipſis Chriſtianis, ut introducerent Paganos in Chriſtianæ Religionis ouile. Extant ſanè in Oraculis illis tales de vita CHRISTI circumſtantiæ, quas vix in Scriptis Prophetarum Veteris Teſtamenti reperias: ſequeretur proin, in Gentilium manibus fuiſſe clariores longè & ſignifi-

cantiores Prophetias quàm in manibus Judæorum, quum tamen his concredita fuerint τὰ λόγια τῦ ΘΕΟΥ πρῶτον, Rom. III. 2. & ſanè Doctor ille Gentium, potiori jure allegaſſet Oracula illa, quàm τὸν Θεὸν ἄγνωσον, utpote qui haud religioni duxerat, mutuari paſſim λόγια Poëtarum Gentilium.

Pari jure rejicienda venit opinio *Origenis contra Celſum* p. 46. quod aduentante CHRISTO eneruatæ fuerint Magorum Magicæ artes, qui proin id animaduertentes, inſuperque Bileami Prophetiam conſiderantes, ex conſpectu Stellæ judicauerint, natum eſſe, qui potentiam habet ligandi Diabolum. ὅθεν ἐλύετο πᾶσα μαγεία, καὶ πᾶς δεσμὸς ἠφανίζετο κακίας, ut ſcribit *Origene* antiquior *Ignatius Epiſt. ad Eph.* ſect. 19. Conſtat nobis ex Hiſtoria Euangelica, nunquam ſæuiiſſe magis, etiam in obſeſſis, Draconem infernalem, quàm temporibus CHRISTI, ac ſi vinculis planè fuiſſet ſolutus.

Sibi & Moriæ ſuæ linquimus Aſtrologos, ἀξιομάντας verius dixeris, qui prætendunt, præuidere potuiſſe Magos Meſſiæ natiuitatem ex Stellæ conſpectu; perſuaſi, ficulneis planè, imo nullis, nixam eſſe fundamentis illam ex ſitu, motu, aſpectibus ſtellarum prophetizandi artem, imo ad vetitarum, ſuperſtitioſarum ſcientiarum claſſem relegandam.

Rationi foret conſentaneum magis, ſi dixeris, obtinuiſſe Magos Prophetias de Aduentu Regni CHRISTI à Judæis per Colchidem, Parthiam, Babyloniam, Perſiam diſperſis, qui ipſum quoque tempus ex Danielis Prophetia ſcire poterant. Sed neque hæc ſufficere videntur tantæ perſuaſioni, quæ Magis commendare poſſet itineris adeò longinqui propoſitum, & inquiſitionem ipſam Regis nati.

Nil proin manet reliquum præter immediatam ut Stellæ apparitionem, ita diuinam ejusdem ſignificationem & explicationem ſiue per viſionem, ſiue per ſomnium, ſiue per alloquium. ἡ παρὰ τῦ ΘΕΟΥ γενομένη τῇ διανοίᾳ αὐτῶν ἴλαμψις. *Chryſoſt. Hom.* 8.

TAB. DCLIX.

Matth. Cap. III. verſ. 4.

Ipſe verò Joannes habebat indumentum ſuum è pilis camelinis, & zonam coriaceam circum lumbos ſuos. Porrò cibus illius erant locuſtæ, & mel ſylueſtre.

Ipſe autem Johannes habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos: eſca autem ejus erat locuſtæ & mel ſylueſtre.

Αὐτὸς δὲ ὁ Ἰωάννης εἶχε τὸ ἔνδυμα αὐτῦ ἀπὸ τριχῶν καμήλε, καὶ ζώνην δερματίνην περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτῦ. ἡ δὲ τροφὴ αὐτῦ ἦν ἀκρίδες καὶ μέλι ἄγριον.

JUxta præconceptas Judæorum opiniones debebat Meſſiæ præcurſor magnâ comparere pompâ, ſatellitio numeroſo, veſtibus holoſerica arte elaboratis, Arabio lucentibus bombyce. Sed quàm turpiter fuerint deluſi, conſtat ſatis ſuperque ex Hiſtoria tum CHRISTI ipſius, tum Johannis. Rex ipſe pauperior fuerat Iro, opibus adeò deſtitutus, ut ne quidem haberet, ubi recumberet capite, veſtitu haud dubiè pauperrimo amictus, ſcandalo omnibus, qui magnifica quæuis fuere præſtolati. Oratori primi ordinis fuit pro veſte pannus rudior ex *pilis camelinis* contextus, pro cingulo *zona* non auro gemmisque lucens, ſed *coriacea*. Menſa aſperum ſaxum, vel ſolum gramine viridi pictum: cibus *locuſtæ*, & *mel ſylueſtre*. De veſtitu agemus primò, dehinc de cibo.

Diui Johannis ἔνδυμα (omnis veſtitus, tibialia, caligæ, toga) fuit ἀπὸ τριχῶν καμήλε. Hæc verba non eodem ſenſu accipiunt omnes. Vult *Franzius Hiſt. Anim.* P. I. c. 5. materiam fuiſſe cannabim craſſiorem, qualis adhibetur ad funes nauticos, nam hi καμήλε nomine aliàs veniunt. Sed vix inueniet is hujus ſuæ opinionis aſſeclas, quia expreſſa heic fit mentio τριχῶν, quæ *pilorum* vox cannabi planè non conuenit. Et dubium adhuc manet, an verba illa Matth. XIX. 24. εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλούσιον εἰς τὴν βασιλείαν τῦ ΘΕΟΥ εἰσελθεῖν, accipi debeant de fune nautico, vel de Camelo.

Alii, quos inter *Schindlerus Lex. Pentaglott.* *Chytræus* in h. l. parant hanc veſtem ex pilis camelinis, eoque panni genere, quod inde Hiſpani vocant *Camelote*, Itali *Zambelot*, Germani *Camelot*, *Schamlot*; vel, ut *Melanchthon*, partim ex pilis camelinis, partim ex cannabe, ut adhuc hodie panni benè multi conficiuntur ex lana & lino, vel lino & ſerico inuicem commixtis.

MATTH. cap. III. v. 4:
Iohannes Eremita.

Matth. Cap. III. v. 4.
Johannes in der Wüste.

G. D. Heümann sculps.

mixtis. Memorat ſanè *Ælianus Hiſt.* L. XVII. c. 24. Camelos in Caſpii Maris περιχώρῳ pilis adeò teneris præditos, qui tenerrimæ lanæ nil cedant, ex qua lana camelina veſtes parentur pretioſæ pro ſacerdotibus, & viris opulentis. Hauſit id ille ſine dubio ex *Cteſiæ Perſic.* L. X. quod conſtat ex *Apollonii Mirab.* c. 20. Hujusmodi panni pretioſi camelotini meminit quoque *Paulus Venet.* L. I. c. 63. qui parari ſoleat in Magni Tartariæ Chami Metropoli *Calacia*, Prouinciæ *Tanguth*, ex lana candida & pilis camelinis. Sed vix quadrare videtur pretioſus adeò pannus Eremitæ noſtro. Audi CHRISTUM Matth. XI. 8. Ἀλλὰ τί ἐξήλθετε ἰδεῖν; ἄνθρωπον ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον; ἰδὲ, οἱ τὰ μαλακὰ φορέντες ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσίν.

Sunt, qui ex Johanne noſtro *Hottentottum* faciunt vel *Lapponem*, prætendentes, geſtaſſe abſque ſubſtrato induſio pellem camelinam pilis hirtam, fortè coriarii manibus nunquam ſubjectam, filis craſſioribus contextam, & inſuper zona coriacea conſtrictam. Placet hæc ſententia *Lud. de Dieu Comm. in Marc. Schmidio in Matth.* Audi canentem *Prudentium Lib.* καθημερινῶν *Hymn.* 8.

Poſt in patentes ille ſolitudines,
Amictus hirtis beſtiarum pellibus,
Setisue tectus, biſpida & lanugine,
Seceſſit, horrens inquinari & pollui
Contaminatis oppidorum moribus.

Hoc ſuo amictu comparari quoque poſſet Regis cælituum prænuntius Heroibus, quibus olim in more poſitum erat τὸ δερματοφορεῖν, teſte *Scholiaſte Apollonii* L. I. Teſtantur idem *Apollonius* de *Argo*, *Homerus Iliad.* χ. v. 21. de *Agamemnone*, *Virgil. Æneid.* L. II. v. 721. IX. v. 306. de *Aceſte*, Idem L. V. v. 37. *Strabo* L. XVII. c. 13. de *Mauris*. Et quis eſt, qui neſciat, uſui venire hodieque eundem amictum Tartaris, Turcis, Hungaris. Sed hæc iterum non quadrant Johanni, de quo in Textu legimus, fuiſſe ἔνδυμα factum ἀπὸ τριχῶν καμήλε. Verbum autem θρὶξ, τρίχες non ſumitur niſi de pilis. Pellis ipſa vocatur δέρας vel δέρμα. Ita Hebr. XI. 37. περιῆλθον ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν· ὑστερούμενοι, θλιβόμενοι, κακουχούμενοι. Proin & heic, ſi Diui Præcurſoris veſtis fuiſſet pellis, legeremus, ἐν δέρματι καμήλε, vel ἀπὸ δέρματος καμήλε, in camelina pelle. Redarguendi ita veniunt illi vel pictores, vel ſculptores, qui Johannem pingunt Fauni inſtar vel Satyri.

Perhibent alii, geſtaſſe Johannem in nudo corpore cilicium, ſaccum rudem pilis craſſis hiſpidum, qui introuerſi carnem Miſſionarii ſiue Pœnitentiarii continuò pungendo caſtigauerint; cujusmodi ſaccis ex pilis ouillis atque caprillis indutos pœnitentiarios Judæos fuiſſe legimus. Hanc ſententiam adoptat *Paulinus Carmine de Johanne Baptiſta:*

Veſtis erat curui ſetis confecta Cameli,
Contra luxuriem molles duraret ut artus,
Arceretque graues compuncto corpore ſomnos.

Pollicem premunt faciles Scriptores, qui cilicium pro corporis caſtigatione commendant, *Cornelius à Lapide*, alii. Sacci non una fit mentio in Sacris, ſed nil tale legitur de Johanne, nec quod cilicium commendauerit Judæis. Et notandum, piloſam licet Cameli pellem ſeſe ita commodè applicare cuti, ut nil pungant pili: Neque Euangeliſtæ uſi fuiſſent ἐνδύματος voce, ſed σάκκε, *ſacci*, quæ occurrit 2. Sam. III. 31. 1. Reg. XXI. 27. 2. Reg. V. 30. Matth. XI. 21. Luc. X. 13. & alibi. Præterea euinci nequit, indutos fuiſſe veteres Judæos ſaccis ex pilis ouillis & caprillis; & conſtat, geſtaſſe ſaccos non ſolùm in pœnitentiæ ſignum, ſed quoque triſtitiæ, calamitoſis nempe temporibus. 1. Reg. XX. 31. 2. Sam. III. 31. Gen. XXXVII. 34. Capiant ſibi κιλικιάφοροι illud Nota Bene, quod legitur apud *Hieron. Epiſt. 22. ad Euſtochium. Sunt, quæ ciliciis veſtiuntur, & cucullis fabrefactis, ut ad infantiam redeant, imitantur noctuas & bubones. Sed ne videar tantùm diſputare de fœminis: Viros quoque fuge, quos videris catenatos, quibus fœminei contra Apoſtolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi in patientia frigoris pedes. Hæc omnia argumenta ſunt Diaboli.* Hæc non protuliſſem, niſi haberet Diuus ex Patribus.

Medio tandem ibimus tutiſſimi, ſi dixerimus, veſtem Johannis confectam fuiſſe ex panno rudiori è pilis camelinis, cujusmodi geſtabat forte ima plebis fæx. Certum quippe, adhibuiſſe Judæos pilos camelinos in veſtes, quandoquidem inter eorum Doctores agitata fuerit quæſtio, num prohibitorium illud Præceptum Leuit. XIX. 19. Deut. XXII. 11. *de veſte ex lana & lino contexta non induenda* reſpiciat etiam veſtes ex lana camelina & lino? item, an lepra etiam corripiat veſtes ex pilis camelinis? ut conſtat, corripere laneas & lineas, Leuit. XIII. 47. Sanè ſi induſtrioſi Judæi *aulæa* poterant conficere ex *pilis caprillis*, Exod. XXV. 4. XXVI. 7. negari nequit, in uſum traxiſſe quoque pilos camelorum, utpote quos nutriebant in copia. Hanc ipſam, quam præferimus, ſententiam fouet quoque *Chryſoſtomus Homil. X. in Matth.*

De *zona coriacea*, ζώνη δερματίνη, qua lumbi Johannis fuere cincti, non habemus, quæ proferamus, multa. Id ſaltem eſt animaduertendum, populos Orientales ut nunc, ita & olim, geſtaſſe togas ad genua & pedes usque prælongas, easque ſurſum reduplicatas, in itineribus cumprimis, ſtrinxiſſe Zonis. Ita habuere Apoſtoli ſuas ζώνας, Matth. X. 9. Sic Agabus ἄρας τὴν ζώνην τοῦ Παύλε ἔδησε αὐτοῦ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας, Act. XXI. 10. 11.

Pergo ad victum, quo uſus fuit Johannes, CHRISTI tuba prima, *locuſtas* nempe & *mel agreſte*.

Conſiderandæ primò veniunt ἀκρίδες, nonnullis adeò paradoxæ viſæ & pro victu incongruæ, ut variare potius voluerint pro lubitu ſuo Codicum Lectiones quàm Locuſtis concedere locum.

In hanc Claſſem veniunt *Ebionæi*, qui *Epiphanio* teſte T. I. L. I. *aduerſ. Hæreſ.* pro ἀκρίδες legerunt ἐγκρίδες. Eſt autem ἐγκρὶς placenta quædam in oleo cocta, & melle obducta. Id conſtat ex *Athenæo Dipnoſ.* L. XIV. c. 14. ἐγκρίδες πεμμάτιον ἐψόμενον ἐν ἐλαίῳ καὶ μετὰ τᾶτο μελιτέμενον. Suidas vocat ἐγκρίδα γλύκασμα ἐξ ἐλαίε ὑδρὲς, placentam aqueo-oleoſam. Occurrit & hæc vox in Sacro Codice Exod. XVI. 31. ubi ſapor Mannæ deſcribitur ὡς ἐγκρὶς ἐν μέλιτι. Nos reddimus, ut *placentæ mellitæ*. Num. XI. 8. ἐγκρὶς ἐξ ἐλαίε, nos, ut *placentæ oleo delibutæ*. Tales ἐγκρίδες ſunt, quas parare ſolemus ex cruſta panis in butyro frixa, maſſa ex farina & ſucco mellito pyrorum circumdata. Nos vocamus *ſüſſe Schnitten, Honig-Schnitten*. Hæc verò Lectio locum habere nequit, utpote in nullis Codicibus, quotquot ſuperſunt, obuia, omnes quippe habent ἀκρὶς, non ἐγκρὶς. Conſtat, combinaſſe Ebionæos, quæ ſejungunt Euangeliſtæ, ἀκρίδας & μέλι ἄγριον. Quinimò fidem ſuperat, vixiſſe Johannem Eremicolam cibo adeò delicato, quales ſunt illæ ἐγκρίδες, potius adeò duriter, ut continuum obſeruaſſe dixeris jejunium, idque tale, quo corpus fuerit domitum & attenuatum. Hoc teſtimonium largitur ei Saluator ipſe Matth. XI. 18. ἦλθε Ἰωάννης μήτε ἐσθίων μήτε πίνων.

Hieron. Montuus Lib. de tuenda ſanit. c. 3. legit ἀκρέμονες pro ἀκρίδες. Notat autem illa vox ſummitates arborum, quæ etiam ἀκρίδων nomine veniunt *Perotto Cornucop.* p. 256. His vel arborum vel aliarum plantarum ſummitatibus cum melle coctis uſum volunt Johannèm. Hanc opinionem fulcire tentat quoque *Baronius ad* A. C. 31. *Tom.* I. *Ann.* p. 116. *Iſidori* teſtimonio. Ita quoque Eremicolam noſtrum ἄκροις δρεῶν vixiſſe vult *Nicephorus Calliſtbus* L. I. *Hiſt. Eccl.* c. 14. Habet *Iſidorus* L. I. *Epiſt.* 32. ἀκρέμονες βοτανῶν ἢ Φυτῶν, perſuaſus adeò firmiter de veritate hujus ſuæ opinionis, ut ad Idiotarum ſcamna ableget, quotquot admittunt locuſtas. Sed iterum militat contra authoritas Codicum, quorum nulli habent ἀκρέμονες. Sanè ἀκρόδρυα & ἀκρέμονες aliter longè ſonant quàm ἀκρίδες. & hæ non apud ullos probatos Scriptores ſignificant arborum ſummitates. Apud *Clementem Alexandrin.* L. II. *Pædagogi* legitur Matthæus comediſſe σπέρματα καὶ ἀκρόδρυα καὶ λάχανα ἄνευ κρεῶν, ſemina, ſummitates plantarum & olera abſque carnibus, ſed Johannes ἀκρίδες & μέλι ἄγριον. Occurrit ἄκρις pro extremo apice alicujus rei, non ἀκρὶς, adeoque legendum foret ἄκριες, non ἀκρίδες. Ἄκρον item eodem ſenſu, à qua radice Græci deriuare ſolent ἀκρίδα, ἀκρίδες παρὰ τὸ ἄκρον τῶν ςαχύων καὶ τῶν Φυτῶν νέμεσθαι, quia locuſtæ ſummitates ſpicarum & plantarum deuorant. Magna veri ſpecie ſeſe commendaret hæc à *Nortono Knatchbul Animadv.* in h. l. recocta ſententia, ſi ex probatæ antiquitatis Authoribus euinci poſſet, quod ἀκρὶς denotet extremitates plantarum ſeu arborum, ſpeciatim, quæ illi placent, κερατίων, *ſiliquarum*, Luc. XV. 16. quæ quidem Germanis S. Johannis Panis, *S. Johannes Brod* nomine veniunt. Inter errores proin pictorum numerari debet Tabula illa Deſerti Johannis, quam Itinerario Anni 1611. inſeruit *Sandys*, in qua arbor occurrit *locuſta* dicta, cum inſcriptione, *ſoli locuſtæ deuinctum arbori*. De hac arbore autem altum eſt apud omnes modernos Botanicos ſilentium. Sed quidem nota eſt *Locuſta* herba Geſſneri, quâ in Acetariis utimur, quæ eſt *Valerianella præcox humilis ſemine compreſſo Moriſon. Valerianella vulgaris vel ſatiua Vaillant*.

Fuere *Theophylacti* ætate, qui legerant ἀγρὶς pro ἀκρίδας, nempe ὀπώρας, fructus ſylueſtres, poma, pyra, ceraſa, mollis duriue corticis. Sed obſtat & huic Lectioni Codicum auctoritas. In eundem cenſum venit, eandemque cenſuram incurrit *Cujacii*, celebris Juris-Conſulti, Lectio, quæ pro ἀκρίδας habet ἀχράδας, *pyra ſylueſtria*.

Ne quid deſit variantium Lectionum, ſunt, qui ἀκρίδες mutant in καρίδες, *ſquillas*, Cancrorum edulium genus, quæ ejectæ forſan à Judæis piſcatoribus ad littora fuerint, tanquam cibus ex prohibitis, ſed comeſtæ à Diuo Johanne in teſtimonium & ſignum apertæ nunc Libertatis Euangelicæ. Legantur *Centuriatores Magdeburgenſes Cent.* I. L. I. c. 6. & 10. *Hildebrand. Antiquit. Bunting. Reiſe Palæſtinæ*. Sed caret & hæc conjectura ſuo fundamento; obſtat Sacri Codicis Litera, & ſunt ſquillæ illæ Maris quidem, non Jordanis incolæ, imò verò cibus ex delicatioribus, ut ipſe *Apicius* πλεσιώτατος καὶ τρυφητὴς, *ditiſſimus & luxu ſolutus* (ſic *Athenæo* audit *Dipnoſoſt.* L. I. c. 6. IV. c. 19.) ex Campania iter fecerit in Libyam, propter ſquillas præſtantiores heic Italicis. Aliis, quæ contra adferri poſſent, rationibus ſuperſedeo.

Neque his conſenſum largiri poſſumus, qui apud *Euthymium* & *Theophylactum* ſeruant quidem ἀκρίδες, ſed intelligunt μέλαγρα, herbas certas, Monachis Syris coqui ſolitas. *Hermol. Barbarus Coroll.* 256. *in Dioſc.* interpretatur *Pedem Locuſtæ*, vel *Blitum*, vel *Rapunculum*, quo ſenſu nullibi dictam vocem legimus apud Scriptores probatos. Et videntur ſententiæ hujus Patroni μέλαγρα formaſſe ex μέλι ἄγριον.

Excluſo ſic vegetabili regno à poſſeſſione vocis ἀκρὶς, reddimus eam veluti poſtliminii jure animali, quod nobis ſuggerit *locuſtas* inſectorum genus, quæ in cibum venerunt jam olim Æthiopibus, ἀκριδόφαγοι hinc dictis, teſtibus *Strabone* L. XVI. c. 8. *Diodoro Siculo Bibl.* L. III. c. 11. Suo etiam tempore Æthiopes in Abyſſinia

ſinia ex locuſtis ſole ſiccatis juſcula parare, magnique facere, quæ tamen ingrati ſint ſaporis atque odoris, teſtatur *Lobo Voyage de l' Abyſſinie* p. 86. De *Parthis* idem memorat *Plinius* L. XI. c. 29. de *Africanis Leo Deſcript. Afric.* de *Græcis Plutarch. in Sympoſ.* Et conſtat ex Leuit. XI. 21. 22. fuiſſe ex locuſtis genera quædam ipſis Judæis in cibum conceſſa, de quibus fuſius egi tum ad locum citatum, tum occaſione *ſelawim*, locuſtarum, quas in deſerto comederunt Iſraëlitæ pro carnibus. Huic ſententiæ, quam ſolam præferimus omnibus aliis, haud obſtat, quod ſoleant locuſtæ fumo ſiccari, coqui, aſſari, vel & muria condiri. Fortè enim diuo præcurſori haud defuit lebes, ut nec deſunt hujusmodi vaſa culinaria pauperrimis apud nos vagabundis. Ignis ſanè deficere haud poterat, neque lignum. Ut omnino viuere potuerit locuſtis in melle ſylueſtri coctis, vel ei intinctis.

Sequitur nunc pro prima ſecundaue menſa Diui Johannis μέλι ἄγριον, *mel ſylueſtre*, de quo iterum variant ſententiæ.

Sunt, qui ex eo faciunt δροσόμελι, imo ipſam *Mannam*, qualis hodienum ex Oriente, Syria cumprimis, in Europam deferri ſolet. Placet hæc *Suidæ Lex. Sculteto Exerc. Euang.* L. I. c. 15. *Hildebrand. Antiquit. Chytræo in Matth. Buntingio Reiſe*, qui inſuper addit, in Palæſtina, Libani præſertim περιχώρῳ, rore melleo fluere, eſſeque hoc ipſum mel, quo fluere Sanctam Terram toties memorat Scriptura; guſtaſſe idem Jonathanem 1. Sam. XIV. 27. inter Michmas & Ajalon in Jordanis vicinia. Quin imo prætendit *Chriſtianus Druthmarus Expoſ. in Matth.* vixiſſe hac ipſa Manna Iſraëlitas in deſerto per annorum 40. decurſum. Verum enim verò demonſtrauimus ſuis locis, fuiſſe Mannam Iſraëliticam miraculoſam prorſus, & guſtaſſe Jonathanem ipſum mel apum. Non prorſus quadrat huc Manna noſtra officinalis, purgans remedium, multò minus *ros melleus*, δροσόμελι, qui ejusdem cum Manna ordinaria eſt originis, exſudans ex arborum foliis, ſæpeque noxiæ indolis. Aliud eſt δροσόμελι, ἀερόμελι, aliud μέλι ἄγριον.

Non majoris æſtimii eſt opinio, quam fouet *Beda in Matth.* III. & *de Locis ſanctis* c. 13. quæ mel hoc explicat per mellei ſaporis folia, quibus vixerit Johannes, & corruit cum præcedenti, ſi ſapor ille debetur fluido exſudanti. Illa item *Anſhelmi*, Cantuarienſis Epiſcopi, *in Matth.* & *Thomæ* apud *Montacutium*, qui mel hoc quærunt in medulla arundinum, quam exſuxiſſe utique dici poſſet Eremicola, ſi in Deſerto quopiam Indiæ Orientalis vel Occidentalis vixiſſet, arundine ſaccharifera feraci. Recedunt hi nimiùm à melle vero ſylueſtri.

Accedunt propius, qui cum *Iſidoro* L. I. *Epiſt.* 32. & *Euthymio* admittunt μέλι ὄρειον ὑπὸ μελισσῶν ἀγρίων γινόμενον πικρότατον ὂν καὶ πᾶσῃ γεύσει πολέμιον, verum ab apibus agreſtibus collectum mel, ſed ſaporis amariſſimi, ingrati. Inuenitur, quod diffiteri haud poſſumus, hujusmodi mel. Nouimus variare guſtu mel pro varia plantarum indole, è quibus mel exſugunt apes. In Corſica Inſula dicitur *Diodoro Siculo Bibl. Hiſt.* L. V. p. 295. πικρίζειν παντελῶς, amaricare valde ob copiam Buxi, quæ ibi naſcitur; cujusdem ſaporis eſt propter abſinthium abundans Sardiniæ mel, apud *Dioſc.* L. II. c. 102. & quod colligitur ad Phaſin vel Colchidem fluuium teſte *Strabone* L. XI. c. 5. imo venenatæ prorſus indolis in περιχώρῳ *Ponti Euxini*, ubi *Chamærhododendron* copiosè creſcit, teſte *Tournefort. Voyage du Leuant.* Num verò hæc quadrent ad Textum noſtrum, & Terram Sanctam, jure merito dubitatur. Neque Scriptura Sacra ſuffragatur, neque experientia. Illa celebrat hanc terram multoties melle (certè haud ingrato, multò minus venenato) fluentis elogio. *Joſephus Bell. Jud.* L. V. c. 4. viciniam Jordanis tanquam μελιττότροφον χώραν; Rabſakes ille blaſphemus Aſſyriam ſuam, quod Canaanitidis ad inſtar oleo fluat & melle.

Tutiſſima iterum heic eſt via, quæ planiſſima, ſimpliciſſima. Sit in literali ſenſu μέλι ἄγριον mel commune, ſed ſylueſtre, collectum in ſyluis, heic in Deſerto, reperiundum in cauis arborum truncis & ſaxorum fiſſuris atque ſpeluncis, ubi id recondere ſolent apes ſylueſtres. Diſtinguendum proin ab illo μέλι ὠρεῖον, quod colligunt apes domeſticæ. Hujusmodi melle ſylueſtri vixerunt olim Nationes integræ, Scythæ, Sarmatæ, viuuntque adhuc paſſim Poloni atque Ruſſi. De Hyrcanis, Medis, Armenis teſtem habemus *Strabonem* L. II. c. 5. de *Palæſtina* Codicem ſacrum. Inuenerat Simſon *examen apum in corpore* (ſceleto) *Leonis & mel. (examen apum in ore leonis, ac fauum mellis.)* Jud. XIV. 8. Promiſerat ipſe DEUS populo ſuo *mel de petris*, Deut. XXXII. 14. & Pſ. LXXXI. 17. *Melle de petra te ſatiaſſem.* Ne quis autem exiſtimet, dare mel ſolidum corpori nutrimentum, jejunaſſe dici poteſt Johannes, dum locuſtis vixit & melle, & ægrè traxiſſe vitam. De Acridophagis notum ex *Strabone*, fuiſſe βραχοβίους. Audi teſtimonium *Hippocratis Lib. de Affection.* c. 50. *Sect.* 5. τὸ μέλι ξὺν μὲν ἑτέροις ἐσθιόμενον καὶ τρέφει, καὶ εὐχροιαν παρέχει. Αὐτὸ δὲ ἐφ' ἑωυτῷ λεπτύνει μᾶλλον. *Mel cum aliis quidem comeſtum & nutrit, & bonum colorem exhibet. Ipſum autem per ſe ipſum attenuat magis quàm reficit.* Abſtergentis eſt facultatis, imo ſpicula in ſinu ſuo gerit acria, quæ deſtillatio euoluit. Conſtat hinc, non lautè, ſed pauperrimè viviſſe præcurſorem Meſſiæ, utpote de quo CHRISTUS ipſe teſtatur Luc. VII. 33. *non comediſſe panem*, μήτε ἄρτον ἐσθίων. Et in *Pythagoræ* laudem legitur apud *Euſtathium*, adeò tenuem traxiſſe vitam, ut ſubinde non guſtauerit niſi parum mellis, ἐυτελέστατα διαβιὺς, πολλάκις μέλιτι μόνῳ χρησάμενος.

Non ſine prouidentia locuſtarum cum melle *conjunctionem* accidiſſe rectè arbitratur Ill. *Job.*

Jac. Bajer Specim. I. *Animaduers. in Loca Noui Fœd.* p. 11. *Mel enim & aquæ frigiditatem, & locustarum cruditatem, atque ad putrescendum procliuitatem corrigere potuit, ne corpore morboso reddito asperam cæteroquin suam victitandi rationem in opprobrium adduceret, aut ineptus hinc euaderet ad munus obeundum vir Diuinus, non morbo, sed sanguine veritatis causa profuso periturus Martyr.* Cui sententiæ corroborandæ faciat insuper balsamica mellis natura, & virtus specialis anthelmintica.

Notandum tandem, sese non alligasse Johannem voto quopiam ad locustas & mel syluestre. In urbem fortè veniens, vel ipsam Herodis aulam frequentans, vel Hierosolymæ Festa celebrans, imo & carcere clausus comedit haud dubiè, quod sibi obuenerat. Ponitur heic species pro genere. Sic de Daniele legitur, non comedisse ipsum & socios nisi σπέρματα, *legumina*, pane scilicet haud excluso. Sic nos dicimus, hanc illamue familiam non viuere nisi oleribus, vel leguminibus, vel fructibus, non carnibus, qua loquendi formula à mensâ non remouemus panem quotidianum, nec vini haustum. Certum hoc est, Johannem vitam egisse tenuem, temperatissimam, minimè lautam, ut Judæi alii, ut Sacerdotum filii, abstinuisse à conuiuiis. Cum grano salis intelligi proin debent verba illa Luc. VII. 33. ἐλήλυθε Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς μήτε ἄρτον ἐσθίων, μήτε οἶνον πίνων. Imo verò si literæ inhærendum foret Matth. XI. 18. ἦλθε Ἰωάννης μήτε ἐσθίων, μήτε πίνων, ab ipsis quoque locustis & melle syluestri abstinuisse, & inediam continuam seruasse dici deberet. Legantur præter Scriptores varios *Paulus Rabe Diss. de Amictu Johannis Baptistæ, Resp. Christoph. Conr. Falke, Regiom. 1693. de Victu Johannis Baptistæ, Resp. Dan. Dresler. Ib. 1694. & 1689. Witsius Miscell. sacr.* T. II. *Exerc.* XV. §. 38.

TABB. DCLX. DCLXI. DCLXII. DCLXIII.

Matth. Cap. III. vers. 7.

Cum vidisset autem multos ex Pharisæis & Sadducæis venientes ad baptismum suum, dixit illis: Progenies viperarum, quis (a) docuit vos fugere à ventura ira?

Videns autem multos Pharisæorum & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?

(a) Submonstrauit vobis ut fugeretis.

Ἰδὼν δὲ πολλὲς τῶν Φαρισαίων καὶ τῶν Σαδδεκαίων ἐρχομένης ἐπὶ τὸ βάπτισμα αὐτῦ, εἶπεν αὐτοῖς· Γεννήματα ἐχιδνῶν, τὶς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς;

Luc. Cap. III. vers. 7.

Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant, ut baptizarentur ab ipso: progenies viperarum, quis (b) docuit vos fugere à ventura ira?

Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant, ut baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira?

(b) Vel, quis submonuit vos, ut fugeretis, aut, ut fugere posse putetis imminentem iram?

Ἔλεγεν οὖν τοῖς ἐκπορευομένοις ὄχλοις βαπτισθῆναι ὑπ' αὐτῦ· Γεννήματα ἐχιδνῶν, τὶς ὑπέδειξεν ὑμῖν φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς;

EX Historia Gentis Judaicæ constat, Cleri authoritatem haud inferiorem fuisse, quàm est, vel esse potest, in Ecclesia Catholico-Romana, Protestantiue; nemo non proin rapietur in admirationem, quod CHRISTUS & Johannes neglecto Titulo, Reuerendissimi, Doctissimi, Clarissimi, Honoratissimi, Sacerdotum primipilos, & maximæ apud Judæos æstumationis Pharisæos & Sadducæos nuncupauerit ὄφεις & γεννήματα ἐχιδνῶν, quod crimen læsæ Majestatis sacerdotalis hodie grauissimas posceret pœnas.

Sed quoque digna est inquisitione res, cur adeò odiosum sit serpentum atque viperarum nomen, quum tamen animalia hæc rarò vel nunquam vel mordeant, vel morsu suo noceant, nisi irritata, & ad iram commota. Sunt, qui respiciunt ad partum viperarum violentum, qui fiat

MATTH. Cap. III. v. 7.
Phariſæus vipera.

Matth. Cap. III. v. 7.
Der Phariſäer eine Natter.

I. G. Pintz sculps.

fiat eroſione ipſius matris & uteri, & hunc applicant ad modum, quo CHRISTUM ejusque Apoſtolos & Prophetas tractarunt Judæi, horumque Præpoſiti, indigniſſimum. Sed fabulam anilem redolet prius Lemma comparationis, adeoque non claudicare non poteſt alterum, licet in ſe veriſſimum. Quinimò per abſurdam conſequentiam DEUS ipſe & ſanctiſſimi Prophetæ Veteris Teſtamenti ſerpentum & viperarum titulum geſſiſſe vel mereri dici deberent. Legatur interim *Iſidorus Epiſt.* 105. Ad rhombum melius quadrat, ſi dixerimus ſimpliciter, fuiſſe Judæos κακὸς κόρακος κακὸν ὠὸν, *mali corui malum ouum.* Ut ſanè non majori elogio dignos eos judicauit Protomartyr Stephanus Act. VII. 51. Ita is: Σκληροτράχηλοι, καὶ ἀπερίτμητοι τῇ καρδίᾳ καὶ τοῖς ὠσὶν, ὑμεῖς ἀεὶ τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ ἀντιπίπτετε ὡς οἱ πατέρες ὑμῶν καὶ ὑμεῖς. Et diu ante Regio Pſalti cluent *ſimiles patribus ſuis, natio deficiens & rebellis, (generatio praua & exaſperans,)* Pſ. LXXVIII. 8. Dubio procul omni atri carbonis nota, qua inuſtum eſt ſerpentinum genus, fundatur ipſo Adami lapſu, & ſeductione primæ matris per ſerpentem Diabolum; cujus progenies in paralleliſmo collocari poteſt cum γεννήμασι ἐχιδνῶν. Ita adlocutus eſt Diuus Paulus Magum Elymam Act. XIII. 10. υἱὲ Διαβόλε. Et Saluator ipſe Judæos, *vos eſtis ex Patre Diabolo.* Sed quadrat in Phariſæos cumprimis comparatio cum ſerpentibus, qui tacito reptatu obuios circumueniunt aggreſſuri, vel nemine animaduertente inſiliunt, ut illi ſub ſpecioſo ſanctitatis prætextu ſæuiſſimi fuere CHRISTI & Chriſticolarum perſecutores, ouillis pellibus induti rapaciſſimi lupi.

In gratiam, vel opprobrium potius, Phariſaicæ Gentis apponimus Serpentum Tabulas aliquot, ex Muſeo *Linckiano.*

Fig. 1. TAB. DCLX. Vipera Surinamenſis alba faſciis latis vix ſemicircularibus fuſcis, pari fere interuallo lineæ ab inuicem diſtantibus, & punctorum nigrorum ſerie ad latera, macula quoque arcuata per orbitam oculi ad occiput ducta, inſignita, ventre albido.

Vipera Surinamenſis lurida, faſciis albis in dorſo notata.

Serpens tenuior cinericeus ventre albo, dorſo tæniato. *Vincent. Cent.* III. 30.

Vipera Africana ex fuſco cinericea, laterculis elegantibus & ſtriatis, cauda acuminata, & mediocriter longa. *Vinc. Cent.* III. 92.

Fig. 2. Serpens Americanus griſei coloris, maculis per dorſum diuerſæ figuræ & magnitudinis, minoribus etiam ad latus rhomboidalibus flauis notatus.

Serpens Americanus ex luteo & griſeo variegatus.

Vipera Africana verſicolor inſtar marmoris maculata. *Vinc. Cent.* II. 21.

Serpens minor Americanus griſeo variegatus marmoreus. *Vinc. Cent.* V. 59.

Serpens minor fuſco-variegatus marmoreus, *Prom. Bonæ Spei. Vinc. Cent.* VI. 168.

Fig. 3. Amphisbæna Americana nigra atris punctis in nigro notata, ſed præterea maculis albis, in capite & collo ferme tæniatim coëuntibus, cæterùm alterno ordine verſus dorſum aſcendentibus, ventre ſulphurei vel rubeſcentis coloris.

Amphisbæna Americana minor nigra, variis maculis & ſtriis albis, ventre aliquo modo rubra.

\- - μελανομένη ὑπὸ βώλῳ
Αἰθιώπων (ἀσπὶς) ὅτε δὲ πολύρρομος εἰς ἅλα Νεῖλος
Πλησάμενος κατέχευεν ἄσιν, πρεύτυψε δὲ Πόντῳ.

\- - *atratus ſub gleba (Serpens)*
Æthiopum, quale lutum plenus Nilus multis oſtiis
In Mare fundit, & in Pontum infligit.

Arkamo Serpens albo & nigro diſtinctus tanquam Phrygium opus, ſeu interpunctus. *Damir.*

Sipphon, Supphon ſerpens albo & nigro diſtinctus. *Arkamo* Alcamo, qui ſerpens perniciosiſſimus, & homini infenſiſſimus partim niger, partim albus. Unde conjectat *Bochartus Hieroz.* p. 417. eſſe Hæmorrhoum.

Serpens major maculis albis & nigris notatus. *Vinc. Cent.* I. 43.

Serpens minor Orientalis annulis nigris & albis à capite ad caudam æqualiter diſtantibus ornatus. *Vinc. Cent.* IV. 96.

Serpens minor Orientalis maculis magnis nigris albo colore interſectis. *Vinc. Cent.* V. 61.

Fig. 4. Serpens Americanus ex luteo & griſeo (vel fuſco) in capite & collo veluti reticulatus, reliquo corpore tæniatus, tæniis veluti fractis.

Serpentis Americani ex luteo & griſeo variegati ſpecies.

Fig. 5. Serpens Americanus dorſo nigricante, lineolis per maximam dorſi partem albis, iisque parallelo ſitu poſitis, tandem ſine regula coordinatis, picto ventre flaueſcente nigricantibus tæniis notato.

Serpens Americanus vulgaris ſubniger variis ſtriis transuerſis in dorſo albis.

Pluribus ille notis variatam tingitur aluum,
Quam paruis tinctus maculis Thebanus Ophites.

Lucan. L. IX. v. 716.

Boycupecanga in tergo notulis quibusdam diſtinctus. *Raj. Syn. Quadr.* p. 330.

Serpens minor Americanus dorſo nigricante, per quod decurrunt lineæ albæ & nigræ tenuiſſimæ. *Vinc. Cent.* VI. 177.

Fig. 6. Vipera Iſebequenſis toto corpore ex coloribus terreo, luteo & albo varia, collo te-

nui, nigris punctis notato, maculis per totum corpus fuscis veluti tæniatis in dorso latioribus, versus ventrem imum contractioribus.

Vipera Isebequensis luteo, albo terreoque colore inter se mixtis, Iride oculorum coloris cœrulei.

Serpens Americanus variegatus capite oblongo & crassiusculo, cauda tenui, & in acumen desinente. *Vinc. Cent.* IV. 61.

Fig. 7. Vipera Guineensis crassa subcœrulea, tæniis per digiti interualla ex albo & rubro (flauo) variis angularibus, nigro colore marginatis, ventre flauo, nigro colore tæniato, capite variis coloribus marmorato, macula in dorso colli oblonga, atro quoque colore marginata.

Vipera Guineensis subcœrulea, variis annulis ex albo, rubro & nigro mixtis, capite perbellè ex rubro & aliis coloribus depicto.

Serpens indigena maculis nigris & cœruleis. *Vinc. Cent.* I. 88.

Serpens Americanus subcœruleus marmoreus, tæniis albis. *Vinc. Cent.* III. 37.

Fig. 8. TAB. DCLXI. Vipera Americana, linea nigra per longitudinem in dorso, & duabus lineis in latere, una ex albo & nigro oculato, altera oculis nigris intermixto rubro, capite perbellè notato ex albo & nigro, ventre albo nigro colore tæniato.

Serpens malignus duabus lineis nigris in dorso notatus, *tufiet* Turcis. *Meninzk. Lexic.* 3115.

Serpens Americanus rarior, juxta corporis longitudinem lineis nigris & albis notatus. *Vincent. Cent.* I. 79.

Fig. 9. Vipera Surinamensis coloris luridi, capite perbellè maculato, maculis toto corpore fusco-nigricantibus, tum rhomboidalibus, tum subrotundis caudatis, passim medio albis pulcherrimè picta.

Vipera Surinamensis perbellè notata.

Jaculus maculis nigris oculorum instar interspersus. *Bellon. Singular.* L. I. c. 31. L. II. c. 14.

Serpens Indicus spadiceus sagittatus, ad ceruicem & dorsum maculis sagittiformibus inscriptus. *Raj. Syn.* 332.

Serpens Surinamensis versicolor elegantissimus. *Vinc. Cent.* II. 55.

Serpens Surinamensis maculis majoribus nigris, cauda longa & in acumen desinente. *Vinc. Cent.* III. 39.

Serpens Surinamensis fuscus variegatus, cauda acuta, majoribus maculis nigricantibus & flammis notatus. *Vinc. Cent.* IV. 50.

Gekrunkelt en curieus gevlakte Slang. *Merian Insect. Surin.* p. 5. & 46.

Fig. 10. TAB. DCLXII. Dipsas Angolensis capite ex flauo albicante veluti reticulato. Ex occipitio descendunt per omnem dorsi longitudinem tres lineæ (media digitali interuallo punctis irregulari situ nigris conspersо) constantes punctis seu lituris atris. Ad latera sequuntur tres utrinque series dilutioris nigredinis, in collo macularum semilunarium, in reliquo corpore ad caudam fere quadratarum. Venter est albo flauicans punctis obscurioribus notatus.

Dipsas Angolensis perbellè notata.

Διψὰς ὄφις ἐ πάνυ μέγας ἐχίδνῃ ὅμοιος. Dipsas Serpens non valde magnus, viperæ similis. *Lucian. in Dipsadib.*

Acontias, *Jaculum*, trium palmorum longitudine, minoris digiti crassitie: color cinereus ad lacteum tendens: venter prorsus candidus, paruis maculis oculorum instar in dorso varius. A ceruice nigra binæ albæ lineæ per dorsi longitudinem usque ad caudam excurrunt. Maculæ lenticulâ minores non sunt, coloris nigri albo orbe cinctæ. *Raj. Syn.* 290. ex *Bellonio.*

Elops, *Elaps*, *Elaphis*, Lemni incolis *Laphiati.* Longitudo 3. pedum circiter, venter lutei coloris, tergus leucophæi, cum tribus lineis nigris à capite ad caudam decurrentibus. *Raj.* l. c.

Fig. 11. *Anguis Æsculapii* crassus, capite turgido ex albo flauescente & nigro vario tæniis latioribus nigris & angustioribus albis, & flauescentibus pulchrè pictus, in medio fere corpore tæniæ latiores purpurascunt, interstincto colore albo, versus caudam tæniæ sunt albidæ, alterna serie dimidiatæ.

Vipera Æsculapii.

Δήεις κεγχρίνε δολιχὸν τέρας, ὄντε λέοντα
Αἰολον αὐδάξαντο, περίσκεπτον φολίδεσσι.

Inuenies *Cenchrinis* longum monstrum, quem & *Leonem*
Varium vocarunt, squamis maculosum.
Nicand. Ther. v. 463.

TAB. DCLXIII. Pharisæum sistit in suo vestitu.

TAB.

MATTH. Cap. III. v. 16.
Iesus baptizatus.

Matth. Cap. III. v. 16.
Die Tauffe Christi.

I. A. Fridrich sculps.

TAB. DCLXIV.

Matth. Cap. III. verſ. 16.

Et baptizatus JESUS aſcendit protinus ab aqua: & ecce, aperti ſunt illi cœli, & vidit Spiritum DEI deſcendentem tanquam columbam, & venientem ſuper ipſum.

Baptizatus autem JESUS confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cœli: & vidit Spiritum DEI deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſuper ſe.

Καὶ βαπτισθεὶς ὁ ΙΗΣΟΥΣ ἀνέβη εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ὕδατος. Καὶ ἰδοὺ, ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοὶ, καὶ εἶδε τὸ πνεῦμα τοῦ ΘΕΟΥ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, καὶ ἐρχόμενον ἐπ' αὐτόν.

Luc. Cap. III. verſ. 21. 22.

21. Et euenit, quum baptizaretur omnis populus, ut & JESU baptizato & orante apertum ſit cœlum.

22. Et deſcendit Spiritus Sanctus corporea ſpecie, ſicut columba, ſuper ipſum. Et vox de cœlo edita eſt, dicens: Tu es filius meus dilectus, in te mihi benè complacitum eſt.

21. Factum eſt autem, cum baptizaretur omnis populus, & JESU baptizato & orante, apertum eſt cœlum.

22. Et deſcendit Spiritus Sanctus corporali ſpecie ſicut columba: & vox de cœlo facta eſt: Tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.

21. Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ βαπτισθῆναι ἅπαντα τὸν λαὸν, καὶ ΙΗΣΟΥ βαπτισθέντος, καὶ προσευχομένου, ἀνεῳχθῆναι τὸν οὐρανὸν.

22. Καὶ καταβῆναι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον σωματικῷ εἴδει, ὡσεὶ περιστερὰν ἐπ' αὐτὸν, καὶ φωνὴν ἐξ οὐρανοῦ γενέσθαι, λέγουσαν· Σὺ εἶ ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, ἐν σοὶ ηὐδόκησα.

Joh. Cap. I. verſ. 32.

Et teſtificatus eſt Joannes, dicens: Vidi Spiritum deſcendentem *(a)* ſicut columbam è cœlo, & manſit ſuper eum.

Et teſtimonium perhibuit Johannes, dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem, quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum.

(a) Eraſmus, ſpecie columbæ.

Καὶ ἐμαρτύρησεν Ἰωάννης λέγων· Ὅτι τεθέαμαι τὸ Πνεῦμα καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν ἐξ οὐρανοῦ, καὶ ἔμεινεν ἐπ' αὐτόν.

STipantur vitæ CHRISTI circumſtantiæ qualescunque miraculis. Miracula vidimus in natiuitate, videbimus in morte. Quis miretur, ſi naſcentem conſideret & morientem Naturæ Dominum? Heic, in Baptiſmo Saluatoris, fiſſum aperitur cœlum, non uti in *Chaſmatibus* fieri ſolet. Meteoro huic, quo inflammata materia findere videtur cœlum noctu, heic nullus eſt locus. Contigit Chaſma, de quo nunc, interdiu, neque viſum id, niſi à baptiſato & baptizante. Eadem eſt ratio columbæ, cujus ſpecie ſeſe demiſerat Spiritus Sanctus ſuper JESUM. De hac *columba* non omnes ſentiunt idem. Perſuaſi ſunt *Tertullianus Lib. de carne* CHRISTI c. 3. & *Auguſtinus de Agone Chriſtiano*

no c. 22. ſplendida duo Eccleſiæ lumina, corpoream fuiſſe formam creatæ tunc columbæ. Pollicem premunt cum *Thoma* omnes penè Theologi Scholaſtici teſte *Sixto Senenſi Bibl.* L. VI. *Annot.* 13. Sed omnes quatuor Euangeliſtæ dicunt, deſcendiſſe Spiritum Sanctum ὡσεὶ περιστερὰν, Lucas σωματικῷ εἴδει ὡσεὶ περιστερὰν, *Juſtinus*, *Epiphanius*, *Chryſoſtomus*, *Iſidorus*, ἐν εἴδει περιστερᾶς, *Cyrillus* περιστερᾶς ἐν σχήματι, item, ἐν τῷ τῆς περιστερᾶς σχηματισμῷ, atque his expreſſionibus innuere volunt, & cum ipſis quicunque alii Patres, comparuiſſe Spiritum Sanctum CHRISTO & Johanni in viſione ſpecie columbæ, quemadmodum in primo Pentecoſtes Feſto Apoſtolis ὤφθησαν διαμεριζόμεναι γλῶσσαι ὡσεὶ πυρὸς, Act. II. 3. non quod adfuerit materialis quidem linguæformis ignis. Ita namque afficiebantur tum CHRISTI, tum Johannis, ſic & Apoſtolorum, ſenſus tum externi tum interni, ut affici ſolent comparente columba, vel linguis igneis. Par ratio fortè eſt vocis è cœlo de Meſſia teſtantis. Operatur DEUS extra & ſupra naturæ ordinem in hos illosue ſenſus, ſed tunc ſemper miraculosè. Ubi *aperiuntur cœli, & videt* ſolus Ezechiel *viſiones DEI*, I. 1. ſolus Stephanus θεωρεῖ τοὺς οὐρανοὺς ἀνεῳγμένους, καὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐκ δεξιῶν τοῦ ΘΕΟΥ, Act. VII. 57. in hujusmodi occaſionibus agit DEUS immediatè in ſenſus, excitatque has illasue ideas, quæ excitari ſolent juxta naturæ curſum ab objectis externis, vel in ſomniis naturalibus. Hanc ſententiam, quia ego quoque amplector, condonabit beneuolus Lector, ſi Hiſtoriam hanc Baptiſmatis CHRISTI non illuſtrauero chaſmatis columbæ ullis Iconiſmis.

TAB. DCLXV.

Matth. Cap. IV. verſ. 2.

Et cum jejunaſſet dies quadraginta, totidemque noctes, tandem eſuriit.

Et cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, poſtea eſuriit.

Καὶ νηστεύσας ἡμέρας τεσσαράκοντα καὶ νύκτας τεσσαράκοντα, ὕστερον ἐπείνασε.

MIraculum heic occurrit, quod CHRISTUS mirabilis fortisque DEUS operatus eſt in ſe ipſo, ſed & Phænomenon merè naturale, cui ſe verus, ſed ἀναμάρτητος, homo ſubjecit ſponte.

Conſiſtit miraculum in jejunio quadrageſimali. *Jejunauit in deſerto dies quadraginta.* Occurrunt equidem in Scriptis Medicorum Inediæ diutinæ exempla, quæ ad 40. dies ſeſe protendunt, & ultra, ſed in hominibus ægris, qui vel exiguam paſſi ſunt corporis conſumtionem, vel tantâ copiâ congeſtos habent viſcoſos humores, aut pinguedinem, ut hæc vel illi in maſſam ſanguinis reſumti nutrimenti loco ſeruire queant. Sed heic nihil tale. Eſt Saluator noſter corpore ſanus, fluida ſeruant circulum, eumque ordinatiſſimum, conſumitur corpus, deberetque neceſſariò reſtaurari abſumtum cibo & potu, tantò quidem magis, quia durante hoc tempore dimicandum ipſi fuit cum Diabolo, in diuerſis locis tentatore.

Naturalis paſſio, quam ſuſtinuit optimus Saluator, eſt *Fames*, ὕστερον ἐπείνασε. Tot animi corporisque motibus, μονομαχίᾳ cum Satana, per preces continuas exhauſti fuere Spiritus, defatigatum corpus, & excitatus naturalis ille ſenſus, quo feruntur mortales ad cibum & potum, quiue conſiſtit in vellicatione tunicæ nerueæ ventriculi ab ipſo fermento ſtomachico.

Matth. Cap. IV. verſ. 5.

Tunc adſumit illum Diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnulam Templi.

Tunc aſſumſit eum Diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum Templi.

Τότε παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ Διάβολος εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, καὶ ἵστησιν αὐτὸν ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ.

MATTH. Cap. IV. v. 2.
Iesus à Satana tentatus.

Matth. Cap. IV. v. 2.
Jesus vom Teufel versuchet.

I. G. Pintz sculps.

MEminiſſe juuat, pro illuſtrandis his locis, tecta ædium in Orientalibus Regionibus fuiſſe jam olim, ut ſunt adhuc, plana, non in angulum acuminata, ut ſunt Europæa, ut ſuper iis deambulare liceat, & aërem frigidum haurire. Hinc eſt, quod juſſerit DEUS *loricam facere tecto — ne quispiam caderet ex eo.* Deut. XXII. 8. Num verò par fuerit ratio pinnæ ipſius Templi, dubitatur non ſine ratione. Certum hoc eſt, duxiſſe Satanam Saluatorem noſtrum in editum quendam Templi locum. Et ſollicitus cumprimis eſt *Herm. von der Hardt Ephemer. Philolog.* p. 33. ut inueniat eum, num fortè fuerit Lorica Sanctuarii, vel Thronus Regius in Templo, vel pulpitum Regis in Templo, vel Baſilica Templi *Gaſith* dicta. Videamus hæc ſingula.

De tecto ipſius Templi judicat citatus modò *von der Hardt* ex Rabbinis, non fuiſſe planum, ut ædificia alia, ſed acuminatum. Fuiſſe nempe parietes ſanctiſſimi hujus ædificii connexos inuicem trabibus & aſſeribus cubitum craſſis, his incubuiſſe ſtratum ex calce & lapillis contuſis etiam cubitale; Stratum autem hoc non fuiſſe ſubdiale, ſed opertum tecto decliui & fornicatæ intus contignationis. In circuitu tecti hujus locat *L'Empereur in Middoth* p. 161. loricam ejusdem cum tecto altitudinis, nempe tricubitalem: in ſummo hujus loricæ faſtigio erectam ſtetiſſe laminam ferream acuminatam, ne fortè corui aliæque aues ſanctiſſimo inſiſterent loco, eumque excrementis ſuis fœdarent. Hæc ſi fuit tecti conſtitutio, ſtatui utique poteſt, non eſſe hoc, de quo Euangeliſtæ, πτερύγιον τῦ ἱερῦ. Locus hic debebat eſſe talis, ad quem CHRISTUS aſcendere potuiſſet, ab eodem deſcendere, eique commodè inſiſtere, imo ex eo undique proſpicere, id quod de lorica acuminata 4. cubitos alta dici nequit. Et notandum, vocem ἱερὸν non denotare ſemper ſanctiſſimum locum, ſed totum, qua latè patuit, ædificium cum ſuis atriis.

In Templo, ex communi Judæorum ſententia, nemini licuit ſedere, niſi Regibus ex Familia Dauidica. Sed poſcebat authoritas regia locum ab aliis diſtinctum, ubi poterant Reges commodè locari, precibus & cultui diuino vacare. Hunc proin in finem erigebatur Thronus præaltus, extra & ſupra muros alios Templi eminens, columnis marmoreis nixus. Hic Thronus turritus, quoniam ædificiis aliis fuit altior, & alæ inſtar auis eminens, vocabatur *Ala Templi*, πτερύγιον, כָּנָף *canaph*, Dan. IX. 27. ubi LXX. habent πτερύγιον. Neque erit abſonum, τὸ πτερύγιον τῦ ἱερῦ in Textu noſtro explicare per hanc ipſam alam, in qua veluti Cathedra diſputandum fuit Meſſiæ cum Satana.

Septennio quouis erigi ſolebat in Tabernaculorum Feſto βῆμα ligneum in atrio mulierum, ex quo veluti ex Cathedra prælegere ſolebat Rex jura ſua regia. Poſſet & ipſum hoc βῆμα intelligi per πτερύγιον τῦ ἱερῦ, ubi CHRISTUS collocari voluit tentandus à Satana tanquam Rex & Meſſias. Pondus accederet huic ſententiæ, ſi probari poſſet congruitas Feſti dicti cum anno tentationis.

Supereſt Ædificium ſeu Conclaue ex illuſtrioribus Templi *Gaſith* dictum, ubi colligi ſolebat *Sanhedrin*, 71. virorum Concilium. Hujus Palatii verè Regii medietas reſpiciebat atrium, occupata à Rege, altera Sanctum, in qua conſidebant Senatores. Patuit autem ad locum hunc duplex aditus, unus ex parte atrii, alter à Sancto. Meretur hic locus præ aliis alæ nomine inſigniri, dummodo euinci poſſit, eminuiſſe præ aliis ædificiis, locus ſanè percommodus, in quo Satanas conflictari poterat cum JESU de officio hujus Regio & Pontificali, vel & accuſare Meſſiam & condemnare in foro. Addit huic ſententiæ pondus aſcenſus ad hunc locum per ſcalas. Et admittunt hæc verba, εἰ υἱὸς εἶ τῦ ΘΕΟΥ, βάλε σεαυτὸν κάτω, exponente *von der Hardt* hanc vel ſimilem ἐξήγησιν. *Num tu ſis Filius DEI? Tunc es Meſſias, Rex Iſraelis? Apage te, deſcende aut! Niſi te illico ſubduxeris, præceps datus ſenties, quàm egregiè ſcilicet in te impleatur dictum Dauidis.* Extat ſanè locus modò citatus cum ſigno interrogationis in Exemplaribus editis Baſileæ 1519. fol. ex officina Joh. Frobenii, Hagenouiæ 1521. 4. ex ædibus Thomæ Anshelmi Badenſis, Argentorati 1524. 8. Typis Wolffii Cephalæi.

TAB. DCLXVI.

Matth. Cap. IV. verſ. 24.

— Et adduxerunt ad illum omnes malè affectos, variis morbis ac torminibus contractos, & dæmoniacos, & lunaticos, & paralyticos, ſanauitque illos.

— Et obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit eos.

— Καὶ προσήνεγκαν αὐτῷ πάντας τὲς κακῶς ἔχοντας, ποικίλαις νόσοις καὶ βασάνοις συνεχομένες, καὶ δαιμονιζομένες, καὶ σελληνιζομένες, καὶ παραλυτικὲς, καὶ ἐθεράπευσεν αὐτὲς.

EST CHRISTUS Doctor, ſed ſummus, Theologiæ ac Medicinæ; loquebatur & docebat tanquam Doctor θεόπεμπτος, de quo Judæorum ipſorum teſtimonium notum, non docuiſſe unquam quenquam, ut ille: ſanabat quoque quos morbos volebat ſanare cunque, præſertim incurabiles, remediis ordinariis inuictos. Ex κριτηρίοις hiſce duplicis officii certiſſimis conſtare debebat, eſſe illum Meſſiam promiſſum. Occaſionem ſuppeditabit paſſim Euangelica Hiſtoria differendi de morbis, quos ſuperauit, variis. Heic agam duntaxat de δαιμονιζομένοις.

Obſidet & affligit Diabolus tum impios, tum pios, illos jure dæmonii, hos ex ſanctiſſima ipſius DEI permiſſione: Exemplo ſunt Jobus & Paulus. Materiam hanc pro viribus illuſtraturus ante omnia è medio tollere neceſſe habeo æquiuocum. In Eccleſia primitiua *obſeſſi* dicebantur infantes omnes non baptizati, ſed quoque adulti, ſacra baptiſmatis unda haud abluti; hinc in Eccleſiam introductus Exorciſmus, hinc Catechetæ nuncupati Exorciſtæ. *Balſamon in Can. 26. Concilii Laodiceni:* Κατηχηταὶ ἐξορκισταὶ, ἐξορκίζειν ἦγεν κατηχεῖν ἀπίσες. De hac animæ humanæ per Satanam captiuatione, & per baptiſmatis ſacrum fontem liberatione meum non eſt judicium ferre, ut nec de *obſeſſione ſpirituali*, qua Diabolus mentes impiorum faſcinat, obdurat, poſſidet, ad omnis generis ſcelera incitat, ipſeque in filiis inobedientiæ, infidelibus, operatur, cujus obſeſſionis tremendum dedit exemplum Judas Iſcarioth: dederint & Judæi, horumque Præſides Ordinis Eccleſiaſtici; ad quos ipſe Saluator Joh. VIII. 44. ὑμεῖς ἐκ πατρὸς τὲ διαβόλε ἐςὲ, καὶ τὰς ἐπιθυμίας τὲ πατρὸς ὑμῶν θέλετε ποιεῖν. Objectum, circa quod verſabitur præſens hæc tractatio, erunt *obſeſſi* corpore, *inſeſſi*, *poſſeſſi*, *Energumeni*, *Dæmoniaci*.

Obſeſſos fuiſſe inprimis temporibus CHRISTI dubitari nequit; teſtes ſunt quotquot ſanati fuere à CHRISTO, conſignati in Hiſtoria Euangelica. Dæmones ipſi, qui è corporibus hominum loquebantur cum CHRISTO; donum ejiciendi Dæmonas Apoſtolis à CHRISTO conceſſum Matth. X. 8. quod aliquandiu manſiſſe in Eccleſia perhibent *Juſtinus*, *Tertullianus*, *Lactantius*. Num verò adhuc hodie dentur verè obſeſſi, neque affirmare cupio, neque negare, id ſaltem aſſerere haud religioni duco, ex 100. ita dictis obſeſſis eſſe 99. melancholicos, maniacos, deliros, vel & impoſtores. Par fere eſt ratio obſeſſorum, quæ Magorum. Hos vix reperias, niſi ubi eorum exiſtentia creditur. Haud leuis & momenti & negotii eſt ſignorum diagnoſticorum examen, num ea vires naturæ ſuperent. Certioribus adnumerari debet loquela in idiomate, quod quis per vitam non addidicit; reuelatio rerum prorſus occultarum, quæ absque immediata reuelatione ſciri nequeunt; pronuntiatio vocum articulata & diſtincta, quæ fit ore aperto, immotis linguâ & labiis. Ad dubia ſigna pertinent faſtidium omnis cultus diuini, robur ingens, quod vires naturæ videtur excedere, clamores & ululatus, blaſphemia, artuum diſtenſio fortis & dolorifica, imitatio auium, ouium, boum, canum, porcorum in voce.

Exiſtentia obſeſſorum hodiernorum quia vel nulla eſt, vel rariſſima, ſuperſedere potero facile θεραπείᾳ eorundem, quam Exorciſtis linquo, curioſos ablegans ad Caſuiſtas. Certum hoc eſt, CHRISTUM ejeciſſe Dæmones propria ſua virtute Diuina, & hoc ipſo manifeſtaſſe, ſe eſſe verum Meſſiam, & Filium DEI.

Nouum prorſus ſyſtema, propriæ ſuæ famæ periculo & jacturâ fabricauit *Balthaſar Bekker*, S. Theol. D. & Paſtor Amſtelodamenſis, quod *Faſcinati Mundi* titulo orbi erudito obtulit. In eo diſputat Diabolo, quam ei omnes Chriſtianorum Sectæ tribuunt, potentiam, alligatum tenet catenis in ipſo inferno, tanto quidem magis, quod quiuis homo ſibi ipſi & aliis ſit Diabolus. Huic ſyſtemati ſeſe opponebant

MATTH. Cap. IV. v. 24.
Iesus Medicus.

Matth. Cap. IV. v. 24.
Jesus der Arzt.

I. G. Pintz sculps.

nebant cumprimis δαιμονιζόμενοι, quos neceſſe habebat alio prorſus velare pallio. Contraham paucis, quam latius exponit L. II. c. 27. ſententiam. Obſeruat primò, altum eſſe in Libris Veteris Teſtamenti de Dæmoniacis ſilentium, eorum etiam temporum, quibus à cultu veri DEI defecerant ad δαιμονολατρείαν, uti ſub Manaſſe: cui equidem obſeruationi opponi poſſit, quod Diabolus cumprimis ſub Noui Fœderis initium vinculis ſuis liberatus omnes ſuos furores exercere tentauerit, ut amplam inueniret occaſionem Meſſias deſtruendi opus Diaboli, qui ad hunc finem venire debebat in hunc mundum; ſingulare quid eſſe dominium tantum Satanæ in medio DEI populo; nil tale auditum in ipſa Ægypto, ubi DEUS ſuſcitauerit Pharaonem, ut per pœnas prorſus extraordinarias potentiam ſuam manifeſtaret in hoc Tyranno domando, & gloriam ſuam tot miraculis exaltaret: reponi obſeſſos, ut heic ab Euangeliſta, in numero ægrorum, & in ſanatorum claſſe eos, qui à dæmonibus fuere liberati, Luc. XIII. 32. Saluator ipſe teſtis: Ἰδὲ ἐκβάλλω δαιμόνια, καὶ ἰάσεις ἐπιτελῶ. Petrus de CHRISTO Act. X. 38. quod fuerit ἰώμενος πάντας τὺς καταδυναςευομένες ὑπὸ τὲ διαβόλε. Act. V. 16. Apoſtolis aſportati fuere ἀσθενεῖς καὶ ὀχλέμενοι ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων, qui omnes fuerint ſanati. Notabile inprimis eſſe, quod uni eidemque ægro nomen tribuatur ſpiritus impuri, & morbi. Matth. XVII. 15. ita afflicti miſerrimè filii mœſtus pater ad Saluatorem, σελνιάζετω καὶ κακῶς πάσχει, de quo eodem legitur v. 18. objurgante JESU exiuiſſe ex eo dæmonium, ἐξῆλθεν ἀπ' αὐτὲ τὸ δαιμόνιον. Imò videtur morbus ipſe geſtaſſe nomen dæmonii, Luc. XIII. 11. γυνὴ ἦν πνεῦμα ἔχεσα ἀσθενείας — καὶ ἦν συγκύπτεσα. Nullibi porrò legi in Sacris prænuntiatam à Prophetis ejectionem dæmonum. Allegari oraculum illud illuſtre Jeſaiæ LIII. 4. *Ipſe portat noſtras infirmitates, & dolores noſtros ipſe bajulat*, à Matthæo VIII. 16. 17. ubi narrat, allatos CHRISTO fuiſſe δαιμονιζομένες πολλὲς. Καὶ ἐξέβαλε τὰ πνεύματα λόγῳ, καὶ πάντας τὲς κακῶς ἔχοντας ἐθεράπευσεν. Unde concludit ille, fuiſſe obſeſſionem unum ex morbis à Meſſia ſanandis. CHRISTUS ipſe diſcipulis Johannis demonſtraturus, ſe eſſe Meſſiam, ita ad illos Matth. XI. 4. 5. πορευθέντες ἀπαγγείλατε Ἰωάννῃ, ἃ ἀκέετε καὶ βλέπετε. Τυφλοὶ ἀναβλέπεσι, καὶ χωλοὶ περιπατᾶσι, λεπροὶ καθαρίζονται, καὶ κωφοὶ ἀκέεσι, νεκροὶ ἐγείρονται, καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται, nullâ prorſus dæmonum, vel ejectionis horum, facta mentione. Judæos ipſos, dum CHRISTO tribuerunt dæmonium, vel ſpiritum impurum, Joh. VII. 20. Marc. III. 30. idem videri dixiſſe, ac, μαίνεις. Ex his omnibus inferre videtur noui ſyſtematis faber, fuiſſe δαίμονας illos deliria cum vel ſine febre, & δαιμονιζομένες, Maniacos, Melancholicos. Judaizare adhuc illos ex Chriſtianis, qui occaſione hujusmodi morborum, vel & philtrorum Diaboli actiones in partes vocant, illos item, qui, mutatâ licet ſcenâ, diſcurſus etiam pios ab ipſis fidelibus durante ecſtaſi vel conuulſionibus recitatos, pro inſpirationibus diuinis venditant, vel & illos, qui illuſionibus Satanicis tribuunt. Non latere Medicos, quod in ſenſuum internorum morbis, mente ipſa affecta, mira ſæpe contingunt, ipſisque ſolutu vel difficilia vel inexplicabilia prorſus. Experientiâ teſte pati ut plurimùm ſenſus externos, ſi interni ſint affecti. Fuit ſanè δαιμονιακὸς ille τυφλὸς καὶ κωφὸς, Matth. XII. 22. obſtructis nempe ſimul optico & linguæ motorio neruis. Qui morbus complicatus πνεῦμα ἄλαλον καὶ κωφὸν cluet Marc. IX. 25. δαιμόνιον κωφὸν, Luc. XI. 14. denominationis hujus originem arceſſit *Bekkerus* ex Gentiliſmo, ſpeciatim ex Philoſophia Platonica & Pythagorea, Judæis amica. Huc faciunt, quæ extant in *Fragm. Galen. ex Aphor. Rabbi Moſis Coll. Exp. 4. in Libr. Timei* §. 99. *Aliqui antiquorum inſpicientes apoplexiam eſſe ægritudinem diram, dæmonium nominauerunt. Et aliqui eam Lunam, Lunam autem dixerunt, quia in circulatione Lunæ accidere conſueuit. Et Plato impoſuit huic morbo nomen dæmonis, quia capiti accidit, & manifeſtè nocet loco DEI, ſcilicet cerebro.* Et quæ *Hippocrates* narrat Lib. περὶ ἱερᾶς νόσε, ex communi ſuæ ætatis opinione, eſſe morbum hunc, qui Epilepſiæ nomine venit, θεῖόν τι, ſed addit is, ὑπὸ ἀπειρίης καὶ θαυμασιότητος, *præ inexperientia & admiratione*, *magicis* certè *incantamentis & luſtrationibus* nihil juuari. Hujusmodi opiniones inualuiſſe apud Judæos conſtat ex *Joſepho*, qui CHRISTO fuit vel coætaneus, vel paulò poſterior, & *Ant. Jud.* L. VII. c. 26. mentionem facit δαιμονίων, qui mentes hominum obſideant & occidant. *Lightfootus* ipſe comprobat ex Judæorum ſcriptis, quod ſoliti atque inſoliti morbi animi atque corporis dæmonibus fuerint adſcripti. De *Kordyco* vel *Cordiaco* morbo Interpres Libri *Gittyn* c. 7. §. 1. dæmona eſſe, qui dominetur vino cumprimis recenti madidis; *Maimonidis* filius, oriri ex repletione nimia vaſorum cerebri, eſſeque Epilepſiæ ſpeciem, qua obfuſcetur intellectus. *Kondriacus*, id eſt, *Hypochondriacus*, melancholicus, judice R. *Houna* in Libro *Aruch*, eſt *Schibbtha* dæmon infantium ceruici inſidens, & neruos horum tum exiccans, tum contrahens, noctu quoque manibus præſertim illotis inſidens. Vid. *Buxtorff. Synag. Jud.* c. 11. In parallelo quoque ponit *Lightfoot* in Matth. XVII. 13. δαιμόνιον & morbum. Δαίμονες quoque vocari ſcribit *Bekkerus* in ipſa Scriptura ſollicitationes certas vel motus animi ad bonum ſiue malum. *Alium* illum *Spiritum*, qui in Calebo fuit Num. XIV. 24. fuiſſe heroicum ipſius animum, fide nixum, puſillanimitati ſociorum oppoſitum. *Spiritum* illum (ſeu *ventum*) quem miſerat DEUS contra Sennacheribum, *cujus ſonitum protinus ut audierit, reuerſurus ſit in terram ſuam*, Jeſ. XXXVII. 7. terrorem fuiſſe panicum, conceptum ex clade inopinata 185000. Aſſyriorum

v. 36. 37. *Spiritum fornicationis* Hoſ. IV. 12. V. 4. ſolicitationem ad hoc peccatum. *Spiritum alti ſoporis*, πνεῦμα κατανύξεως, Jeſ. XXIX. 10. Rom. XI. 8. obſtinatam inſenſilitatem, in quam prolapſi fuerint, juſto DEI judicio, Judæi. *Spiritum* DOMINI, *qui receſſit à Saule*, 1. Sam. XVI. 14. 15. heroicum, qui Regem decet, animum, quiue ſucceſſionis jure poſſederit poſtea Dauidem, *ſpiritum* autem illum *malum*, qui Saulem *turbauerat*, triſtitiam inſanam, quæ nunc ſeſe manifeſtauerit per excandeſcentiam, nunc per furorem, Muſicâ toties diſpulſum. *Malum* autem *Spiritum* DOMINI nuncupari, ut Dauidicus Exercitus DEI *Exercitus*, id eſt, ingens numero, 1. Chron. XII. 22. altiſſima montium juga *montes* DEI, Pſal. XXXVI. 7. Cedri præaltæ *Cedri* DEI, Pſal. LXXX. 11. Et quis eſt, qui ignoret, Philoſophos pariter ac Medicos in artium ſuarum & ſcientiarum ſyſtemata introduxiſſe *ſpiritus*, multos facere ſermones de *ſpiritibus animalibus*, *vitalibus*, *chymicis*, ex triplici regno elicitis? qui tamen omnes, nemine diſſentiente, ſint corporei. Ita vult *Bekkerus*, accommodaſſe ſe Saluatorem ad genium & formulas loquendi Judæis uſitatas. Hæc hactenus de *Bekkeri* Hypotheſi, orthodoxis ut inuiſa, ita integris confutata Libris, ut neque opus habeam ei inhærere, neque mens ſit ei adhærere, tantò quidem minus, quod miraculis certò accenſenda veniat dæmoniacorum per CHRISTUM liberatio, ſiue illam *Bekkeri* adoptemus, ſiue aliorum Interpretum ſententiam, qui Diaboli ipſius immediatas actiones accuſant. Neque etiam è re mea eſſe exiſtimo, latius excurrere in Pneumatologiam, ſpeciatim δαιμονολογίαν, in qua maxima certè pars eorum, quæ ſcimus, eſt minima eorum, quæ ignoramus. Legatur *Joh. Mich. Lang Diſp. de Corporali obſeſſione. Reſp. Iſaaco Laurbecch.* Altdorff. 1700.

Fuere οἱ κακῶς ἔχοντες non quidem omnes ejusdem generis, ſanabiles, inſanabiles, obuii qualescunque, id tamen negari nequit, fuiſſe & hos & illos miraculosè ſanatos, dicto facto, citò, tutò, jucundè, quod officium triplex genuini Medici eſſe voluit Aſclepiades, votumque *Celſi* fuit L. III. c. 4. *cum fere periculoſa eſſe nimia & feſtinatio & voluptas ſoleat, & hinc moderatione utendum ſit, ut, quantum fieri poteſt, omnia iſta contingant, prima ſemper habita ſalute. O igitur*, verba ſunt Ill. *Joh. Jac. Bajeri Specim. I. Animadv. in quædam Loca Noui Fœderis* p. 14. *incomparabile perfectumque Medici & ſanitatis Magiſtri Exemplar! quod nos miſeri homunciones, cum per infirmitatem noſtram haud imitari ipſo opere, nedum aſſequi valeamus, ita tamen in oculis jugiter feramus, ut pia promptaque erga curandos voluntate & miſericordia, perſequamur veſtigia τῦ Ἀρχιάτρε Sanctiſſimi, ſub aſſidua numinis ac præſidii ipſius imploratione.*

Matth. Cap. V. verſ. 13. coll. Marc. IX. 50. & Luc. XIV. 34. 35.

Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal infatuatus fuerit, quo ſalietur? Ad nihil valet ultra, niſi ut projiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.

Vos eſtis ſal terræ. Quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.

Ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς. Ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἁλισθήσεται; εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι, εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω, καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων.

COmparatur, quod ex triga horum locorum conſtat, ſal bonæ notæ cum præcone Verbi DEI docto, prudenti, zelote; ἅλας ἄναλον Prædicatori inſipido, Indifferentiſtæ, Hypocritæ, deſidiâ torpenti, qui caret vocatione internâ, & externæ non alium habet characterem, quàm Præbendam. Salis acris epitheton merentur conciones ſolidæ, benè elaboratæ, doctrinæ farctæ, ad ſalutem auditorii applicatæ, ἄναλον inſipidæ, fatuæ. Pro illuſtratione hujus Parabolæ exponendum eſt, quid ſit ſal bonum, quid fatuum, inſipidum.

Tantas in toto orbe laudes promeruit *ſal*, ut Chymici id eleuarint ad ſupremam principiorum dignitatem, & huic tanquam baſi ſuperſtruxerint omnem de *ſaporibus* doctrinam. Diis etiam minorum gentium placuere molæ ſalſæ. Sale carere nequit etiam infimæ ſortis Paterfamiliàs. Non ſapit eſca benè, quæ datur absque ſale. Medico ſal eſt ex præcipuis remediis. Sed purum ſit oportet, nullis heterogeneis partibus ſociatum, omnis alieni ſaporis, odoris & coloris expers, tale, quod vel natura ipſa ex ditiſſima ſua penu producit, vel ars probè depurat. Par ratio eſt doctrinæ diuinorum ſermonum ſanæ, quæ non admittit humanarum traditionum, additionumue μίγμα. Eſt omnis humana ſapientia inſipientia coram DEO. Vacet ſanorum ſermonum Miniſter ſuo officio, non ſit ἀλλοτριοεπίσκοπος. Salis quidem nec naturam perdit nec nomen, quod deliquium eſt paſſum, ſed pro uſu multiuario præfertur ſemper conſiſtens, ſolidum. Eſt ex præ-

cipuis

cipuis ſalis dotibus conditura ciborum, conciliatio grati ſaporis, præſeruatio præ putredine; quapropter ſymbolum eſt animæ piæ, deuotæ, vitiis neque inquinatæ, nec obrutæ. *Omne munus ſacrificii tui cibarii ſale condias, ne unquam deſit ſal fœderis DEI tui in cibariis tuis ſacrificiis, ſed in omni munere tuo ſal adhibebis. (Quicquid obtuleris ſacrificii, ſale condies, nec auferes ſal fœderis DEI tui de ſacrificio tuo. In omni oblatione offeres ſal,)* Leuit. II. 13. Dum ſal adſumimus in cibo potuue, viui quaſi inſalimur, pars impenditur digeſtioni ciborum in ventriculo, pars appetitui, pars nutritioni, & quod ſuperfluum eſt, excernitur per urinam.

Quid ſal ſit bonæ notæ, acre, ſapidum, facile eſt & judicatu, & dictu, ex cuborum, è quibus conſtat, angulis acutis, in Cryſtalliſatione conſpicuis. Sed explicatu non ita facile, quid ſit ἅλας μωρὸν, *ſal fatuum*, imo verò σιδηρόξυλον videtur ἅλας ἄναλον. Μωρὸν veteribus Græis eſt inſipidum. *Hippocr.* L. II. *de Diæt.* c. 27. ὁκόσα ὑγρὴν φύσιν ἔχει, καὶ ψυχρὴν, καὶ μωρὴν, *quæ naturæ ſunt frigidæ, humidæ & inſipidæ.* Sal ſi ſapore ſuo natiuo exui non poſſet, poſſent verba CHRISTI allegoricè ita explicari; ſi poſſibile foret, ut ſal ſalſedinem ſuam deponeret, quid, quæſo, eſſet, quo condiremus? Sed exui poteſt reuera ſal ſalſedine ſua, ſolutione nempe, euaporatione liquidi, ſalis reſidui calcinatione, & his operationibus aliquoties iteratis, ſic tandem prodit terra inſipida. Propriá id experientia confirmat *Blaſius Vigenerius de Igne & Sale* c. 68. qui cauſam inſipiditatis hujus dare nequit. *Quorſum igitur ſalſedo ſalis mei deuenit? certè de hac re quid dicam, neſcio, rem autem ita ſe habere ipſa veritas eſt. Hunc nodum ſi quis mihi ſolueret, gratum faceret. Wedelio Dec.* V. *Exerc.* IV. *de ſale inſulſo* ætiologia eſt facilis. En ipſius verba! *Id non difficile eſſe deprehenditur, ſi nouerimus, ſal eſſe fœtum terræ, ut ſulphur aquæ, Mercurio utrisque communi, ex ſecretiori Chymia. Eſt materia ſecunda ex prima nata, eſt terræ quædam* δύναμις, ἐνέργεια *ac virtus terra ſale exuta, damnata audit Chymicis & relollacea, inutilis. Ignis verò elementa ſalis deſtruit, particulas acuminatas, rigidas, acres, ſolubiles, ſapidas inuertit, aqueas proportionatas abigit, acidas ab alcalibus urinoſis, ſeu ammoniacalibus, paucis licet, ſeparat, ſulphureas exiguas deſtruit, ſingulas è loculis ſuis deturbat, quo ſæpius repetito neceſſe eſt tandem nil ſupereſſe quàm matricem primam, terram inertem.* Eidem ſato obnoxia ſunt alia quoque ſalia, tum alcalica, tum acida. Quis neſcit infatuari acetum acerrimum? Ipſum Sal Tartari proceſſu ante memorato, repetitis nempe calcinationibus & ſolutionibus abit in terram inſipidam. Nota eſt confectio panaceæ mineralis ex nitro. Deſtilla ſal commune cum tribus partibus Boli ſeu terræ inſipidæ, obtinebis ſpiritum ſalis acidum, remanente ἅλι ἀνάλῳ. Ipſum hoc ſal, ſi commiſceatur rebus inſipidis, pro rata portione perdit de ſua acrimonia. Eſt &, quod in ſalinarum cortinis præcipitatur ad fundum, vel & ſtalactitæ ad inſtar ſtramini ſuſpenſo accreſcit, inſipidum prorſus, μωρὸν, ἄναλον, *caput mortuum, terra damnata*, ut Chymici loqui amant. Et reuera hujusmodi ſal εἰς ἐδὲν ἰσχύει ἔτι, ἔτε εἰς γῆν, ἔτε εἰς κοπρίαν εὔθετον, εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω, καὶ καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, quum è contra omnia alia putreſcentia conducunt ſtercorationi. Nutriri nouimus plantas limoſo quodam vel viſcido ſucco, quo ſal hoc ἄναλον eſt orbum. Imo eſt ipſum ſal ſapidum vegetabilibus inimicum. Experimento rem comprobabis, ſi arboribus aquam ſalſam affuderis vel urinam. Et cum grano ſalis accipienda ſunt verba illa *Borelli Cent.* II. *Obſ.* 21. *Sal eſſe adipem terræ, quo fertilis quotidie redditur, cum à pluuiis & aliis aquis ad loca decliuiora ſal diſſolutum defertur, unde fit aquam & terram foſſarum terras fertiliores reddere, & montes ſteriles remanere, fertiles è contra planities. Hincque fit, terram, à qua ſal eductum fuit, ſterilem per triennium omnino remanere; donec ab aëre vi terræ magnetica ſal denuò attrahatur. Ideò dixit optimè Doctor Doctorum, ſal rem optimam eſſe, & Apoſtolos ideo ſali ſimiles eſſe aſſeuerauit.* De cineribus, qui ſtercorandis agris conducunt, obſeruandum, ineſſe illis ipſis ſuccum illum viſcoſum nutritium, qui à particulis ſalinis reſolutus aptior tantò redditur nutritioni. Huic fundamento innititur vis ſtercoris ipſius, & ſtercorarii fluidi nutritia. Hinc videmus fœcundari agros, in quibus vel frumentorum manipuli, vel frutices varii in cumulos congeſti comburuntur. Haud ignorauit hanc regulam *Virgilius Georg.* L. I.

Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atque leuem ſtipulam crepitantibus urere flammis.

Licet verò non ſalinæ, ſed viſcoſæ limoſæ particulæ vegetabilibus dent nutrimentum, negari tamen nequit omnibus plantis ineſſe ſal, quod per incinerationem elicimus.

Annotari tandem meretur, ſumi in Sacris vocem מְלֵחָה *melechah*, quæ propriè terram ſalſam denotat, pro ſolo ſterili, Pſal. CVII. 34. *Terram frugiferam vertit in ſterile ſolum in ſalſuginem)* לִמְלֵחָה. Hinc & Abimelechus deſtructam à ſe urbem Sichem ſale conſpergi juſſit in æternæ deſolationis ſignum. Jud. IX. 45.

Matth. Cap. V. verſ. 36.

Neque per caput tuum jurabis, quia non potes unum pilum album aut nigrum facere.

Neque per caput tuum juraueris: quia non potes unum capillum, album facere, aut nigrum.

Μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ σε ὀμόσῃς, ὅτι ἐ δύνασαι μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι.

QUi *pilum* attentis & armatis microſcopio oculis conſiderat, cylindrum videt læuem, diaphanum, per cujus axin ad extremum usque decurrit vaſculum, quod ſuccum nutritium continet; hic autem ſuccus pro vario hominis temperamento varium pilis conciliat colorem. Sed eſt hic ſuccus, licet ſubtilis, ac tenuis, aqueæ indolis, qui etiam poſt vitam per pilos fluere haud deſinit, legibus proin circulationis haud ſubjectus, ut videatur, quod ſuperfluum eſt, auolare per pilorum extremitates. Non ſunt tamen hi, de quibus nunc, pili, excrementitium quid, & corpori inutile, ſed multiuarii uſus. Inſeruiunt capilli operiendo & fouendo capiti; reliqui pili veſtiendo animalium corpori: palpebrarum pili defenſioni oculorum à puluiſculis. Pili in genere omnes abducendis extra corpus ſuperfluis humoribus, qui uſus promouetur tonſurâ, in Cephalalgiis, & oculorum variis affectibus tum prophylacticus, tum curatiuus. Sunt tandem pili ornamento

Turpe pecus mutulum, turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Ex his omnibus prono alueo fluit, pilos non procreſcere caſu ex corpore, ſed artificiosâ gaudere ſtructurâ, ad certum finem à Creatore ordinatâ. Id quod præprimis inculcare videtur Saluator noſter, quando inquit, ἐ δύνασαι μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι. Color quippe ipſe dependet à ſtructura, à qualitate ſucci nutritii, à temperamentorum diuerſitate, quæ omnia iterum pendent à DEO. Literalis ſtrictus ſenſus, ſi ei inhærere vellemus, ſubſiſtere nequit, quoniam arte tingi poſſunt pili coloribus varia. Extat in *Dioſcoridis Euporiſtis* L. I. c. 98. 99. Titulus, πρὸς τὸ ποιῆσαι ξανθὰς καὶ μελαίνας τρίχας. Sed optimè monet Exc. D. *Joh. Jac. Bajer Specim. I. Animaduerſ. in Loca Noui Fœd.* p. 17. non eſſe tincturam hujusmodi radicalem, ſed *omne illud artificium fucatum & inconſtans, ſaltem in homine, aut animali viuo: non eſſe hoc* τὸ ποιῆσαι, *ſed illinere pigmento fugaci, nil mutata natiui coloris indole in originibus pilorum. Imo nec temporario quocunque artificio poſſe capillos coloris alieni dealbari. Canos quidem poſſe reddi humanâ curâ capillos etiam ante ſenectutem, ut tales fiunt ærumnoſam vitam agentibus; ſed aliud eſſe* τὸ λευκὸν, *aliud* τὸ πολιὸν. Canos *poſſe effici ſola pinguedine Taxi*, Canos *Microſcopio examinatos apparere inanes & medulla vacuos, pellucidos inſtar glaciei, ad cujus ſimilitudinem canities Germanis appoſitè dicatur* Eiſs-grau. *Sed coloratos quosuis etiam* albos *naturâ capillos medulla farctos conſpici. Horum aliquid ut aliter naſcatur, ad arbitrium ſuum efficere hominem neutiquam poſſe. Eſſe canos capillos phyſicè conſideratos exarentes, & caſui proximos, qualium artificioſa effectio non magis commendet artificem, quàm eum, qui arbores aut herbas velociſſimè ad marcorem & interitum perducere ſe poſſe gloriaretur.*

Matth. Cap. V. verſ. 45.

Ut ſitis filii patris veſtri, qui eſt in cœlis; quia Solem ſuum exoriri finit ſuper malos ac bonos, & pluuiam mittit ſuper juſtos & injuſtos.

Ut ſitis filii patris veſtri, qui in cœlis eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos.

Ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν τοῦ ἐν οὐρανοῖς, ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθοὺς καὶ βρέχει ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους.

QUamuis motus diurnus terræ competat, non Soli, níl tamen decedit effato Saluatoris. Τὸν ἥλιον αὐτοῦ, mare illud immenſæ molis igneum, quod DEUS in centro vorticis planetarii poſuit, ἀνατέλλει, exoriri, lucere, facit ἐπὶ πονηροὺς καὶ ἀγαθοὺς. Aut *cui lux illius non oritur? (Super quem non ſurget lumen illius?)* Job. XXV. 3. Non eſt terræ punctum, quod

MATTH. Cap. VI. v. 11.
Panis quotidianus.

Matth. Cap. VI. v. 11.
Das tägliche Brod.

P. G. Harder sculps.

quod non colluſtretur & foueatur à Sole, ſic & irrigetur. βρέχει γὰρ ὁ ΘΕΟΣ ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους, ὅτι αὐτὸς χρηστός ἐστιν ἐπὶ τοὺς ἀχαρίστους καὶ πονηρούς. Luc. VI. 35.

TAB. DCLXVII.

Matth. Cap. VI. verſ. 11.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Panem noſtrum ſuperſtantialem da nobis hodie.

Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον.

Vid. Luc. Cap. XI. verſ. 3.

NOmine ἄρτος, *panis*, veniunt heic, ut alibi, omnes cibi, qui in nutrimentum veniunt, in ſubſtantiam corporis transmutari apti. Audi votum Jacobi Gen. XXVIII. 20. *Quandoquidem DEUS mihi adfuit, & cuſtodiet me in via iſta, qua proficiſcor, & dabit mihi panem ad comedendum, & veſtimentum ad induendum.* Eliſæi adlocutionem ad Regem Iſraelis 2. Reg. VI. 22. *Appone eis*, Syris, qui faſcinatis oculis intrauerant Samariam, *panem & aquam, ut comedant & bibant.* Non ſolum autem exhibitum panem, ſed *ſplendidum* iis *apparatum* fuiſſe *conuiuium* conſtat ex v. 23. *Lætus ede panem tuum*, Eccleſ. IX. 7. Eſt hæc communis aliis gentibus locutio. Nos Germani, *der oder dieſer trachtet, ſein Stuck Brod mit Ehren zu gewinnen: Das bringt kein Brod ins Haus: Fremd Brod düncket uns allezeit beſſer, als das unſerige: Das Brod vor dem Maul abſchneiden: Es iſt in andern Orten auch gut Brod eſſen: Deß Brod ich iß, deß Lied ich ſing: Einem ab dem Brod helffen.* Anſam generali huic denominationi dedit panis ipſe, familiaris omnibus gentibus cibus, nemini non gratus, optimi nutrimenti, antidotus famis genuina, pabulum vitæ, virium, ſanguinis, ſpirituum, roboris. Quam panis prærogatiuam & ratio comprobat, analyſin inſtituens, & experientia. Legatur fuſius *Wedelius Dec.* IV. *Exerc.* III. *de Pane quotidiano.*

Nemo eſt, qui ignoret Panis Europæi confectionem & uſum, ſed non omnibus notus Americanarum Gentium panis, quem parant ex planta ſucci venenati. Deſcribit eam pleniſſimè omnium Ill. *Hans Sloane Nat. Hiſt. of Jamaica Vol.* I. p. 130. II. p. 363. Nomina illius hæc ſunt: *Ricinus minor viticis obtuſo folio, caule verrucoſo, flore pentapetalo, albido, ex cujus radice tuberoſa, ſucco venenato turgida, Americani panem conficiunt. Sloane Jucca Muſ. Swammerd.* p. 12. *Manihok ſiue Ogilby. Afr.* p. 556. *Mandihoca de Eſquemeling.* p. 55. *Manyoc Rochef. Tab.* p. 52. *Worm. Muſ.* p. 160. *Caſſaui vel Yuca. Contant.* p. 2. *Magnoc de Biet* p. 336. *Giucca Muſ. Moſcand.* p. 260. *Ricinus farinifera heptaphyllos, ex cujus radice venenata placentas & panem conficiunt Americani. Pluk. Mant.* p. 161. *Ricinus Americanus pentaphyllos, radiis foliorum integris, ſubtus glaucis, Caſſaua Barbadenſibus dictus, Bobart Hiſt. Oxon.* P. III. p. 348. *Manihot Theueti, Jucca & Caſſaui* I. B. *Caſſado Hubert.* p. 39. *Cazaui ex Herba Yucca. Tradeſcant.* p. 27. Plantam hanc ſiſtit præſens Tabula.

Matth. Cap. VI. verſ. 19.

Ne recondatis vobis theſauros in terra, ubi ærugo & tinea corrumpit, & ubi fures perfodiunt & furantur.

Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur.

Μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυροὺς ἐπὶ τῆς γῆς, ὅπου σὴς καὶ βρῶσις ἀφανίζει, καὶ ὅπου κλέπται διορύσσουσι καὶ κλέπτουσι.

Vid. Luc. Cap. XII. verſ. 33.

VIdentur bina hæc vocabula, σὴς καὶ βρῶσις, denotare duplicis generis *tineas*. Conſtat id ex Jeſ. L. 9. ubi עָשׁ *aſch* à LXX. & Theodotione vertitur σὴς, ab Aquila βρῶσις, & Baruch VI. 11. de Diis Gentilium, ἕτοι δὲ ὑ διασώζονται ἀπὸ τοῦ ἰοῦ καὶ βρωμάτων, ubi iterum βρῶμα vel βρῶσις eſt tineæ ſpe-

ſpecies. Græcum σὴς manifeſtè deſcendit ab Hebræo סָס *ſas*, quod occurrit Jeſ. LI. 8. *veluti veſtimentum, ſic eos corrodet tinea.* Manſit affinis vox in Oriente. Arabibus eſt *uſſet*, Plur. *uſſ* & *uſes*, diminut. *uſeiſet*, tinea lanam erodens, item blatta libros rodens. *Meninzk. Lex.* 3215. Notum, infeſtas eſſe tineas veſtibus, ſpeciatim laneis. *Ariſt. Hiſt.* L. V. c. 32. ἐν ἐρίοις, καὶ ὅσα ἐξ ἐρίων ἐσὶν, ὅιον οἱ σῆτες, οἱ ἐμφύονται μᾶλλον, ὅταν κονιορτὸὴ ἢ τὰ ἔρια. *Menander* probè diſtinguit rubiginem à tinea.

Καὶ πάντα τὰ λυμαινόμεν' ἔνεσιν ἔνδοθεν,
Ὅιον ὁ μὲν ἰὸς τὸν σίδηρον, ἂν σκοπῇς,
Τὸ δ' ἱμάτιον οἱ σῆτες, ἡ δὲ θρίψ ξύλον.

Et quæcunque corrumpunt, intus ſunt,
Ut rubigo ferrum, ſi aduertas,
Et veſtem tineæ, & teredo lignum.

Idem teſtatur Jobus XIII. 28. *Ipſe velut putrida res vetuſtate conficiendus ſum, & ſicut veſtis, quæ comeditur à tinea. (Qui quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum, quod comeditur à tinea.)* Sir. XLII. 13. *Tinea naſcitur è veſtimentis.* Si cui fortè dubium obuerſetur, quí CHRISTUS loqui potuerit *de theſauris, quos tinea corrumpit*, quum hæ veſtes erodant, non lapides & metalla, is ſciat, veteribus veſtimenta etiam veniſſe ſub generali theſaurorum nomine. Eſdr. II. 69. dabant *ex præcipuis patribus* nonnulli *ad theſaurum operis aurearum drachmarum unam & ſexaginta millia, & argenti minas quinquies mille, & veſtes ſacerdotales centum. (Secundum vires ſuas dederunt impenſas operis, auri ſolidos quadraginta millia & mille, argenti minas quinque millia, & veſtes ſacerdotales centum.)* Neh. VII. 70. *dedit Hathirſatha in theſaurum auri ſolidos mille, pelues quinquaginta, tunicas ſacerdotales quingentas & triginta.* Job. XXVII. 16. *Si coaceruet impius argentum ut puluerem, & paret veſtem ut argillam.* Sic legitur apud *Plutarchum* inueniſſe *Alexander*, occupatâ Suſâ, in Theſauris Regiis πορφύρας ἑρμιονικῆς τάλαντα πεντακισχίλια, συγκειμένης ἐξ ἐτῶν δέκα δεόντων διακοσίων. Purpuræ Hermionicæ 5000. Talenta, aſſeruata ibi per 190. annos. Et quis neſcit, inter Chriſtianos paſſim ſacra celebrare Sacerdotes,

— *diuites pictai veſtis & auri,*

ut *Meſſapus* ille apud *Virgilium Æneid.* L. IX? Quis, plenas eſſe in priuatorum ædibus ciſtas veſtibus, quæ ſolis tandem tineis in cibum veniunt?

Matth. Cap. VI. verſ. 22. 23. Luc. Cap. XI. verſ. 34.

Lucerna corporis eſt oculus. Si igitur oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Quodſi oculus tuus *(a)* malus fuerit, totum corpus tuum tenebricoſum erit. —

Lucerna corporis tui, eſt oculus tuus. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. —

(a) Vel, vitioſus.

22. Ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐσιν ὁ ὀφθαλμός· ἐὰν οὖν ὁ ὀφθαλμός σε ἁπλοῦς ᾖ, ὅλον τὸ σῶμά σε φωτεινὸν ἔσαι.

23. Ἐὰν δὲ ὁ ὀφθαλμός σε πονηρὸς ᾖ, ὅλον τὸ σῶμά σε σκοτεινὸν ἔσαι. —

COmmentarii loco mea faciam verba Ill. D. *Joh. Jac. Bajeri Animaduerſ. in quædam Loca Noui Fœd. Specim.* I. p. 19. Ita autem ille: Quàm rectè ſuſtineat *oculus* Elogium *lucernæ corporis*, ipſi adeò cœci intelligunt, quando illius beneficio carentes, Sole quantumuis meridiano ſplendente, in profundis verſari tenebris ſibi videntur: uti contra illius lucernæ, extrinſecus accepto lumine ſufficienter inſtructæ, uſu gaudentes, *totum corpus illuminatum* quaſi promptè circumferunt. His tanquam *oculatæ* ſunt *manus*, rectè verſantes circa quælibet objecta, quæ viſu dignoſcuntur: *pedes* itidem *oculati*, ac veluti proſpicientes, quonam tutò inſiſtere aut progredi debeant. Neque ulla unquam lucerna velocius irradiare poterit obſcurum aliquem locum, quam oculus humanum corpus, quatenus idem lumine indiget.

Externo etiam aſpectu produnt oculi frequenter valetudinem totius corporis, ſecundum illud *Hippocratis* effatum: *oculi ut valent, ita & corpus. Epidem.* VI. 48. quem locum interpretans *Galenus* τὸ γνῖον ſignificare docet τὸ σῶμα ὅλον, *totum corpus:* pulchra ſic emergente analogia hujus dictionis cum Phraſi Biblica. Oſtendit etiam idem *Galenus*, quod *colorum mutatio celerius in oculis quàm in aliis partibus appareat, ob eorum munditiam nitoremque naturalem.*

Ceterum, quis, tam phyſica quàm morali ſignificatione, ſit *oculus ſimplex*, aut *malus*, vix melius puto me explicare poſſe, quàm verbis à *Job. de Mey Phyſiol. Sacr. Append.* p. 230. mutuatis.

tuatis. *Dicitur oculus ſimplex, qui ſanus eſt, & externis humoribus, qui viſum perturbant, non miſcetur, ideoque purus eſt & clarus. Q. d. ſi oculus eſt naturaliter & rectè conſtitutus, totum corpus tuum lucidum erit, & quaſi oculatum: quia prævia oculi ſui luce & directione omnes actiones ſuas rectè obibit. Si autem oculus tuus malè affectus fuerit, & vitioſo humore imbutus, adeoque impurus, totum corpus tuum tenebroſum erit: quia carebit luce & duce, illuſtratione ſcilicet & directione viſus. Si ergo lumen oculare, quod in te eſt, id eſt, eſſe debebat, jam offuſcatum, non lumen, ſed tenebræ & cæcitas ſit, ipſæ tenebræ quantæ erunt; id eſt, ipſum reliquum corpus, natura ſua tenebroſum, ac, ut ita dicam, cœcum, cum nullum niſi ex oculis lumen habeat, jam oculis ſuis & luminibus quaſi ducibus deſtitutum & priuatum, quam tenebroſum erit, quamque in tenebris errabit? Parabolicè autem CHRISTUS per oculum intelligit mentem & ſenſum internum. Quod enim oculus eſt corpori, hoc intellectus eſt animæ. Errores quippe & vitia animæ in operando naſcuntur ex errore & vitio intellectus practici; quod tamen vitium ſæpe oritur ex inclinatione praua, conſuetudine, & affectuum inordinato motu.* Mihi liceat hoc unum addere, quod *Franc. Valleſius Sacr. Philoſoph.* c. 84. animaduertendum eſſe monet, in Sacris Literis τὸ ἁπλοῦν, *ſimplex*, in relatione ad hominem, idem eſſe ac *bonum* & *lucidum*, τὸ πονηρὸν verò *nequam* ac *tenebroſum*. Hæc omnia laudatiſſimus *Bajerus*.

Matth. Cap. VI. verſ. 26.

Intuemini volucres cœli, quia non ſerunt, neque metunt, neque conuehunt in horrea, & pater veſter cœleſtis alit illas. Nonne vos longè præcellitis illis?

Reſpicite volatilia cœli, quæ non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater veſter cœleſtis paſcit illa: nonne vos magis pluris eſtis illis?

Ἐμβλέψατε εἰς τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, ὅτι οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν, οὐδὲ συνάγουσιν εἰς ἀποθήκας, καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐπουράνιος τρέφει αὐτά. Οὐχ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν;

Luc. Cap. XII. verſ. 24.

Conſiderate coruos, quia non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt (a) penarium, neque (b) horreum, & DEUS paſcit illos. Quantò magis vos præſtatis volucribus?

(a) Vel, cella.
(b) Vel potius, repoſitorium.

Conſiderate coruos, quia non ſeminant, neque metunt, quibus non eſt cellarium, neque horreum, & DEUS paſcit illos. Quantò magis vos pluris eſtis illis?

Κατανοήσατε τοὺς κόρακας, ὅτι οὐ σπείρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν· οἷς οὐκ ἔστι ταμεῖον, οὐδὲ ἀποθήκη, καὶ ὁ ΘΕΟΣ τρέφει αὐτούς· πόσῳ μᾶλλον ὑμεῖς διαφέρετε τῶν πετεινῶν;

Vid. Job. Cap. XXXVIII. verſ. 41.

Matth. Cap. VI. verſ. 27.

Quis autem ex vobis ſollicitè cogitando poteſt addere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?

Luc. Cap. XII. verſ. 25.

Quis autem veſtrûm cogitans, poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?

Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν μεριμνῶν δύναται προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ πῆχυν ἕνα;

COnſiderandam heîc damus ſimulque admirandam præciſam hominum, & ſic quoque animalium cuicunque generi propriam magnitudinem, adæquatam ſimul & actionibus quorumlibet à DEO optimo Creatore commenſuratam magnitudinem, cui non poſſumus *addere cubitum unum*, μεριμνῶντες licet, omnes intellectus voluntatisque vires in-

tendentes. Qua ipſa occaſione pateſcunt anguſti, quibus anima noſtra coërcetur, limites, arcti adeò, ut illa nil quicquam vel poſſit vel ſciat earum rerum, quæ ad corporis neceſſitatem, nutritionem, augmentum, ſecretiones ſpectant. Demonſtrare vult hoc ipſo argumento optimus Saluator impotentiam noſtram, dependentiam à DEO, nosque docere, ut omnes noſtras curas confidamus ipſi, & prouidentiſſimæ ejus bonitati nos committamus totos. Rem ipſam confirmat experientia, nutrimur, creſcimus, ne cogitantes quidem de nutritione vel accremento; accidit idem animantibus, cognitionis omnis expertibus. Et quàm ſæpe, quàm fruſtra, impendimus omnes voluntatis vires ad curandum morbum, ipſa noſtrâ voluntate fortiorem? Reſeruauit nempe ſibi DEUS & directionem, & executionem, ſolâ eum glorificandi gloriâ nobis relictâ. Cauillatur, ſed in vanum, *Lucretius* L. I. v. 200.

Denique cur homines tantos natura parare
Non potuit, pedibus qui Pontum per vada poſſunt
Tranſire, & magnos manibus diuellere montes.

Eam accepit præcisè magnitudinem homo, quæ ipſi conuenit. Pygmæi ſtatura ut expoſuiſſet Dominum hunc aliarum creaturarum contemptui, & in prædam dediſſet non ſolùm majoribus brutis carniuoris, ſed etiam minoris molis rapacibus, ineptum reddidiſſet ferendis oneribus grauibus, aliisque hujus generis actionibus, ita è contra gigantea multis modis fuiſſet incommoda, & ad Tyrannidem exercendam diſpoſuiſſet. Quis ei ſubminiſtraſſet alimentum ſuffenum? Qualibusnam brutis inequitaſſet? certè non equis, niſi & hi fuiſſent pro ratione majores, quàm nunc ſunt.

TAB. DCLXVIII.

Matth. Cap. VI. verſ. 28. 29. 30.

28. Ac de indumento quid ſolliciti eſtis? Conſiderate *(a)* Lilia agri, quomodo creſcant; non laborant, neque nent.

(a) Vel flores.

29. Attamen dico vobis, ne Solomonem quidem in uniuerſa gloria ſua ſic amictum fuiſſe, ut unum ex his.

30. Quodſi gramen agri, quod hodie cum ſit, cras in clibanum mittitur, DEUS ſic veſtit, annon multò magis vos, ô parum fidentes?

28. Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis? Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent.

29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis.

30. Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, DEUS ſic veſtit: quantò magis vos modicæ fidei?

28. Καὶ περὶ ἐνδύματος τί μεριμνᾶτε; καταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ πῶς αὐξάνει· οὐ κοπιᾷ οὐδὲ νήθει.

29. Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι οὐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ περιεβάλετο ὡς ἓν τούτων.

30. Εἰ δὲ τὸν χόρτον τοῦ ἀγροῦ, σήμερον ὄντα, καὶ αὔριον εἰς κλίβανον βαλλόμενον, ὁ ΘΕΟΣ οὕτως ἀμφιέννυσιν, οὐ πολλῷ μᾶλλον ὑμᾶς, ὀλιγόπιστοι;

Luc. Cap. XII. verſ. 27. 28.

27. Conſiderate *(b)* Lilia, quomodo creſcant: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Solomon in omni *(c)* gloria ſua veſtiebatur ſicut unum iſtorum.

(b) Id eſt, flores. Species pro genere, juxta Hebraiſmum.
(c) Vel, magnificentia.

27. Conſiderate Lilia, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria ſua veſtiebatur ſicut unum ex iſtis.

28. Si

MATTH. Cap. VI. V. 29.
Lilia agri.

Matth. Cap. VI. v. 29.
Die Lilien des Feldes.

G. D. Heümann sculps.

28. Si autem (d) gramen, quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, DEUS ſic veſtit, quanto magis vos, ô parum fidentes?

28. Si autem fœnum, quod eſt hodie in agro, & cras in clibanum mittitur, DEUS ſic veſtit; quanto magis vos, puſillæ fidei?

(d) Siue, herbam.

27. Καταναοήσατε τὰ κρίνα, πῶς αὐξάνει, ἐ κοπιᾷ, ἐ δὲ νήθει. Λέγω δὲ ὑμῖν, ἐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτῦ περιεβάλετο ὡς ἓν τάτων.

28. Εἰ δὲ τὸν χόρτον ἐν τῷ ἀγρῷ σήμερον ὄντα, καὶ αὔριον εἰς κλίβανον βαλλόμενον, ὁ ΘΕΟΣ ὕτως ἀμφιέννυσι, πόσῳ μᾶλλον ὑμᾶς, ὀλιγόπιστοι;

IN Nummis antiquis Dea *Spes*, SPES PUBLICA, manu geſtat Lilium, docente *Spanhem. de Præſt. Numiſm. Diſſ.* II. p. 118. Et heic optimus Saluator *Lilium* ſpectandum exhibet tanquam ſymbolum ſpei & fiduciæ in DEUM, plantam ex pulcherrimis, cujus quidem flores ſunt fugaces, ſed fœcunda multiplicatio per radices. Paulò ante Doctores audiuimus *aues*, quæ dulci modulamine nos excitant; heic Cathedram conſcendunt muti Doctores, & immoti, τὰ κρίνα τῦ ἀγρῦ, Lilia non hortenſia, ſed ſponte in agris creſcentia, ἄγρια, ſylueſtria, imo plantæ qualescunque, ὁ χόρτος τῦ ἀγρῦ. Lucem Textui fœnerantur *feræ* agri, Dan. II. 38. *omne animal agrorum*, ut Gloſſæ noſtræ marginales habent ex originali Pſal. CIV. 11. *Flos in agro*, Pſal. CIII. 15. quæ omnia contradiſtinguuntur plantis hortenſibus, & animalibus domeſticis. Confirmat interpretationem circumſtantia loci. Concionem dixit CHRISTUS in monte, loco inculto, ubi transuolantes fortè aues, & proximæ quætuis plantæ materiam præbent Textui & applicationi; & exemplo hoc ſuo monet quoscunque Verbi ſui diuini præcones, ut non negligant occaſionem ullam in hortis, agris, vineis, ſyluis, montibus, pratis, ſementi, meſſe, vindemia, ea docendi, quæ ſaluti hominum conducunt. Dabit herbula, frutex, animalia obuia materiam Textui. Sunt hujusmodi Conciones ad hominem. Videtur ſanè Doctor ipſe Doctorum ſummus vel Lilium fortè obuium digito monſtraſſe, vel florem ipſum decerpſiſſe. Λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐδὲ Σολομὼν ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτῦ περιεβάλετο ΩΣ ΕΝ ΤΟΥΤΩΝ. Ita qui tractat myſteria ſacra ubique locorum docere poteſt & diſcere, τὸ καταμάθετε, perpendite probè, ruminate ſedulò, ad ipſum non minus pertinet, quàm ad Auditorium. Docendo ipſe diſcet. Difficile eſt, & forſitan non ita neceſſarium, dicere, qualisnam hæc fuerit vel Lilii, vel Iridis ſpecies, quam pro materia Textus ſumſit CHRISTUS. Haud refragabor, ſi quis ſelegerit *Lilium* ex *Byzantinis*, ſpeciatim *Lilium Byzantinum miniatum* C. B. *Lilium flore miniato nutante, quod Hemerocallis eſt Chalcedonica aliquibus.* I. B. quod fortè eſt *Crinanthemum Hippocratis de Nat. Mulier. Sect.* II. T. 14. vel *Lilium Orientale latifolium flore luteo maximo odoratiſſimo* ex *Tournef. Coroll.* p. 25. Florem illum reflexum, vel aliuscunque Lilii, imò florem quemuis alius plantæ, qui attentè conſiderat vel nudis oculis, vel armatis, fatebitur ſponte, *ne Solomonem quidem in uniuerſa gloria ſua ſic amictum fuiſſe ut unus ex his:* fatebitur, veſtes omnes holoſerica arte laboratas, Tyrio ſubtegmine fulgentes, & in genere arte facta omnia, aſpera eſſe & incondita, ſi conferantur cum operibus DEI, nihil, collata cum unico Lilii petalo. Non hoc indiget ullo, quo ſeſe commendet, fuco, non ornatu mutuatitio ex auro, ſerico, purpura, margaritis, gemmis: Martagi auricolor radix, longa virentia folia, pulcherrimi reflexi flores palmam præripiunt regiis quibuscunque diadematibus & coronis. *Nullus hic affectatus ſplendor, omnia natiuo nitore fulgent, & ſeſe commendant ſatis ſuperque. Non ſine cauſa hinc relinquit poſt ſe multis paraſangis hic fulgor Majeſtatem Solomonis, Regum maximi & incomparabilis. Ille coronam gratia parentis, ſi à DEO diſceſſerimus, acquiſitam impetrauerat: Lilium etiam ſi ſylueſtre connatam. Ibi ars variorum hominum ad apparatum concurrit, mutuatitio atque palliatiuo ornatu, aliunde diuerſimodè petito, quod parœmia Cornicis Æſopicæ alienis plumis ornatæ notum eſt. Hic aurum croceis antheris, hic argentum ſplendore lunari coruſcat, hic punctata pictura, ineffabili ſingula pompa refulgent nitentque, nullo artis auxilio indiga. Quin ipſi hi flores ornatui inſeruiunt non ſolùm inter corollas & ſerta, ſed & aliena illa & fucata ſua acceſſione, vel depicta, vel expreſſa fulgidiora reddenda. Wedel. Exerc. de Lilio Agri* p. m. 62. Pondus addit juſtæ Saluatoris reprehenſioni, ſi conſideremus, quot opus habeat miſellus homo netricibus, lotricibus, artificibus utriusque ſexus ad ornandum caducum corpus, τὸ κρίνον è contra ἐ κοπιᾷ, ἐδὲ νήθει, natiuo ſuo ſplendore fulget, non opus habens niſi nutrimento communi, Sole & aëre. His germinant, creſcunt, florent, fructificant, expoſita nuda injuriis tempeſtatum, ventorum, pluuiæ, ariditati, beſtiis agri.

Placet pro confirmatione dictorum, ſeligere *Lilium*, vel *Narciſſo-Lirion Sarnienſe*, de quo integrum ſcripſit Tractatum *Jacobus Douglas*, Lond. 1725. cujus elegantiſſimæ plantæ ſynonyma ſunt: *Lilio-Narciſſus Japonicus rutilo flore. Moriſon. Narciſſus Japonicus rutilo flore. Cornut. Narciſſus Indicus rutilo flore ſcintillis au-*

reis aſperſo. Jonquet. Guernſay-Lilly Angl. Seki San, Sibito Banna, Doku Symira Japon. Siſtit eam Fig. I. florem expanſum cum ſuis petalis Fig. II. In Fig. III. eſt 1. ſtylus. 2. Stamina cum ſuis apicibus. 3. Umbilicus floris. 4. Vaſculum ſeminale. 5. Pedunculus. 6. Duo Petala. In Fig. IV. conſpicua ſunt vaſculi ſeminalis tria loculamenta. Notandum ὡς ἐν παρέδῳ, quod ſimul tamen Textus explicationi inſeruit, eſſe *flores* viſcera quaſi, in quibus alimentum multiplici circulatione ad primam oui amplificationem euadat aptius, hinc cadere, ſi adoleuit ſatis fructus; *ſtamina* eſſe vaſa excretoria, per quæ ſuperfluum vel ineptum alimentum defertur ad *apices*, quorum puluiſculos multi aſpiciunt pro ſemine maſculino.

Matth. Cap. VII. verſ. 6.

Ne dederitis, quod ſanctum eſt canibus, neue objeceritis margaritas veſtras porcis; ne quando conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi lacerent vos.

Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos: ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & canes conuerſi dirumpant vos.

Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ, μηδὲ βάλητε τὰς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων· μήποτε καταπατήσωσιν αὐτὰς ἐν τοῖς ποσὶν αὐτῶν, καὶ στραφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς.

NOtum ex Lege veteri, immundis animalibus accenſeri & *canes* & *porcos*. Eſt cibus immundus, per conſequens & caro immunda. Nil adeò fœtens, imo nil horribile adeò viſui, quod non deuorent illi auidè. Socia hæc animalia occurrunt & alibi Jeſ. LXVI. 3. *Qui pecudem cædit, canem jugulat: offerens molam offert ſuillum ſanguinem. (Qui mactat pecus, quaſi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat.)* 2. Pet. II. 22. Κύων ἐπιστρέψας εἰς τὸ ἴδιον ἐξέραμα. Ὗς λουσαμένη, εἰς κύλισμα βορβόρου. Non duntaxat exulabant hæc animantia cibis & ſacrificiis, ſed fuit ipſum ἄθυρμα κυνὸς abominationi DEO. Deut. XXIII. 18. *Ne inferas mercedem meretricis aut pretium canis in domum* DOMINI DEI *tui in quocunque voto, quoniam abominatio eſt* DOMINO DEO *tuo utrunque. (Non offeres mercedem proſtibuli, nec precium canis in domo* DOMINI DEI *tui, quicquid illud eſt, quod vouerint: quia abominatio eſt utrunque apud* DOMINUM DEUM *tuum.)* Sunt myſtici *canes* atque *porci* contemptores DEI & verbi ſui impii, quibus *non objiciendæ ſunt margaritæ, non dandum ſanctum*, ſacratiſſima Euangelii Myſteria, quoniam ea *proculcant pedibus ſuis*, contemptui exponunt & ludibrio: Utitur hac ipſa loquendi formula Gentium Apoſtolus Hebr. X. 29. ubi de impiis, τὸν υἱὸν τοῦ ΘΕΟΥ καταπατήσαι. Heic valeat illud

Procul, ô procul eſte profani.

Ἑκὰς, ἑκὰς ὄχις ἀλιτρὸς.
Θύρας δ' ἐπίθεσθε βεβήλοις.

Frequens in Nouo Teſtamento mentio fit *margaritarum*. Matth. XIII. 45. 46. ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ ἐμπόρῳ, ζητοῦντι καλὰς μαργαρίτας. Ὃς εὑρὼν ἕνα πολύτιμον μαργαρίτην, ἀπελθὼν πέπρακε πάντα, ὅσα εἶχε, καὶ ἠγόρασεν αὐτόν. 1. Tim. II. 9. τὰς γυναῖκας ἐν καταστολῇ κοσμίῳ, μετὰ αἰδοῦς καὶ σωφροσύνης κοσμεῖν ἑαυτὰς, μὴ ἐν πλέγμασιν, ἢ χρυσῷ ἢ μαργαρίταις, ἢ ἱματισμῷ πολυτελεῖ. Apoc. XVII. 4. ἡ γυνὴ ἡ περιβεβλημένη πορφύρᾳ καὶ κοκκίνῳ, καὶ κεχρυσωμένη χρυσῷ καὶ λίθῳ τιμίῳ καὶ μαργαρίταις. XVIII. 12. Γόμον χρυσοῦ καὶ ἀργύρου, καὶ λίθου τιμίου, καὶ μαργαρίτου. 16. καὶ οὐαὶ ἡ πόλις ἡ μεγάλη, ἡ περιβεβλημένη βύσσινον καὶ πορφυροῦν, καὶ κόκκινον, καὶ κεχρυσωμένη ἐν χρυσῷ καὶ λίθῳ τιμίῳ καὶ μαργαρίταις. XXI. 21. καὶ οἱ δώδεκα πυλῶνες, δώδεκα μαργαρίται, ἀνὰ εἷς ἕκαστος τῶν πυλώνων ἦν ἐξ ἑνὸς μαργαρίτου. In Veteri Teſtamento è contra margaritarum nulla fit mentio, ſanè LXX. nullibi habent μαργαρίτας. Credibile tamen haud eſt, fuiſſe mercem adeò pretioſam Judæis ignotam, quam ex Arabia comparare ſibi facile poterant. Quapropter ſicuti urinatores piſcari ſolent ex fundo maris, doctiſſimus *Bochartus* margaritas quoque piſcatur ex Libris Codicis veteris ſacris, oſtendens fuſius, lapillos hoſce pretioſos intelligi debere per בְּדֹלַח *bedolach* Gen. II. 12. Num. XI. 7. פְּנִינִים *peninim* Job. XXVIII. 18. Prov. III. 15. VIII. 11. XX. 15. XXXI. 10. Thren. IV. 7. דר *dar* Eſth. I. 6. qua de re in allegatis locis plura. Sunt autem margaritæ in conchis margaritiferis obuiæ, lapilli calculis ſimiles, in renibus vel veſica hominum & brutorum generari ſolitis, quibuscum ratione ſtructuræ, pellicularum inuicem ſuperſtratarum conueniunt, apprimè inprimis cum calculis illis renalibus, plerumque piſiformibus, bouinis, aureo, æneo, imo & albo margaritarum fulgore ſplendentibus. Qui amplius informari cupit de margaritarum piſcatione, nominibus, forma, varietate, uſu, & abuſu, ei commendo *Stolterfohti Uniologiam*, editam Lubecæ, A. 1700.

Matth.

Matth. Cap. VII. verſ. 10.

Et ſi piſcem petierit, num ſerpentem porriget illi?

Aut ſi piſcem petierit, nunquid ſerpentem porriget ei?

Καὶ ἐὰν ἰχθὺν αἰτήσῃ, μὴ ὄφιν ἐπιδώσει αὐτῷ;

Vid. Luc. Cap. XI. verſ. 11.

Matth. Cap. VII. verſ. 16.

A fructibus ipſorum cognoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis uuam? aut de tribulis ficus?

A fructibus eorum cognoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis uuas, aut de tribulis ficus?

Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς. Μήτι συλλέγουσιν ἀπὸ ἀκανθῶν σταφυλὴν, ἢ ἀπὸ τριβόλων σῦκα;

Vid. Luc. Cap. VI. verſ. 44.

ESt hoc ex σημείοις imo τεκμηρίοις Prouidentiæ Diuinæ, immutabilis, ſibi conſtantiſſimæ, quod planta quæuis progeneret alias ſibi ſimiles, proles à parentum natura nunquam degenerent; quam regulam vegetabilia potius ſeruant quàm animalia, hæc præ homine: quamuis & hæc infinita varietas haud careat legibus. Dant *vites uuas*, *ficus* colliguntur ex *ficubus*, ἕκαστον δένδρον ἐκ τῆς ἰδίας καρπῆς γινώσκεται. Perrara ſunt in vegetabili regno monſtra, & irriti fuere hactenus hortulanorum conatus in mutanda formâ plantarum.

De ἀκάνθαις & τριβόλῳ legatur Gen. III. 18.

Arboris bonitatem nec flos, nec folia, nec proceritas, nec ſenium probat. Floret ſalix, ſed frugem perdit: foliis ſuperbit ficus à CHRISTO maledicta. Procera eſt tilia, ſed fructum ejus nulla auis attingit: annoſa eſt quercus, ſed glandium parca. Bona eſt arbor, quæ bonos tulerit fructus, mala, quæ malos. Hiller. Hieroph. P. I. p. 51.

Unicum hoc, monente Exc. D. *Bajero Spec.* I. *Animaduerſ. in Loca Noui Fœd.* p. 25. memoraſſe ſufficiat, heic pro *tribulo* non tam ſumendum eſſe *aquaticum*, qui frugibus terræ & agrorum fœcunditati impedimento eſſe nequit, ſed potius *terreſtrem*, qui in Syria luxuriat, teſte *Rauwolfio Hodœpor.* p. 55. *agris maximè noxius, præſertim leguminibus.*
Bellon. Obſerv. L. I. c. 18.

TAB. DCLXIX.

Matth. Cap. VIII. verſ. 2. 3.

2. Et ecce, leproſus cum acceſſiſſet, adorauit eum, dicens: DOMINE, ſi velis, potes me mundare.
3. Protenſaque manu tetigit illum JESUS, dicens: Volo, mundus fias. Ac protinus mundata fuit illius lepra.

2. Et ecce, leproſus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, ſi vis, potes me mundare.
3. Et extendens JESUS manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra ejus.

2. Καὶ ἰδὲ λεπρὸς ἐλθὼν προσεκύνει αὐτῷ, λέγων· ΚΥΡΙΕ, ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι.

3. Καὶ ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἥψατο αὐτοῦ ὁ ΙΗΣΟΥΣ λέγων· Θέλω, καθαρίσθητι. Καὶ εὐθέως ἐκαθαρίσθη αὐτοῦ ἡ λέπρα.

Marc. Cap. I. verſ. 40. 41. 42.

40. Et venit ad eum leproſus, orans eum, eique genua flectens, ac dicens illi: Si vis, potes me mundare.
41. JESUS autem intimè miſertus, protenſa manu, tetigit illum, & dicit ei: Volo, mundus eſto.
42. Quod quum dixiſſet, ſtatim (a) reliquit eum lepra, & mundatus eſt.

40. Et venit ad eum leproſus, deprecans eum: & genu flexo, dicit ei: Si vis, potes me mundare.
41. JESUS autem miſertus ejus, extendit manum ſuam: & tangens eum, ait illi: Volo, mundare.
42. Et cum dixiſſet, ſtatim diſceſſit ab eo lepra, & mundatus eſt.

(a) Verbi interpretatione, diſceſſit ab eo.

40. Καὶ ἔρχεται πρὸς αὐτὸν λεπρὸς, παρακαλῶν αὐτὸν, καὶ γονυπετῶν αὐτὸν, καὶ λέγων αὐτῷ· Ὅτι, ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι.

41. Ὁ δὲ ΙΗΣΟΥΣ σπλαγχνισθεὶς, ἐκτείνας τὴν χεῖρα, ἥψατο αὐτοῦ, καὶ λέγει αὐτῷ· θέλω, καθαρίσθητι.

42. Καὶ εἰπόντος αὐτοῦ, εὐθέως ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ ἡ λέπρα, καὶ ἐκαθαρίσθη.

Vid. Luc. Cap. V. verſ. 12. 13.

EST, quod nemini non notum, *lepra* abominabilis ſimul & plerunque inſanabilis morbus. Ex lege veteri ſeparabatur leproſus, & mittebatur extra caſtra. Et hodie ubique fere gentium ſunt leproſoria, fundata vel à Magiſtratibus, vel à priuatis hominibus beneficis. Degunt heîc fœdo morbo infecti, ſeparati à ſanis, & ſi fortè, cogente neceſſitate, ſtipem cogantur colligere, indui ſolent palliis, vel notari aliis ſignis, ne ſani inficiantur. Inſanabilitatem mali & ratio comprobat, & experientia, de qua re alibi plura. Hic morbus ſi neque temporis morâ miteſcit, neque fortiſſimis mercurialibus aliisque remediis cedit, prolucet ſponte miraculum à CHRISTO heîc patratum. Fuit lepra miſero huic non incipiens, ſed radicata, incurabilis prorſus. Fuit is, Luca teſte, πλήρης λέπρας. Cura ipſa peragitur neque edulcorantibus, diaphoreticis, mercurialibus, neque aliis remediis, ſed prolato unico verbo. ἐκτείνας τὴν χεῖρα ἥψατο αὐτοῦ ὁ ΙΗΣΟΥΣ λέγων· Θέλω, καθαρίσθητι. Καὶ εὐθέως ἐκαθαρίσθη αὐτοῦ ἡ λέπρα. Merentur heîc adduci verba *Chriſtiani am Ende Diſſ. de Medicina* CHRISTI *diuina & miraculoſa* p. 36. ubi graphicè grauitatem morbi ita deſcribit. *Lepra eſt veluti ſimulacrum mortificinæ: in hoc enim affectu adeſt humorum naturalium ſpecialis coagulatio, viſciditas & immobilitas, in craſi occurrit ſalſa acrimonia, valde fermentatiua & contagioſa impuritas, quæ per totum maſſæ ſanguineæ latifundium diſſeminata eſt; ſolidæ corporis partes*

MATTH. Cap. VIII. v. 2. 3.
Leprosus sanatus.

Matth. Cap. VIII. v. 2. 3.
Der geheilte Aussatzige.

G. D. Heümann sculps.

MATTH. Cap. VIII. v. 6. 13.
Christo Centurio supplex.

Matth. Cap. VIII. v. 6. 13.
Der Fußfällige Hauptmann.

G. D. Heümann sculps.

tes internæ & externæ cum eodem inquinamento ſunt imprægnatæ, ſanguis deprauatus in omnibus membranoſis & tuniaceis partibus ſuo affluxu ſtagnationes & ſtaſes diuerſorum humorum infert, inde oriuntur ſalſæ corruptiones, partium eroſiones, ſtimulationes, humorum extrauaſationes, ſolidarum partium intumeſcentiæ, relaxationes & connexæ infirmitates ad ordinarias functiones vitæ & ſanitati inſeruientes. Quare in leproſis totus homo deprauatus eſt, adeò ut malum ſcorbutica & venerea infectione deterius ſit, &c.

TAB. DCLXX.

Matth. Cap. VIII. verſ. 6. 13.

6. — DOMINE, (a) famulus meus decumbit domi paralyticus, ac grauiter diſcruciatur.

(a) Puer pro famulo, Græciſmus eſt.

13. Et dixit JESUS Centurioni: Abi, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt famulus ejus in hora illa.

6. — DOMINE, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.

13. Et dixit JESUS Centurioni: Vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi. Et ſanatus eſt puer in illa hora.

6. — ΚΥΡΙΕ, ὁ παῖς με βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ παραλυτικὸς, δεινῶς βασανιζόμενος.

13. Καὶ εἶπεν ὁ ΙΗΣΟΥΣ τῷ ἑκατονταάρχῳ· ὕπαγε, ᾗ ὡς ἐπίςευσας, γενηθήτω σοὶ. Καὶ ἰάθη ὁ παῖς αὐτῦ ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ.

Luc. Cap. VII. verſ. 2. 10.

2. Centurionis autem cujusdam ſeruus malè habens, erat morituruſ.

10. Et reuerſi, qui miſſi fuerant, domum, inuenerunt ſeruum, qui ægrotauerat, ſanum.

2. Centurionis autem cujusdam ſeruus malè habens, erat morituruſ.

10. Et reuerſi, qui miſſi fuerant, domum, inuenerunt ſeruum, qui languerat, ſanum.

2. Ἑκατονταάρχε δέ τινος δῦλος κακῶς ἔχων, ἤμελλε τελευτᾶν.

10. Καὶ ὑποςρέψαντες οἱ πεμφθέντες εἰς τὸν οἶκον, ἔυρον τὸν ἀσθενῦντα δῦλον ὑγιαίνοντα.

SIngularem meretur caſus hic, qui Capernaumi contigit, & attentionem & tractationem. Æger Matthæo audit παῖς, Lucæ δῦλος, nos utrobique reddimus *famulum*, *ſeruum*, *Knecht*. Meum non eſt inquirere, num hic fuerit à ſeruitiis, vel à militia, vel Centurionis filius?

Morbus ipſe dilucidatione opus habet, ex Medicinæ principiis haurienda. Lucæ dicitur in generalibus terminis κακῶς ἔχων, ſed Matthæus denominat morbum, παράλυσιν. Eſt autem πάρεσις vel παράλυσις ἀναισθησία καὶ ἀκινησία τῶν πεπονθότων τόπων, *Senſus & motus priuatio*, definiente *Tralliano* L. X. c. 2. Quæ vox, ſi generali ſumatur ſenſu, ſub ſe comprehendit non ſolùm Paralyſin ſtrictè ſic dictam, ſeu reſolutionem partis vel partium infra caput poſitarum, quo ſenſu ſumſere veteres Medici, ſed & Apoplexiam, Paraplegiam, Hemiplegiam. Omnes quippe hi morbi in eo conueniunt, quod reſoluantur, relaxentur nerui, & ſpirituum per eos influxus impediatur, & ex variis quidem cauſis, quarum enumeratione pro nunc ſupersedeo; examinaturus eam cumprimis circumſtantiam, quod fuerit δεινῶς βασανιζόμενος, *grauiter diſcruciatus*. Norunt quippe Medici, quod vel ex definitione data liquet, priuari ægros ſenſu & motu, imo, ſi ſuperſit ſenſus, ſpem adeſſe recuperandæ valetudinis. Dolor quia conſiſtit in nimia tenſione fibrarum, παράδοξον videtur, reſolui neruos, ægrumque dolere, imo acutis doloribus cruciari, quod vult vox βασανίζειν, doloribus adeò vehementibus, quales experiuntur homines à tortura. Heic ſi fuit adeò dolorifica τάσις, quam vox βασανίζειν indicat, fuit morbus ex rarioribus Contracturæ ſeu Paralyſeos ſpeciebus, imo periculo haud vacans, ut ſanè Lucas inquit, ἤμελλε τελευτᾶν. Notandum probè, in *Paralyſi*, quæ *torquens*, *ſpaſmodica*, *conuulſiua* audit, ab uno latere, ægro

gro nempe, eſſe reuerà ſenſus priuationem, ſed in oppoſito, propter ſublatum neruorum & muſculorum æquilibrium, tenſionem nimiam, ſpaſmo ſtipatam & conuulſionibus, tantò dolorificam magis, ſi laborauit maſſa ſanguinis acrimoniâ, ſeu alcalica, ſeu acida, ſeu aromatica, ſcorbutica. Confirmat hoc ratiocinium experientia, in illa ſpeciatim Paralyſi, quæ oritur ex ictu vel caſu, meningibus vellicatis à lympha acri extrauaſata, vel cranii fragmento acuto, preſſo ſimul cerebro, & impedito fluidi neruei influxu, tractis interim in conſenſum membranis certarum partium. Ita explicat hunc caſum *Wedelius Dec.* V. *Exerc.* II. *de Paralyſi torquente*, ſumens vocem βασανιζόμενος in ſtrictiſſimo ſenſu. Sed ſumi quoque poteſt in latiori, & dici, ægrum fuiſſe multa paſſum; id quod enuntiare ſolemus de Paralytico non dolente, qui jam diu decubuit, ſenſu, motu, & auxilio proprio priuatus, qui tandem ex diutino decubitu gangrænam patitur dolorificæ inflammationis ſequelam, vel, qui jam luctatur cum ultima rerum linea, morte, vel anxietatibus eſt preſſus, vel melancholicus, vel planè δαιμονιακὸς. Cui ſtrictior ille ſenſus vocis βασανίζειν præ poſteriori & generaliori arridet, ei auxilio veniunt caſus recenſiti ab *Hippocrate* L. IV. *Epidem. Sect.* 4. *Auicenna* III. *Fen.* 2. *Foreſto* L. X. *Obſ.* 95. 121. *Aureliano* L. II. *Chron.* c. 1. *Schenckio* L. I. *Obſ.* 172. 179. *Zacuto Hiſt. Med.* 48. Forſan & Paralyſin prægreſſus fuit dolorificus alius morbus, uti Tertiana febris apud *Fernelium;* Colica apud *Paulum Æginet.* L. III. c. 18. 43. *Trincauellium* L. III. c. 1. qualem, & atrociſſimam quidem, experti ſunt ante annos aliquot, qui vinum hauſerant Lithargyriſatum, Paralyſin vel Pareſin reuerà torquentem. Grauiter autem decubuiſſe hunc ægrum vult verbum βέβληται, quod apud Matthæum legitur, ut omnino ita vernaculè potuerit reddi Textus: *Mein Knecht iſt bey Hauſe tieff in das Bett geworffen worden durch einen Tropffſchlag. Virgil.*

Sternitur, & toto projectus corpore.

Ex quacunque cauſa, interna externaue, ortus fuerit hic morbus, certum hoc eſt, fuiſſe periculoſiſſimum; & inferet, quicunque Hiſtoriam hanc attentè legerit, operatum fuiſſe CHRISTUM miraculum in ſanatione hujus ægri. Non mittit Medicus ægrum ad Pharmacopolam cum formula, non præſcribit uſitatas aliàs in his caſibus inunctiones, frictiones, ſpirituoſa volatilia aromatica intus & extus adhibenda: non balnea, vel thermas; imo ne quidem viſitat ægrum, ſed curat abſens omnipotenti, quod protulerat, verbo: ὕπαγε, καὶ ὡς ἐπίστευσας, γενηθήτω σοὶ. Dictum factum. Ἰάθη ὁ παῖς ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ. Καὶ ὑποστρέψαντες οἱ πεμφθέντες εἰς τὸν οἶκον, εὗρον τὸν ἀσθενοῦντα δοῦλον ὑγιαίνοντα. Legatur *Thomas Bartholinus de Paralyticis Noui Teſtam.*

TAB. DCLXXI.

Matth. Cap. VIII. verſ. 14. 15.

14. Et cum veniſſet JESUS in domum Petri, vidit ſocrum illius decumbentem, & febricitantem.
15. Tetigitque manum illius, & reliquit illam febris, ſurrexitque ac miniſtrauit illis.

14. Et cum veniſſet JESUS in domum Petri, vidit ſocrum ejus jacentem & febricitantem.
15. Et tetigit manum ejus, & dimiſit eam febris: & ſurrexit, & miniſtrabat eis.

14. Καὶ ἐλθὼν ὁ ΙΗΣΟΥΣ, εἰς τὴν οἰκίαν Πέτρε, εἶδε τὴν πενθερὰν αὐτῦ βεβλημένην, καὶ πυρέσσουσαν.
15. Καὶ ἥψατο τῆς χειρὸς αὐτῆς, καὶ ἀφῆκεν αὐτὴν ὁ πυρετὸς, καὶ ἠγέρθη, καὶ διηκόνει αὐτοῖς.

Vid. Marc. Cap. I. verſ. 30. 31.

Luc. Cap. IV. verſ. 38. 39.

38. — Socrus autem Simonis tenebatur febri magna, & rogauerunt illum pro ea.

38. — Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea.

39. Et

MATTH. Cap. VIII. v. 14. 15.
Socrus Petri febricitans ſanatur.

Matth. Cap. VIII. v. 14. 15.
Petri Schwieger vom Fieber geheilet.

G. D. Heümañ sculps.

39. Et adſtans (a) ſupra eam increpauit febrem, & (febris) dimiſit eam. Statimque ſurrexit, & miniſtrabat illis.

39. Et ſtans ſuper illam, imperauit febri, & dimiſit illam. Et continuò ſurgens, miniſtrabat illis.

(a) Id eſt, juxta illam, ut Latini dicunt: Sepultus eſt ſuper flumen, id eſt, juxta flumen. Eſt item loquutio ſignificans conatum & molimen rei grandis.

38. — ἡ πενθερὰ δὲ τῆ Σίμωνος ἦν συνεχομένη πυρετῷ μεγάλῳ, καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν περὶ αὐτῆς.

39. Καὶ ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς, ἐπετίμησε τῷ πυρετῷ, καὶ ἀφῆκεν αὐτήν. Παραχρῆμα δὲ ἀναστᾶσα διηκόνει αὐτοῖς.

MOrbis tantùm non omnibus, qui hoſtis ad inſtar validi fortalitium corporis noſtri aggrediuntur, imo & expugnant, ſi commune quoddam nomen dare lubeat, percommodè appellabis *febres*, exercitum febrilem. Anomalia quæuis in motu ſanguinis & fluidorum, motus quilibet fibrarum inordinatus cauſatur febrim. Vix proin erit morbus, qui non comitem habeat febrim. Communes quoque morborum cauſæ, viſcoſitates in ſanguine, & ortæ inde obſtructiones febrium ſunt cauſæ. Sed ipſæ febres, præterquam quod in aliorum quoque morborum territorio, veluti alieno, ſunt frequentiſſimæ, ſua peculiari gaudent juriſdictione, & partem pene præcipuam exercitus formant, ut dicere auſim, mori dimidiam, vel tertiam ſaltem, hominum partem febri. Intermittentes licet rarò perimant, ſtragem ingentem cauſantur acutæ & hecticæ. Neque ſine cauſa *febrium* expreſſa fit mentio Deut. XXVIII. 22. in ſerie morborum, quos iratus DEUS comminatur rebelli populo ſuo.

Fuit & πυρετὸς, *febris*, morbus ille, quo ſocrus Petri decumbebat, imò, Luca Medico interprete, πυρετὸς μεγάλος, *magna febris*. Circa magnitudinem morborum generalem tradit *Hippocrates Lib. de Alim.* c. 5. t. 6. regulam: μέγεθος αὐτῶν (νέσων) μέγα καὶ ἐ μέγα. Indicare nempe vult, eſſe morbos magnos & graues, qui magni videantur, & tales reuerà ſint; non videri magnos, & tamen eſſe, magnos tandem videri, ſed non eſſe. Dubium haud eſt, magnam hanc fuiſſe febrim, qua correpta fuit hæc ægra, magnam reſpectu periculi, ætatis, forſan & temporis; nouimus quippe variare morborum magnitudines pro conſtitutione varia temporis. *Hippocr.* L. II. *Epidem. Sect.* III. t. 38. μέγα δ' ἐν ἅπασι τὰ καθ' ἑξῆς, καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ, καὶ ἐφ' ὅσι, ὅλως ὅσι. *Magnum autem in omnibus, id quod & conſequenter fit, & in quo tempore, & in quibus.* Magnitudinem hujus, de qua nunc, febris, indicat vox συνεχομένη, qua Lucas utitur, ἦν συνεχομένη πυρετῷ μεγάλῳ. Nos reddimus, *tenebatur febri magna, ſie war mit einem harten Fieber behafftet.* Codex Cantabrigienſis habet κατεχομένη. Sed præferenda recepta Lectio, eſt quippe in Medicorum quoque Scholis nota vox συνεχὴς, qua denotatur *febris continens & continua. Galenus de Criſ.* L. II. c. 2. Συνεχῆ μὲν δὴ πυρετὸν ὀνομάζω τὸν εἰς ἀπυρεξίαν, πρὶν τελέως λυθῆναι, μὴ παυόμενον, κἂν παρακμή τις αἰσθητὴ φαίνηται. *Continuam quidem nomino febrem, quæ ad infebricitationem, antequam ex toto ſoluatur, non deſinit, etſi declinatio aliqua ſenſilis appareat.* Idem *Lib. I. Epidem. Comm.* 3. *Sect.* 2. ἔνιοι τῶν νεωτέρων ἰατρῶν τὰς μηδεμίαν ἀξιόλογον ἔχοντας μεταβολὴν, ἐ συνεχεῖς, ἀλλὰ συνόχας ὀνομάζουσι. συνεχεῖς δὲ μόνας ἐκείνας, ὅσοι μήτ' εἰς ἀπυρεξίαν λύγουσι, καὶ διαλιμπάνοντας τοῖς κατὰ μέρος παροξυσμοῖς. *Medici quidam juniores, quæ non magnam mutationem habent, non continuas,* (συνεχεῖς) *cæterùm ſynochos nominant: continuas autem eas ſolas, quæ non veniunt ad integritatem, & intermittunt ſingulis acceſſionibus.* Exprimit proin vox συνεχεῖσθαι melius naturam febris, quàm vox κρατεῖσθαι vel ſimplex ἔχεσθαι, verteremque ego verba Lucæ ita, *continua acuta febris eam corripiebat, das ſchwere hitzige Fieber verlieſſe ſie nicht einen Augenblick*, vel, *ſie war mit einem ſchweren Fieber beſtändig angehefftet*, συνεχομένη, veluti *circumſeſſa, conſtricta.* Et illuſtrando ſenſui facit 2. Cor. II. 4. συνοχὴ καρδίας, *anguſtia, oppreſſio, conſtrictio cordis, wann einem Menſchen ſo angſt und bang iſt, daß ihm gleichſam in der weiten Haut zu enge wird.* Et quadrat morbo noſtræ ſocrus locus, qui extat in *Hippocratis* L. I. *Epid. Sect.* 3. t. 16. ὀξύταται μὲν καὶ μέγισαι καὶ χαλεπώταται νέσοι καὶ θανατωδέσταται ἐν τῷ ξυνεχεῖ πυρετῷ. *Sunt autem acutiſſimi & maximi ac grauiſſimi morbi & maximè lethales in continua febri.* Si, quod omnino conjectare licet, morbus hic fuit febris continua, acuta, fuit haud dubiè magnus, ac grauis, jacuit corpus in continuo æſtu, fauces fuere aridæ, caput delirans, confuſum; magnus ratione temporis, jam enim ἤμελλε τελευτᾶν, magnus propter oppreſſiones præcordiorum; magnus ob vires magis magisque deficientes; magnus ratione ætatis, in qua quidem ordinariè ſunt minus acutæ, ſed eò magis periculoſæ hujus indolis febres; magnus tandem reſpectu habito ad Clima, ubi febres acutæ breui perimunt. Glorificat hæc ipſa febris magnitudo Potentiam DEI, & miraculi patrati magnitudinem auget. Adſiſtit ægrotæ Saluator, adſtat lecto, increpat febrim, prehendit manum, & ecce, παραχρῆμα ἀναστᾶσα διηκόνει αὐτοῖς. Quum contra doceat experientia, quod reconualeſcentes ex hujusmodi febribus, jam ſolutis per criſin, debiles admodùm ſint, & pedibus vix inſiſtere queant. Audi *Wedelium de Febri magna Dec.* VIII. *Exerc.* 4. *Non obſtat morbi maximitas, ut Lucretiano verbo utar. Nihil.*

hil Saluatori magnum eſt, quod non ſuperari poſſit, obſequii relicta gloria, nihil tam periculoſum, quod non auerti, tam lethale, quod à lethi Domino non in melius verti queat, imo debeat. Tria fecit Diuinus Medicus, venit, vidit, vicit. Accedit gratioſo affectu, & adſtat, ἐπισὰς, *adſtat Magiſter, remittit morbus: videt, & contingit, & erigitur proſtrata; increpat febrim, & dictum factum omnis fugata eſt. O adſtitem præſentaneum, &* ὑπερασπίστην *inopinatum! O miſericordem Archiatrum, qui videns mouetur, & motus iuuat! O potentiſſimum victorem, qui verbo profligat hoſtem! — Curatio hæc erat* promptiſſima, *prono & gratioſo affectu exhibita. Erat* momentanea & præſentiſſima, *ob vires ſtatim & in momento omnes redditas. Erat* majeſtatica, *& inimitabilis. Ad nutum, ad juſſum morbos proſtigare, ut inferre quoque, ſolius DEI eſt, non hominis. Erat* pleniſſima, *in qua nihil deſideraueris, radicalis & intima, ſimul ac ſemel ægra ſana. Adeoque uno verbo* miraculoſa, *procul omnibus herbis, & undecunque conquiſitis remediis, ablata radicitus.* Adde, quod ſubitaneæ curationes febrium, qualis hæc fuit, ſuſpicione haud careant, imperfectæ & fallaces ſint, quoniam hoſtis corpore non expellitur, imo ex poſt grauius recrudeſcant. Exemplo ſint ſuppreſſæ citò nimis à Cortice Peruuiano intermittentes febres, ſæpiſſimè in grauiſſimos morbos deciues. De *increpatione* tandem non multa, quæ dicam, habeo. Fuit hæc mandatum DEI omnipotentis, diſtinguenda probè ab increpatione illa ſuperſtitioſa, magica, *von dem Beſprechen der Kranckheit, Segenſprechen*, de qua legatur *Brauo de Medicinæ dogmaticæ præſtantia Sect.* I. *Reſolut.* 19. p. 66. *Utrum Medicina dogmatica debeat pro morbis curandis uti Impſalmis & Salutatoribus? Rejes Camp. Elyſ. Quæſt. jucund. Qu.* 22. 23. 24.

Matth. Cap. VIII. verſ. 20.

Et dicit illi JESUS: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: at filius hominis non habet, ubi caput reclinet.

Luc. Cap. IX. verſ. 58.

Et dicit ei JESUS: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.

Καὶ λέγει αὐτῷ ὁ ΙΗΣΟΥΣ· Αἱ ἀλώπεκες φωλεὸς ἔχουσι, καὶ τὰ πετεινὰ τὰ οὐρανὰ κατασκηνώσεις· ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἔχει, ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ.

TEſtimonium en ἀναντίῤῥητον paupertatis Meſſiæ, & humilitatis extremæ terræ cœlique Monarchæ! Adeò is fuit egenus, ut ejus miſertæ mulieres nonnullæ deuotè ei ſeruierint ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς pro eleemoſyna. Luc. VIII. 3. Inferior *vulpibus*, quæ ſuos habent φωλεὸς, *auibus*, quæ ſuas κατασκηνώσεις. φωλεὸς occurrit quoque apud profanos Scriptores pro fouea ſeu latibulo vulpis. *Oppianus:*

Καὶ πινυτὴ ναίει στυμάτοις ἐνὶ φωλειοῖσιν.

Et callida habitat intimis in foueis.

Vocantur hæ aliàs ἀλωπεκίαι. *Heſychius:* Ἀλωπεκίαι, αἱ τῶν ἀλωπέκων καταδύσεις. *Iſidoro* ſi fides, non ipſæ ſibi excauant has foueas vulpes, ſed paratæ à melibus occupantur à vulpibus, & fœtor excrementorum vulpinorum illas fugat. Sed non adeò firmo ſtat talo hæc traditio: Vulpes dantur, ubi nullæ ſunt taxi. Non ignorant venatores, aſtutæ vulpi haud unum eſſe ex latibulis exitum, ſed ſæpe diuerſos, ne à canibus agitatæ aſtutæ vulpi deficeret euadendi via. *Oppianus* iterum:

Ἑπταπύλες ὀίξασα δόμες, τρηχὰς δὲ καλίας,
Τηλόθ' ἀπ' ἀλλήλων, μὴ μιν θηρήτορες ἄνδρες,
Ἀμφὶ θύρῃ λοχόωντες, ἐπὶ βροχίδεσσιν ἄγωνται.

Septem portarum aperiens domos, perforatosque nidos
Procul à ſe inuicem, ne ipſam venatores
Circa oſtium inſidiantes in laqueos conjiciant.

Infinitam auium rectricem ſapientiam perſpiciet facile, qui attentè conſiderare dignatur nidos, horum varias formas, Architecturam artificioſiſſimam, locum.

MATTH. Cap. VIII. v. 24. 25. 26.
Fervent ſpirantibus æquora ventis.

Matth. Cap. VIII. v. 24. 25. 26.
Sturm auf dem Meer.

I. G. Pintz sculps.

TAB. DCLXXII.

Matth. Cap. VIII. verſ. 24. 25. 26.

24. Et ecce, (a) motus magnus ortus eſt in mari, adeò ut nauis operiretur à fluctibus: ipſe verò dormiebat.

(a) Vel, tempeſtas magna.

25. Et accedentes diſcipuli excitauerunt eum dicentes: DOMINE, ſerua nos, perimus.

26. Et dicit illis: Quid timidi eſtis, ô exigua fide prædíti? Tunc excitatus increpauit ventos & mare, & facta eſt tranquillitas magna.

24. Et ecce, motus magnus factus eſt in mari, ita ut nauicula operiretur fluctibus, ipſe verò dormiebat.

25. Et acceſſerunt ad eum, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: DOMINE, ſalua nos, perimus.

26. Et dixit eis: Quid timidi eſtis, modicæ fidei? Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.

24. Καὶ ἰδὲ, σεισμὸς μέγας ἐγένετο ἐν τῇ θαλάσσῃ, ὥϛε τὸ πλοῖον καλύπτεσθαι ὑπὸ τῶν κυμάτων· Αὐτὸς δὲ ἐκάθευδε.

25. Καὶ προσελθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτὸν ἤγειραν αὐτὸν, λέγοντες· ΚΥΡΙΕ, σῶσον ἡμᾶς, ἀπολλύμεθα.

26. Καὶ λέγει αὐτοῖς· τί δειλοί ἐϛε ὀλιγόπιϛοι; τότε ἐγερθεὶς ἐπετίμησε τοῖς ἀνέμοις καὶ τῇ θαλάσσῃ· καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη.

Vid. Marc. Cap. IV. verſ. 36. 37. 38. 39.

Luc. Cap. VIII. verſ. 23. 24.

23. Cæterum nauigantibus illis obdormiuit, & ingruit procella venti in ſtagnum, & (b) complebantur, ac periclitabantur.

(b) Id eſt, obruebantur ſcilicet aquis.

24. Acceſſerunt autem, & ſuſcitauerunt eum, dicentes: Præceptor, Præceptor, perimus. At ille experrectus increpauit ventum ac tempeſtatem aquæ, & ceſſauerunt, factaque eſt tranquillitas.

23. Et nauigantibus illis obdormiuit: & deſcendit procella venti in ſtagnum, & compellabantur, & periclitabantur.

24. Accedentes autem ſuſcitauerunt eum, dicentes: Præceptor, perimus. At ille ſurgens increpauit ventum & tempeſtatem aquæ; & ceſſauit, & facta eſt tranquillitas.

23. Πλεόντων δὲ αὐτῶν ἀφύπνωσε. Καὶ κατέβη λαῖλαψ ἀνέμου εἰς τὴν λίμνην· καὶ συνεπληροῦντο, καὶ ἐκινδύνευον.

24. Προσελθόντες δὲ διήγειραν αὐτὸν λέγοντες· Ἐπιϛάτα, ἐπιϛάτα, ἀπολλύμεθα. Ὁ δὲ ἐγερθεὶς ἐπετίμησε τῷ ἀνέμῳ καὶ τῷ κλύδωνι τοῦ ὕδατος· καὶ ἐπαύσαντο, καὶ ἐγένετο γαλήνη.

JUxta Leges Naturæ & motus fundamentales mare, quod excitata tempeſtate in æſtuoſos fluctus attollitur, non ſeſe demittit momento, ſed per gradus. Et pone, quod aliquando contingit, à turbinis irruentis impetu complanari mare, non ideò ſecurior eſt rerum ſtatus, mox enim atque preſſio illa undique circa nauim æqualis ceſſat, procelloſi aſſurgunt fluctus, & velut agmine facto intentant ſæua pericula nautis. Sed heic horrendo murmure reſonant, τὸ πλοῖον καλύπτεται ὑπὸ τῶν κυμάτων, ὥϛε αὐτὸ ἤδη γεμίζεσθαι, perniciem minantur omnia, iterant timoris pleni diſcipuli ſuum lamentabile ἀπολλύμεθα. CHRISTUS dormiens excitatur, increpat ventos & æſtuoſum mare, ſilentium imponit & undis & ventis, & ecce parent protinus mandato, γίνεται γαλήνη μεγάλη. Volebat nempe miraculo hocce demonſtrare

dulciſſimus Saluator, eſſe ſe ventorum, maris & fluctuum Dominum & Creatorem, ſubjacere ſuo dominio & hos & illos, ut alibi, fugari ſuo nutu dæmonas impuros, pelli inſanabiles morbos, redire ex mortuis defunctos. Non mirum proin, ſi Nautæ & quicunque ferebantur hac naui, admirabundi glorificauerint potentiam Meſſiæ. Ποταπός ἐστιν οὗτος, ὅτι καὶ οἱ ἄνεμοι καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ; Matth. VIII. 27. concluſio, eaque optimè fundata, erat, eſſe DEUM, Legum Naturæ Authorem & Dominum. *Cum horriferi aquilones conſurgunt, increbeſcunt ac ſtant, imo* cum toto ſonuerunt æthere nimbi, *ut Virgilius loquitur, fluctuoſum ac feruens mare ſæpe horriſonum edit fremitum, & decumani fluctus, accreſcentibus horrendis procellis, ingenti flamine agitati, horribilem emittunt ſonitum, adeò ut fluctiuagi nautæ videantur jam ad æthera tolli, jam in profundum ruere*, & ſine funibus vix durare carinæ poſſint imperioſius æquor, *ut Horatius ait: at unico CHRISTI fluctifrago verbo cogitur impetuoſum mare tranquillum eſſe; cum JESUS mari dicit, ſile, tunc ſtatim ſilent venti, tunc ſilent ſlabra Aquilonis, tunc ſedantur tumidi fluctus, & mare turbidum, agitatum, ac tumefactum, ſtatim, poſito Borea, nullisque fluctibus turgidum, aut tumens alto torpore ligatum jacet ſine murmure, & ſtat placidum ventis, ſtratis æqualiter undis. — Cum CHRISTUS non tantùm mari, ut & vento & fluctuationi aquæ dicit,* σιώπα, ſile, *ſed etiam* πεφίμωσο, capiſtrator, (verbum hoc φιμᾶσθαι fusè & doctiſſimè explicat) *oſtendit, ſe verè eſſe potentem illum Imperatorem maris, ventorum ac fluctuationum aquarum, ad cujus voluntatem ac imperium & mundus cœli vaſtus conſtitit ſilentio, & turbidum ac commotum mare illico quaſi capiſtro injecto cogitur conticeſcere. Theocritus Idyll.* 22. v. 15. 16. 19.

— καταγεῖ δ' εὐρεῖα θάλασσα,
Κοπτομένη πνοιῇς τε καὶ ἐκ βυθοῦ ἕλκετε νᾶας,
Ἄιψα δ' ἀπολήγοντ' ἄνεμοι, λιπαρὰ δὲ γαλήνα
Ἀμπέλαγος.

— *cum fremitu reſonat amplum mare*
Pulſatum flatibusque ventorum & validis grandinibus,
Statim verò venti deſinunt, & mitis tranquillitas eſt
Per mare.

Ita Clar. *Gerardus Outhouius*, V. D. M. in Eccleſia Embdana, Diſſ. in loca noſtra, quæ tota mereretur exſcribi, vel ob profundam eruditionem. Extat autem in *Bibl. Brem. Claſſ.* I. *Faſcic.* II. p. 60.

TAB. DCLXXIII.

Matth. Cap. VIII. verſ. 28. 32.

28. Et cum veniſſet in ulteriorem ripam in Regionem Gergeſenorum, occurrerunt ei duo Dæmoniaci è monumentis egreſſi, ſæui valde, ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam.

32. Et ait illis: abite. Illi verò egreſſi (a) abierunt in gregem porcorum. Et ecce, ferebatur totus grex porcorum per præceps in mare, & perierunt in aquis.

(a) Vel, inuaſerunt.

28. Et cum veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, ſæui nimis: ita ut nemo poſſet tranſire per viam illam.

32. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos: & ecce, impetu abiit totus grex per præceps in mare: & mortui ſunt in aquis.

28. Καὶ ἐλθόντι αὐτῷ εἰς τὸ πέραν εἰς τὴν χώραν τῶν Γεργεσηνῶν, ὑπήντησαν αὐτῷ δύο δαιμονιζόμενοι, ἐκ τῶν μνημείων ἐξερχόμενοι, χαλεποὶ λίαν, ὥστε μὴ ἰσχύειν τινὰ παρελθεῖν διὰ τῆς ὁδοῦ ἐκείνης.

32. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς· Ὑπάγετε. οἱ δὲ ἐξελθόντες ἀπῆλθον εἰς τὴν ἀγέλην τῶν χοίρων. Καὶ ἰδοὺ, ὥρμησε πᾶσα ἡ ἀγέλη τῶν χοίρων κατὰ τοῦ κρημνοῦ εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ ἀπέθανον ἐν τοῖς ὕδασιν.

MATTH. Cap. VIII. v. 28. 32.
A Dæmone obſeſsi.

Matth. Cap. VIII. v. 28. 32.
Besessene.

I. G. Pintz sculps.

Marc. Cap. V. verſ. 2. 3. 4. 5. 13.

2. Egreſſoque ei de naui, ſtatim occurrit (b) è monumentis ſpiritui immundo obnoxius.

2. Et exeunti ei de naui, ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo.

(b) Hebraiſmus eſt, pro ex quodam monumento; ſic alibi, in urbibus, id eſt, in aliqua urbium.

3. Qui domicilium habebat in monumentis. Et ne catenis quidem quisquam poterat eum ligare.

3. Qui domicilium habebat in monumentis: & neque catenis jam quisquam poterat eum ligare.

4. Propterea quod quum ſæpe compedibus & catenis vinctus fuiſſet, diſcerptæ eſſent ab illo catenæ, & compedes eſſent comminutæ, neque quisquam valuiſſet eum domare.

4. Quoniam ſæpe compedibus & catenis vinctus, diſrupiſſet catenas, & compedes comminuiſſet: & nemo poterat eum domare.

5. Et ſemper die ac nocte in montibus & in monumentis erat, clamans, & concidens ſeipſum lapidibus.

5. Et ſemper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans & concidens ſe lapidibus.

13. Et permiſit eis ſtatim JESUS. Et egreſſi ſpiritus immundi, ingreſſi ſunt in porcos. Et ferebatur grex per præceps in mare: erant autem eorum ferme duo millia, & ſuffocati ſunt in mari.

13. Et conceſſit eis ſtatim JESUS. Et exeuntes ſpiritus immundi, introierunt in porcos: & magno impetu grex præcipitatus eſt in mare ad duo millia, & ſuffocati ſunt in mari.

2. Καὶ ἐξελθόντι αὐτῷ ἐκ τῆ πλοίε, εὐθέως ἀπήντησεν αὐτῷ ἐκ τῶν μνημείων ἄνθρωπος, ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ.

3. Ὃς τὴν κατοίκησιν εἶχεν ἐν τοῖς μνημείοις, καὶ ἄτε ἁλύσεσιν οὐδεὶς ἠδύνατο αὐτὸν δῆσαι.

4. Διὰ τὸ αὐτὸν πολλάκις πέδαις καὶ ἁλύσεσι δεδέσθαι καὶ διεσπᾶσθαι ὑπ' αὐτῆ τὰς ἁλύσεις, καὶ τὰς πέδας συντετρίφθαι. Καὶ οὐδεὶς αὐτὸν ἴσχυε δαμάσαι.

5. Καὶ διαπαντὸς νυκτὸς καὶ ἡμέρας ἐν τοῖς ὄρεσιν καὶ ἐν τοῖς μνήμασιν ἦν κράζων, καὶ κατακόπτων ἑαυτὸν λίθοις.

13. Καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς εὐθέως ὁ ΙΗΣΟΥΣ. Καὶ ἐξελθόντα τὰ πνεύματα τὰ ἀκάθαρτα, εἰσῆλθον εἰς τοὺς χοίρους. Καὶ ὥρμησεν ἡ ἀγέλη κατὰ τῆ κρημνῆ εἰς τὴν θάλασσαν (ἦσαν δὲ ὡς δισχίλιοι). Καὶ ἐπνίγοντο ἐν τῇ θαλάσσῃ.

Vid. Luc. Cap. VIII. verſ. 27. 29. 33.

DUbium haud eſt, quin Gadareni hi vel Gergeſeni, porcorum proprietarii, Gentiles, quoniam Judæis non fuit permiſſum, alere porcos, vel ex iis facere commercium. Fuſius id oſtendi poſſet ex *Joſepho* & aliis, ut &, quod *Gadara* & *Gergeſa*, vel *Geraſa*, duo diſtincta fuerint oppida, quorum incolæ paſcua videntur habuiſſe communia eo in loco, ubi præſens patratum fuit miraculum. Legatur *Bochart. Hieroz.* P. I. L. II. c. 57.

Qui ad circumſtantias miſerorum horum à CHRISTO curatorum curatè attendit, ei facilis ſuboriri poteſt ſuſpicio, fuiſſe maniacos, tales, quales in Noſocomiis, vel peculiaribus ædibus iis deſtinatis obſeruari ſolent, & tractari. Fuere χαλεποὶ λίαν, indomiti, furioſi; disrumpebant πέδας καὶ ἁλύσεις, quibus fuerant vincti, degebant ἐν μνημείοις, quæ, quod notum, fuere extra oppida & pagos; exciſa ſaxis vel collibus. Hæc omnia communia ſunt phreneticis, maniacis, Melancholicis noſtris, nullibi, niſi catenis ligentur, ſecuris, ſyluiuagis & montiuagis, ſi ſibi relinquantur, à commercio hominum fugitiuis, & tali pollentibus robore, quo vincula diſrumpant, catenas diffringant, ſpiritibus ab acrimonia ſalina in enormes motus concitatis, & continuò ſtimulatis. Sed diſcrimen manifeſtant inſigne aliæ Hiſtoriæ circumſtantiæ, colloquium obſeſſorum, vel in iis hoſpitantium, cum CHRISTO: venia, quam & petierunt & obtinuerunt, obſidendi porcos; ingreſſus in eos: horum præcipitatio in mare; confeſſio nominis, λεγεὼν, quod non unum in-

dicat ſed plures. Qui hæc, inquam, ſeria reuoluit mente, perſuaſus mox erit, morbis ordinariis huncce caſum adnumerari non poſſe, ſed fuiſſe reuera δαιμονιακὰς, ſed &, miro metaſchematiſmo, δαιμονιακὰς ipſos porcos.

Non fauet hæc Hiſtoria Bekkerianiſmo, qui ſtante illa ſubſiſtere nequit. Videamus tamen, quomodo is rem capiat. CHRISTUS ad obſeſſum: ἔξελθε τὸ πνεῦμα τὸ ἀκάθαρτον ἐκ τοῦ ἀνθρώπου, Marc. V. 8. Imaginabatur ſibi miſer mente captus, ſe eſſe poſſeſſum à Dæmone: accommodat ſe huic conceptui CHRISTUS, & idem valet τὸ ἔξελθε ac curator miſer à morbo graui tuo. Clamat alta voce Gadarenus: Τί ἐμοὶ καὶ σοὶ, ΙΗΣΟΥ υἱὲ τοῦ ΘΕΟΥ τοῦ ὑψίστου; ὁρκίζω σὲ τὸν ΘΕΟΝ, μή με βασανίσῃς, verſ. 7. Sibi videbatur à multis dæmonibus obſeſſus, loqui hos ex ſuo corpore, mutuari debere horum diſcurſus, metuendum & ſibi, ut his, eſſe à præſentia magni Prophetæ, qui paſſim alia dederit hujusmodi ejectionum ſpecimina: ut paſſim obſeruamus in praxi, dari maniacos, de obſeſſione dæmonum perſuaſos, blaſphemandum ſibi eſſe, quod faciant dæmones. Ad quæſtionem Saluatoris v. 9. τί σοι ὄνομα; reſpondet Gadarenus: Λεγεὼν ὄνομά μοι, ὅτι πολλοί ἐσμεν. Quod reſponſum neque unius dici poteſt, neque plurium. Non unius, qui fortè fuerit ex primariis; ut belli dux ineptè reſponderet, ſi interrogatus de nomine ſuo reſponderet, nomen mihi eſt cohors, Imperator exercitus: non plurium, hi quippe non dixiſſent, λεγεὼν ὄνομά μοι, copia 6000. dæmonum. De transmigratione dæmonum ad porcos *Bekkerus* breuiter, non fuiſſe hanc, & ſecutam mox præcipitationem opus dæmonis unius vel plurium, ſed omnipotentis DEI, non proin diminui miraculum, ſed potius augeri: teſtatum eſſe hoc ipſo Saluatorem, ſe veniſſe, ut complementum daret Legi & Prophetis, judicia exerceret in populo ſuo, vindictam ſumeret de violatoribus Legis, miſericordem ſe præberet erga miſeros, juſtiſſimum vindicem erga impœnitentes, quales fuerint hi Gadareni. Quæ contra dici poſſunt, aliis, ne extra oleas vagari videar, lubens relinquo.

TAB. DCLXXIV.

Matth. Cap. IX. verſ. 2. 6. 7.

2. Et ecce attulerunt ad illum Paralyticum in lecto decumbentem. Cumque vidiſſet JESUS fidem illorum, dixit Paralytico: Bono animo eſto, fili, remittuntur tibi peccata tua.

6. Ut autem ſciatis, filium hominis in terra poteſtatem habere remittendi peccata, (tunc dicit Paralytico:) Surge, tolle tuum lectum, & abi domum tuam.

7. Et cum ſurrexiſſet, abiit domum ſuam.

2. Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns JESUS fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

6. Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, (tunc ait paralytico:) Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

7. Et ſurrexit: & abiit in domum ſuam.

2. Καὶ ἰδοὺ προσέφερον αὐτῷ παραλυτικὸν ἐπὶ κλίνης βεβλημένον. Καὶ ἰδὼν ὁ ΙΗΣΟΥΣ τὴν πίστιν αὐτῶν, εἶπε τῷ παραλυτικῷ· θάρσει τέκνον, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου.

6. Ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς, ἀφιέναι ἁμαρτίας, (τότε λέγει τῷ παραλυτικῷ) Ἐγερθεὶς ἆρόν σου τὴν κλίνην, καὶ ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου.

7. Καὶ ἐγερθεὶς ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ.

Vid. Marc. Cap. II. verſ. 3. 10. 11. 12.

Luc. Cap. V. verſ. 18. 24. 25.

18. Et ecce viri portabant in lecto hominem, (a) qui erat paralyti-

18. Et ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: &

cus,

MATTH. Cap. IX. v. 2. 6. 7.
Paralyticus tecto demissus.

Matth. Cap. IX. v. 2. 6. 7.
Ein Gichtbrüchiger durchs Dach gelassen.

B. S. Sedletzky sculps.

cus, & quærebant eum inferre, & ponere ante illum.

(a) Verbi interpretatione, qui erat reſolutus.

24. Ut autem ſciatis, filium hominis habere poteſtatem in terra remittendi peccata, (b) ait paralytico: Tibi dico, ſurge, tolle lectulum tuum, & abi domum tuam.

(b) Anacoluthon eſt, & mutatio perſonæ, pro, dico paralytico.

25. Isque confeſtim cum ſurrexiſſet coram illis, ſublato, in quo jacuerat, (lectulo), abiit domum ſuam, (c) glorificans DEUM.

(c) Vel, DEUM gloriosè prædicans.

quærebant eum inferre, & ponere ante eum.

24. Ut autem ſciatis, quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico:) tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.

25. Et confeſtim conſurgens coram illis, tulit, in quo jacebat: & abiit in domum ſuam, magnificans DEUM.

18. Καὶ ἰδὲ, ἄνδρες φέροντες ἐπὶ κλίνης ἄνθρωπον, ὃς ἦν παραλελυμένος. Καὶ ἐζήτουν αὐτὸν εἰσενεγκεῖν, καὶ θεῖναι ἐνώπιον αὐτοῦ.

24. Ἵνα δὲ εἰδῆτε, ὅτι ἐξουσίαν ἔχει ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι ἁμαρτίας, (εἶπε τῷ παραλελυμένῳ) Σοὶ λέγω· Ἔγειραι, καὶ ἆρας τὸ κλινίδιόν σου, πορεύου εἰς τὸν οἶκόν σου.

25. Καὶ παραχρῆμα ἀναστὰς ἐνώπιον αὐτῶν, ἆρας ἐφ' ᾧ κατέκειτο, ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, δοξάζων τὸν ΘΕΟΝ.

DE *Paralyſi* dictat & ratio & experientia, eſſe, cumprimis inueteratam, vel inſanabilem prorſus, vel curatu perdifficilem. Heic occurrit miſer hoc morbo decumbens, quem viri quatuor portabant in grabbato ſeu lectulo. Curatur is confeſtim absque applicatione ulla remediorum, corpore & animâ. Abſoluitur cura binis formulis, quæ Potentiam DEI infinitam manifeſtiſſimè indicant. Una harum eſt: τέκνον, ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου, altera: ἐγερθεὶς ἆρόν σου τὴν κλίνην, καὶ ὕπαγε εἰς τὸν οἶκόν σου. Dictum factum. Καὶ ἐγερθεὶς ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ. Ex circumſtantiis colligere licet, fuiſſe Paralyſin hanc grauiſſimam, ἀκινησίᾳ ſociatam, quapropter geſtari debuit ab aliis. Paralyſin autem fuiſſe, non Apoplexiam, exinde conſtat, quod mentis ſuæ fuerit compos, fide in CHRISTUM firmus, & CHRISTUS ipſe eum fuerit adlocutus: Θάρσει τέκνον.

Difficile id eſt conceptu, quanam ratione æger unà cum lecto demitti potuerit per tectum. De hac circumſtantia hæc habet Marcus II. 4. Καὶ μὴ δυνάμενοι προσεγγίσαι αὐτῷ διὰ τὸν ὄχλον, ἀπεστέγασαν τὴν στέγην, ὅπου ἦν, καὶ ἐξορύξαντες, χαλῶσι τὸν κράββατον, ἐφ' ᾧ ὁ παραλυτικὸς κατέκειτο. Lucas V. 19. Καὶ μὴ εὑρόντες διὰ ποίας εἰσενέγκωσιν αὐτὸν διὰ τὸν ὄχλον, ἀναβάντες ἐπὶ τὸ δῶμα, διὰ τῶν κεράμων καθῆκαν αὐτὸν σὺν τῷ κλινιδίῳ εἰς τὸ μέσον ἔμπροσθεν τοῦ ΙΗΣΟΥ. Pro reſolutione hujus dubii conſideranda eſt forma Tectorum Orientalium plana, quæ omnium fortè eſt antiquiſſima & naturæ congrua; uſus quippe tectorum generalis eſt, defendere ædem à pluuiæ injuria, quæ ipſa quia per tecta plana non probè ferruminata facile perpluens incommoda eſt ſtructuris, excogitata ſucceſſu temporis fuere tecta decliuia, per quæ facilior eſt aquæ pluuialis defluxus. Audi *Vitruuium Archit.* L. II. c. 1. *Alii luteas glebas arefacientes ſtruebant parietes, materia eos jugumentantes: vitandoque imbres & æſtus, tegebant arundinibus & fronde: poſtea quoniam per hybernas tempeſtates tecta non poterant imbres ſuſtinere, faſtigia facientes, luto inducto proclinatis tectis ſtillicidia deducebant.* Patet hinc, antiquam ſimpliçitatem contentam fuiſſe tectis ex gleba, vel arundine confectis, qualia ſunt ruſticorum paſſim ex frumenti culmis, ſucceſſu temporis aſſulis. Sanè orbis illam victricem Romam per annorum 470. decurſum tectam fuiſſe *robore aſſulatim ſecto inſtarque tabularum tectis inſtrato*, teſtantur *Vitruuius* & *Cornelius Nepos* apud *Plinium* L. XVI. c. 10. Sequebantur poſtea tegulæ & fiſſiles lapides. Quis crediderit, Romuli tectum fuiſſe ſtramineum, ni teſtem haberemus *Ouidium Faſt.* L. III.

Quæ fuerit noſtri, ſi quæris, regia nati,
Aſpice de canna ſtraminibusque domum.

Etiam veteribus Germanis ignota fuere tecta ex tegulis, tradente *Tacito de Mor. Germanor.* Obſeruauimus alibi, tecta Judæorum fuiſſe plana. *Deambulabat Dauid ſuper tectum domus regiæ, & videbat de tecto lauantem ſe mulierem quandam forma ſupra modum venuſta*, 2. Sam. XI. 2. *In tectis* Moab *& plateis ejus quisque ululabat, atque in fletum ſoluebantur. (Super tecta Moab, & in plateis ejus omnis ululatus, deſcendit in fletum.)* Jeſ. XV. 3. *Similes euadent fœno, quod in tectis naſcitur, quod areſcit, antequam quisquam euellat. (Fiant ſicut fœnum tectorum, quod, priusquam euellatur, exaruit.)* Pſal. CXXIX. 6. Intelligi debent loca omnia de tectis planis, inprimis verò Lex illa à DEO lata Deut. XXII. 8. *Quum extruis domum nouam, facias loricam tecto*

 tuo,

tuo, ne ponas ſanguinem in domum tuam, quum quispiam caderet ex ea. (Cum ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum: ne effundatur ſanguis in domo tua, & ſis reus labente alio, & in præceps ruente.) Lorica hæc in originali Textu vocatur מעקה *maakeh*, Hieronymus vocat *murum*, LXX. ϛεφάνην, Philo θωράκιον, Oſiander *peribolum*. Dubium ſanè haud eſt, fuiſſe & hoc tectum, per quod demiſſus fuit æger, planum, & conjecturæ locus, transportatum fuiſſe ex vicino quopiam atque contiguo tecto ægrum; Conceptu quippe difficilè admodùm, quâ viâ ægrotus potuiſſet per hominum domum obſidentium confuſaneam turbam eleuari ad tectum usque. Dubium quidem mouere videntur κέραμοι apud Lucam, quod ſolutu haud eſt difficile, ſi dixeris, ſtratum fuiſſe hoc ipſum tectum planum tegulis, ut ſolent ſterni conclauia noſtra lapidibus coctilibus. Vel cum *Heinſio Exercit. ſacr.* intelligi poſſunt per κεράμους non tam tegulæ, quàm tectum ipſum, ut apud *Plautum* legitur in *Mil. ſectari ſimiam in tegulis.* Hoc ſenſu etiam ſumitur στέγος apud *Thucydidem.* Fictiles fuiſſe lapides, ſeu parallelepipedorum forma ſtrato cæmentitio immerſos, ſiue tegulas cantheriis, ut nos ſolemus, impoſitas, mihi haud eſt dubium. Eſt κέραμος terra figularis, ex qua fictilia fiunt, ſed quoque tegula. Si, quod mihi placet, tegulæ fuerunt aſſerculis impoſitæ, detegi facilè poterat tectum, & per aperturam factam lectulus unà cum ægro demitti.

Prolucet ex hac, ut omnibus aliis à JESU peractis curis, miraculi Diuinitas, demonſtrata ab initio hujus tractationis. Is namque, cui uniuerſus mundi paret orbis,

Πάντα λόγῳ πράττων, πᾶσάν τε νόσον θεραπεύων.

Sibyll. Carm. paralyticum ita affatur, σοὶ λέγω, ἔγειραι. Et Verbo huic æterno paret protinus & morbus & æger. Diſtingui autem probè debet imperioſa hæc CHRISTI adlocutio à Medici qualicunque alloquio, vel & increpatione, ad melancholicum quempiam vel delirum, à curis item illis Muſicalibus Tarantiſmo affectorum, & magis adhuc à curis illis, quas Magi certarum vocum vel ſyllabarum enuntiatione perficere tentant. Fuit illa CHRISTI Diuina, Medicorum eſt naturalis, Magorum diabolica. Mandato Saluatoris obſequens ſurgit æger, tollit lectum, κλίνην vel κράββατον, in quo jacebat: ubi notandum, κλίνην aliàs vocari ſandapilam, arcam ſepulcralem hominum ex ima plebe, κράββατον tenuioris fortunæ lectum, unde & *cratem ligneam* vocat *Maximus de adv. Chr. Cicero* quoque L. II. de Div. inter *lectos* diſtinguit & *grabbatos*, quando inquit, *Deos circumcurſitare non modo lectos, verùm & grabbatos.*

Icones hujusmodi lectorum, vel grabbatorum, quibus geſtari ſolebant Paralytici, vide in *Boſii Roma ſubterr.* L. II. c. 8. p. 101. & L. III. c. 4. 23. p. 159. 233. quas quia lucem fœnerantur Textui, ex Antiquitatibus Romanis huc apponere volui.

Matth. Cap. IX. verſ. 17.

Neque mittunt vinum nouum in utres veteres, alioqui rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed mittunt vinum nouum in utres nouos, & utraque conſeruantur.

Neque mittunt vinum nouum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum nouum in utres nouos mittunt, & ambo conſeruantur.

Οὐδὲ βάλλουσιν οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς· εἰ δὲ μήγε, ῥήγνυνται οἱ ἀσκοὶ, καὶ ὁ οἶνος ἐκχεῖται, καὶ οἱ ἀσκοὶ ἀπολοῦνται. Ἀλλὰ βάλλουσιν οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς καινούς, καὶ ἀμφότερα συντηροῦνται.

Marc. Cap. II. verſ. 22.

Et nemo mittit (a) vinum nouum in utres veteres, alioqui rumpit vinum nouum utres, & vinum effunditur, & utres pereunt, ſed vinum nouum in utres nouos mittendum eſt.

(a) Vel, muſtum.

Et nemo mittit vinum nouum in utres veteres, alioquin dirumpet vinum utres, & vinum effundetur, & utres peribunt, ſed vinum nouum in utres nouos mitti debet.

Καὶ οὐδεὶς βάλλει οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς· εἰ δὲ μὴ, ῥήσσει ὁ οἶνος ὁ νέος τοὺς ἀσκοὺς, καὶ ὁ οἶνος ἐκχεῖται, καὶ οἱ ἀσκοὶ ἀπολοῦνται. Ἀλλὰ οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς καινοὺς βλητέον.

Vid. Luc. Cap. V. verſ. 37. 38.

In

MATTH. Cap. IX. v. 18. 23. 24. 25.
Filia Iairi reſuſcitata.

Matth. Cap. IX. v. 18. 23. 24. 25.
Jairi Tochterlein vom Tode erweckt.

I. A. Fridrich sculps.

IN noſtris oris loquendum de doliis, non de utribus. Et nos ſi adlocutus fuiſſet CHRISTUS, in hunc modum fuiſſet fatus: Nemo recondit vinum nouum in doliis cariosis, vetuſtate exeſis, vel fiſſuras jam agentibus, diſrumperentur enim inde dolia, & vinum omne effunderetur, ſed vinum nouum immittendum eſt doliis nouis, iisque firmiter ligatis; ſic conſeruabitur & vinum & dolium. Docet quippe nos experientia, dilatare ſe vinum nouum, præuiá fermentatione, vi aëris, quem continet, compreſſi, adeò validè, ut incurrant ruptionis periculum dolia. Par ratio eſt, ſi ætiologiam ſpectes, utrium coriaceorum, quibus Orientales populi utuntur, quos commodè comparaueris cum lagenis illis vitreis, quibus vina inprimis exotica, Gallica, Hiſpanica, aſſeruari ſolent.

TAB. DCLXXV.

Matth. Cap. IX. verſ. 18. 23. 24. 25.

18. Hæc cum illis loqueretur, ecce, Primas quidam venit & adorauit eum, dicens: Filia mea modo defuncta eſt, ſed veni, & impone manum tuam ſuper illam, ac viuet.

23. Et cum veniſſet JESUS in ædes (a) Primatis, vidiſſetque tibicinem, & turbam tumultuantem,

(a) Vel, Principis.

24. Dicit illis: Secedite, non enim mortua eſt adoleſcentula, ſed dormit. Et deridebant illum.

25. Cum autem fuiſſet ejecta turba, introgreſſus (b) tenuit manum illius. Et ſurrexit adoleſcentula.

(b) Vel, apprehendit.

18. Hæc illo loquente ad eos, ecce, princeps unus acceſſit, & adorabat eum, dicens: DOMINE, filia mea modò defuncta eſt: ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet.

23. Et cum veniſſet JESUS in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem,

24. Dicebat: Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum.

25. Et cum ejecta eſſet turba, intrauit & tenuit manum ejus. Et ſurrexit puella.

18. Ταῦτα αὐτῶ λαλοῦντος αὐτοῖς, ἰδὲ ἄρχων ἐλθὼν προσεκύνει αὐτῷ, λέγων ὅτι ἡ θυγάτηρ μου ἄρτι ἐτελεύτησεν, ἀλλὰ ἐλθὼν ἐπίθες τὴν χεῖρά σε ἐπ' αὐτὴν, καὶ ζήσεται.

23. Καὶ ἐλθὼν ὁ ΙΗΣΟΥΣ εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἄρχοντος, καὶ ἰδὼν τοὺς αὐλητὰς, καὶ τὸν ὄχλον θορυβούμενον,

24. Λέγει αὐτοῖς· Ἀναχωρεῖτε, οὐ γὰρ ἀπέθανε τὸ κοράσιον, ἀλλὰ καθεύδει. Καὶ κατεγέλων αὐτοῦ.

25. Ὅτε δὲ ἐξεβλήθη ὁ ὄχλος, εἰσελθὼν ἐκράτησε τῆς χειρὸς αὐτῆς. Καὶ ἠγέρθη τὸ κοράσιον.

Marc. Cap. V. verſ. 22. 23. 35. 39. 41. 42.

22. Et ecce venit quidam Principum Synagogæ, nomine Jairus, & cum vidiſſet eum, procidit ad pedes ejus.

23. Et precabatur eum multum, dicens: Filiola mea in extremis eſt, (oro) ut venias, & imponas illi manus, ut ſalutem conſequatur, & viuat.

22. Et venit quidam de archiſynagogis, nomine Jairus: & videns eum, procidit ad pedes ejus.

23. Et deprecabatur eum multum, dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt, veni, impone manus ſuper eam, ut ſalua ſit, & viuat.

35. Adhuc eo loquente, veniunt à Principe Synagogæ, qui dicerent: Filia tua mortua eſt, quid ultra vexas Magiſtrum?

39. Et ingreſſus ait illis: Quid tumultuamini & ploratis? Puella non eſt mortua, ſed dormit.

41. Et prænenſa manu puellæ ait illi: Talitha cumi, quod eſt, ſi quis interpretetur: puella, tibi dico, ſurge.

42. Et ſtatim ſurrexit puella, & ambulabat. Habebat enim annos duodecim, & inuaſit eos ſtupor magnus.

35. Adhuc eo loquente veniunt nuncii ad archiſynagogum, dicentes: Quia filia tua mortua eſt, quid ultra vexas magiſtrum?

39. Et ingreſſus ait illis: Quid turbamini & ploratis? puella non eſt mortua, ſed dormit.

41. Et tenens manum puellæ, ait illi: Talita cumi, quod eſt interpretatum, puella, (dico tibi) ſurge.

42. Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim. Et obſtupuerunt ſtupore magno.

22. Καὶ ἰδὲ, ἔρχεται εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων, ὀνόματι Ἰάειρος. Καὶ ἰδὼν αὐτὸν, πίπτει πρὸς τὰς πόδας αὐτῦ.

23. Καὶ παρεκάλει αὐτὸν πολλὰ λέγων· ὅτι τὸ θυγάτριόν με ἐσχάτως ἔχει, ἵνα ἐλθὼν ἐπιθῇς αὐτῇ τὰς χεῖρας, ὅπως σωθῇ, καὶ ζήσεται.

35. Ἔτι αὐτῦ λαλοῦντος ἔρχονται ἀπὸ τῦ ἀρχισυναγώγε, λέγοντες· ὅτι ἡ θυγάτηρ σε ἀπέθανε· τί ἔτι σκύλλεις τὸν διδάσκαλον;

39. Καὶ εἰσελθὼν λέγει αὐτοῖς· τί θορυβεῖσθε καὶ κλαίετε; τὸ παιδίον οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει.

41. Καὶ κρατήσας τῆς χειρὸς τῦ παιδίε, λέγει αὐτῇ· ταλιθὰ κοῦμι, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον· τὸ κοράσιον, σοὶ λέγω, ἔγειρε.

42. Καὶ εὐθέως ἀνέστη τὸ κοράσιον, καὶ περιεπάτει· ἦν γὰρ ἐτῶν δώδεκα. Καὶ ἐξέστησαν ἐκστάσει μεγάλῃ.

Luc. Cap. VIII. verſ. 42. 52. 53. 54. 55.

42. Quoniam unigenita filia erat ei, ferè annorum duodecim, & ea moriebatur. —

52. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Ne flete, non eſt mortua, ſed dormit.

53. Et deridebant eum, ſcientes, eſſe mortuam.

54. Ipſe autem, ejectis foras omnibus, & apprænenſa manu ejus, clamauit dicens: Puella, ſurge.

55. Et reuerſus eſt ſpiritus ejus, & ſurrexit continuo. Juſſitque illi dari cibum.

42. Quia unica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur. —

52. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, non eſt mortua puella, ſed dormit.

53. Et deridebant eum, ſcientes, quod mortua eſſet.

54. Ipſe autem tenens manum ejus, clamauit, dicens: Puella, ſurge.

55. Et reuerſus eſt ſpiritus ejus: Et ſurrexit continuo. Et juſſit illi dare manducare.

42. Ὅτι θυγάτηρ μονογενὴς ἦν αὐτῷ (Ἰαείρῳ) ὡς ἐτῶν δώδεκα, καὶ αὕτη ἀπέθνησκεν. —

52. Ἔκλαιον δὲ πάντες, καὶ ἐκόπτοντο αὐτήν. Ὁ δὲ εἶπε· μὴ κλαίετε· οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει.

53. Καὶ κατεγέλων αὐτῦ, εἰδότες, ὅτι ἀπέθανεν.

54. Αὐτὸς δὲ ἐκβαλὼν ἔξω πάντας, καὶ κρατήσας τῆς χειρὸς αὐτῆς, ἐφώνησε, λέγων· Ἡ παῖς, ἔγειρε.

55. Καὶ ἐπέστρεψε τὸ πνεῦμα αὐτῆς, καὶ ἀνέστη παραχρῆμα. Καὶ διέταξεν αὐτῇ δοθῆναι φαγεῖν.

VIta noſtra, ab animæ & corporis, entium duorum diuerſiſſimorum, unione pendens, ut non eſt naturæ opus, ſed DEI, ita ſemel amiſſa, nullis naturæ, ſed ſolius DEI viribus reſtitui poteſt. A ſupremi hujus vitæ fontis nutu ſtat, ut dare vitam, ita reddere deperditam. Conſtat hinc, eſſe reſuſcitationem ex mortuis opus omnipotentis. Miraculum proin fuit hæc filiæ Jairi reſuſcitatio. Mortuam autem fuiſſe, conſtat ex omnibus circumſtantiis. Teſtimonium en patris mœſti apud Matthæum ἡ θυγάτηρ μου ἄρτι ἐτελεύτησεν. Marco referente, fuit hæc filia eo tempore, quo ἀρχισυνάγωγος CHRISTI implorauerat opem, agonizans, τὸ θυγάτριόν μου ἐσχάτως ἔχει. Sed aduolarunt mox triſtes de obitu nuntii, ἡ θυγάτηρ σου ἀπέθανεν. Et patrato miraculo redierat anima in corpus, ἐπέστρεψε τὸ πνεῦμα αὐτῆς, tradente Luca, demortuæ nempe, αὐτὴ ἀπέθνησκεν. Juſſitque Saluator reſuſcitatæ porrigere cibum, διέταξεν αὐτῇ δοθῆναι φαγεῖν, non quod eo habuerit opus, ſed ut adſtantes conuinceret de veritate miraculi, quod non pluris conſtiterat Medico, quam ταλιθὰ κοῦμι, imo unico nutu voluntatis omnipotentis.

Diſtingui probè debet hic caſus, ac alii ita dictorum *bis mortuorum*, ab illis, qui vel grauiſſima decumbunt ſyncope, ut animam exhalaſſe videantur, vel & tanquam mortui ſandapilæ fuere illati & tumulati, vel recentes ex patibulo ad Theatra Anatomica delati vel reuiuiſcunt ſponte, vel ope remediorum applicatorum ad vitam redeunt. In his omnibus non exhalauit anima, ſed profundo veluti ſopore oppreſſa latuit, ut proin non mirus ſit reditus ad vitam, quam nondum amiſerant. Sed ſoluto ſemel animæ & corporis vinculo reſtitutio vitæ fieri nequit absque omnipotentis nutu. Non proin ſunt exempla reſuſcitatorum ex mortuis, quæ occurrunt in ſacris paginis, ad curationes medicas referenda, ſed accenſenda miraculis. Mirum quid fuit, ſed non miraculum, quod Romæ patrauit Aſclepiades Pruſienſis. *Summa autem (fama eſt) Aſclepiadi Pruſienſi — relato à funere homine & ſeruato. Plin.* L. VII. c. 37. *Magna auctoritate, nec minore fama, cum occurriſſet ignoto funeri, relato homine ab rogo, atque ſeruato, ne quis leuibus momentis tantam conuerſionem factam exiſtimet.* Idem L. XXVI. c. 3. Fuit namque *Aſclepiades* hic, Mithridati coætaneus, Reformator Medicinæ in Roma, rem autem tanti momenti effectui dare non poterat, niſi prætento miraculo, & curâ hiſtrionica ægri fortè decumbentis, in quo haud dubiè ſigna obſeruauerat critica, quem tamen pro mortuo efferri juſſerat. Sanè Hippocrates Latinus, *Celſum* nomino, hanc Aſclepiadis curam non magni fecerat, *de Medicina* L. II. c. 6. *In vicino quædam ſæpe notæ poſitæ non bonos ſed imperitos Medicos decipiunt: quod Aſclepiades ſciens funeri obuius inclamauit, eum viuere, qui efferebatur.* Si *Apulejo* fides, qui amplam dat hujus caſus recenſionem, non adeò fuere contenti demortui hæredes hac Aſclepiadis ementitâ curâ. Ita is inter alia in *Floridis* p. 362. *Aſclepiades ille inter præcipuos Medicorum, ſi unum Hippocratem excipias, cæteris princeps, primus etiam vino opitulari ægris reperit, ſed dando ſcilicet in tempore: cujus rei obſeruationem probè callebat: ut qui diligentiſſimè animaduerteret venarum pulſus inconditos, vel præclaros. Is igitur cum forte in ciuitatem ſe reciperet, & rure ſuo ſuburbano veniret, aſpexit in pomeriis ciuitatis funus ingens locatum, plurimos homines ingenti multitudine, qui exequias venerant, circumſtare, omnes triſtiſſimos & obſoletiſſimos veſtitu. Propius acceſſit, ut etiam incognoſceret, more ingenii humani, quisnam eſſet, quoniam percontanti nemo reſponderat. At verò ipſe aliquid in illo ex arte deprehenderat. Certè quidem jacenti homini ac prope depoſito fatum abſtulit. Jam miſeri illius membra omnia aromatis perſperſa, jam os ipſius unguine odoro dilibutum, jam eum pollinctum, jam cenæ paratum contemplatus eum diligentiſſime quibusdam ſignis animaduertit: etiam atque etiam pertractauit corpus hominis, & invenit in eo vitam latentem. Confeſtim exclamauit, viuere hominem, procul ergo faces abigerent, procul ignes amolirentur, rogum demolirentur, cœnam feralem à tumulo ad menſam referrent. Murmur interea exortum: partim Medico credendum dicere: partim etiam irridere Medicinam. Poſtremo propinquis etiam hominibus inuitis, quod ne jam ipſi hæreditatem habebant, an quod adhuc fidem illi non habebant: ægrè tamen ac difficulter Aſclepiades impetrauit breuem mortuo dilationem. Atque ita veſpillonum manibus extortum velut ab inferis, poſtliminio domum retulit, confeſtimque ſpiritum recreauit, confeſtimque animam in corporis latibulis delitescentem quibusdam medicamentis prouocauit.* Meretur Hiſtoriæ huic adjungi alia fœminæ, apud Pictauos bis tumulo illatæ. *Dans un village de Poitou une femme eut une groſſe maladie, à la fin de la quelle elle tomba en letargie: ſon mary & ceux, qui etoient autour d' elle la crurent morte. Ils l' enveloperent ſeulement d' un Linge ſelon la coutume des pauvres gens du Pays, & la firent porter en terre. En allant a l' Egliſe celui qui la portoit paſſa ſi prés d' un buiſſon, que les epines l' ayant piquée, elle revint de ſa Letargie. Quatorze ans aprés elle mourut encore, au moins le crut on ainſi, comme on la portoit en terre, & que l' on approchoit d' un buiſſon, le mary ſe mit a crier deux ou trois fois: N' approchez pas des hayes. Menagiana* p. 117. Et nobis Medicis haud ignota eſſe poteſt Hiſtoria, quæ Oxonii contigit Anno 1650. menſe Decembri. *Anna Greene* 22. annorum juuencula ob commiſſum infanticidii crimen ad laqueum condemnata è patibulo manſit per ſemihoræ ſpatium ſuſpenſa. Fecerant, pro more gentis maleficæ, agnati omnia, quæ accelerandis ultimis miſeræ fatis conducere poterant, hi pectus contundendo pugnis,